[illegible]

[illegible] 1551.

[illegible]

Me [illegible] optime [illegible]
[illegible] mortem, a tuis [illegible] oriundi?

[illegible] Maria
[illegible] mortem.

13 22

I
930
à 933

M·T·CICERONIS de Partitionibus Oratoriis Dialogvs, IACOBI STREBÆI

Commentariis vltimò ab ipso recognitis, & Enarrationibus Bartholomæi Latomi, Itémque Scholiis Christophori Hegendorphini, illustratus.

Quibus iam hæc præter aliorum editionem accesserunt, Spicilegia Leodegarij à Quercu recognita & aucta, & Obseruationes Ioannis à Fossa: deinde Cõmentarius incerti authoris ad intelligentiam huius dialogi quoq; non parum vtilis.

Adiecti sunt in easdem Partitiones Ioannis Sturmij Dialogi quatuor, seorsum excusi.



BIBLIOTEQUE COMMUNALE BLOIS

PARISIIS,
Apud Thomam Richardum, sub Bibliis aureis, è regione collegij Remensis.
1555.
Cum priuilegio Regis ad sexennium,

Extraict du priuilege du Roy.

PAr grace & priuilege du Roy il est permis à Thomas Richard, libraire & imprimeur de l'vniuersité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer vne fois ou plusieurs, certain Commentarius incerti authoris, *auec les Commentaires faicts par* Leodegarius à Quercu, *&* Ioannes à Fossa, *sur le liure de Ciceron intitulé* M. T. Ciceronis De Partitionibus Oratoriis dialogus: *& defendu par ledict seigneur à tous autres libraires, imprimeurs & personnes quelzcõques, de non imprimer ne faire imprimer, vẽdre ne distribuer en ses pays, terres & seigneuries, autres que ceulx qui auront esté imprimez ou faictz imprimer par ledict Richard, sur les peines cõtenues es lettres du Roy nostre sire. & ce iusques au temps & terme de six ans, à compter du iour & dacte qu'ilz seront paracheuez d'imprimer. comme plus à plain est contenu par lettres patentes sur ce données à Paris le sixiesme iour de Iuing, l'an mil cinq cens cinquante trois. Ainsi signé, Par le conseil, Mole, & seellé sur simple queue de cire iaulne.*

IACOBI LODOICI STREBÆI *Rhemensis in Partitiones oratorias Ciceronis commentaria ad Iacobum Villonouanum.*

QVum per annos decem & quatuor in erudienda iuuentute laborassem, etsi ne tum quidem grauissimo labori quietem modúmq; reperissem, me tamen ad colligenda mea studia pleriq; amicorum adhortabantur. Quo proposito, diu multúmq; dubitaui, vtrum monitus & cohortationes admitterem, an potius ita me compararem, neque perferre infaustum pondus, neq; laboriosum viuēdi genus nouo sudore cumulare. In hanc partem semper fueram propensior, propterea quòd ad scribendum feliciter, opus est naturæ & ingenij viribus, multarum rerum scientia, vsu & exercitatione dicendi: quę in me perquam exigua sentiebam. Et ea si fortè mihi contigissent, tamen quoniam à sapientissimis viris scripta sunt nimiū multa, silendum putabam. Quòd si quid noui ratio postularet, rursus existimabā cessandum temporibus nostris, quum labor honestus nullum præmium ferat, sed vel cōtemptum, vel inuidiam. Sciebam quoque, bonas artes, quibus tum Græci, tum Latini non sine magna dignitatis authoritate floruerunt, nunc apud eos qui omnia quæstu metiuntur, ita vilescere, vt earum professores infra mortales omneis esse videantur. His rebus adductus, eos imitari decreueram, memoriæ nostræ doctissimos viros, qui frui silentio literarum malunt, q̄ in opere pœnitēdo bonas horas malè collocare. Sed nitebantur in aduersum causæ validiores: Hominem non suis, sed aliorum natum cōmodis: Esse propriū optimi cuiusque, aliquid in commune laborare, seménque mittere, cuius alij percipiāt fructum: Alios ædium monumenta suis relinquere, alios nobilitatem generis, alios gloriam virtute partam, omnes penè testimonium quoddam sui laboris. Non aliter oportere artium liberalium professores, nō modò viuos, sed magis etiam prodesse mortuos: id fecisse veteres nouósque scriptores, quorum monumentis acuitur æternæ posteritatis industria. Hanc reliquisse librorum velut hęreditatem, quam partim amisisse, partim neglexisse, par-

tim deprauasse, decoctricis ignauiæ est posterorum: contrà hæredis boni frugique, seruasse legata, ac diligenter auxisse: ne qui omnia ab omnibus accepit, nemini quicquam omnium contulisse arguatur. Quòd igitur studia literarum secutus essem, bonámque partem ætatis in eo curriculo transegissem, nec otium languidum ac ferè mortuum probarem, statuebam mihi more meo semper aliquid in literis agẽdum, quod & alios fortè iuuare posset, & acceptam à scriptoribus hæreditatẽ adaugere. Quò me ducebat illud, Quam quisq; norit artem, in hac se exerceat. Nec iam constare videbantur quæ feruntur in contrarium. Si non subest ingenij magna vis, tamen etiam pariunt aliquid infœcundiores agri, si modò arte & diligentia percoluntur. Scripta sunt ab aliis permulta, sed alia perierunt, alia in bibliothecis & puluere delitescunt, alia palam negliguntur, multa repudiat hæc ætas, multa queritur obscura: quamobrem relinquitur nobis & posteris scribẽdi locus. Nec honesta & vtilia capessenti metuenda est inuidia, quæ quum gloriam florentem persequatur, quid habet in me quod toruo fascinet aspectu? Nec laboro de contemptu eorum, qui quòd nimium spectant honores & diuitias, ingenuas despicantur artes. Nescierunt quid in rebus esset optimum: fortuita quidem maluerũt & mortalia, quibus temporis momento destituti, sine re, sine animi cultu, sine nomine, sine vero honore pereunt. Fateamur itaque longè optimum, versare literas, quarum beneficio viuit, quicquid in rebus mortalium pulchrum diuturnúmque est. Hic igitur experiamur aliquid: & initio tanquam ludentes, explicemus artes eorum qui principes in ratione dicendi fuerunt. Nec opus est longa meditatione, quid omnium primũ sequamur. Occurrunt enim Ciceronianæ Partitiones, auditoribus nostris propediem exponẽdæ. quibus in eo genere nihil arbitror neque breuius, neq; difficilius, neque magis vtile iuuentuti. Breuitas memoriam iuuat, sed parit obscuritatem: obscuritas & vtilitas quærũt interpretationem. Duæ sunt igitur causæ cur hæc interpretemur, difficultas, & vtilitas. Totidem cur ediscamus, breuitas, & fructus: nam partitur hanc artem subtiliter, membra circunscriptè breuitérq; definit, vim & vsum rerum notat. A summis generibus ad partes imas rectum perdu-

cit ordinem, omniáque propè Rhetoricæ præcepta anguſtiſſimo conſtipat libello: quem quum perutilem filio ſuo non vulgariter erudito iudicat, eadem ſententia pronunciat, quanti facienda ſit hæc præceptionum deſcriptio. Fatebor autem nihil opus fuiſſe commentariis noſtris, ſi Georgius Valla homo non indoctus, propius inſpexiſſet, rem cognouiſſet, verámq; ſententiã ſeruata ratione interpretis protuliſſet. De quo viro, qui certè prodeſſe voluit, nihil dicã niſi neceſſariõ. Stat enim mihi nullius neque viui neq; mortui vellicare nomen, niſi contraueniat ratio neceſſaria. Sed ſi diligenter omnes illuſtraſſet obſcuriores locos, equidem multis impudens & ingratus viderer, qui rebus alienis ornatus, debitam viro gratiam ſupprimerem. Verùm teſtes erunt huiuſce rei permulti, Georgiũ plura ſcripſiſſe in Partitiones Oratorias, quæ nihil faciunt ad rem. exẽplis alieno tempore citatis totos confudiſſe locos, bonam partẽ reliquiſſe perobſcurã, præcepta Ciceronis trecenta & amplius in ſenſum prauum detorſiſſe: pro argumentis figuras, pro figuris argumenta cenſuiſſe: medio itinere, ac ſi longis erroribus & onere defeſſus eſſet, abieciſſe rerum grauium pondus, tantùm pauca leuiora tenuiſſe. Sed quia inuitus feci vt hæc diceré, taceo reliqua, & aliorum iudicio relinquo. Quid ab eo diſſentiam, planum facient hæc noſtra commentaria. Ego quidem ducem meum ponè ſequutus ſum, nuſquam ab itinere propoſito digreſſus. Vſus ſum ferè ſemper expoſitione rerum perpetua, quoniam lacerat animum, memoriámque perturbat illa minuta rerum verborũmq; cõciſio. Siquod occurrit verbum ignotius, alterum, velut aliud agens, attexui, prioris interpretamentum. Atque etiam quæcunque videbantur obſcura, diligenter illuſtraui, non modò paraphraſi, alioque ſermone, ſed etiam conquiſitis ab optimis authoribus exemplis, quibus ad hæc præcepta cognoſcenda nihil vtilius afferri poteſt. Eorum multitudine ſi nimiũ fuſa videtur oratio, id factum ſcias ab innumerabili rerum frequentia: quę ſi vel anguſtis ſegregantur interuallis, vniuerſum obtinent campum, & tantum non extra ſpatia proferuntur. Quid tum? in explicandis eloquentiæ præceptis non expauenda eſt vlla copia, niſi quæ inani verborũ fluxu redundat. Siquando opus eſt, excutiõ cau-

ſas, definio quamplurima. Vtor & demonſtratione rerum quæ in abſtruſo poſitæ ſunt. Si quædam faciliora interpono, id non tam docendi cauſa facio, quàm membra coniungendi. in. quo etiam habenda ratio eſt imperitorum, quibus omnis ferè deſtinatur interpretatio. Stylum preſſi, ne longè diſſiliret à genere commentandi. Quid effecerim, aut quid fecerim potius, iudicẽt æqui rerũ æſtimatores. non enim mea ipſe vendito, ſed amolior præcipitem multorum licitationem: qui quoniam nihil ſecum pretij ferunt, ne pilo quidem licentur vel optima. Sed iſta non vendo, inquam: dono tibi, Iacobe Villonouane chariſſime, tuóque nomini dicata volo: vt quod ſtudium Rhetoricum vehementer amplexaris, alere poſſim, non modò voce, & cotidiana lectione, ſed etiam ſcripto, & memoria literarum. Quod vt faciam, cùm tui candidi mores, & ex opera bona profectus bonus meretur, tum auunculus tuus Gulielmus Abotus, Senator ac iudex lectiſſimus in primario Lutetiæ conſilio. Is pro ſumma in ſuos charitate, quum te loco filij haberet, tuámque diſciplinam formare vellet, mihi delegauit hanc inſtituendi curam: nec vllis vnquam rebus, nec laboribus, nec verbis commẽdatoriis pepercit, quò te bonis & moribus & diſciplinis perpoliret. Itaq; mihi tibíque magnopere prouidendum eſt, ne concepta de te optimi viri fallatur expectatio. Ego quidem de meipſo videro: tu autem & vt doctè ſcire, & bene agere poſſis, propone tibi domeſticum egregij Senatoris exemplum: complectere cogitatione, quàm diligenter cum multas alias artes, tum ius ciuile didicerit: qua ſemper fuerit integritate & innocẽtia, quàm admirabili modeſtia & humanitate, quàm acuto ad res agendas conſilio, quanta diligentia in obeundo munere: qua æquitate leges interpretetur, quàm temperata ſeueritate mores cenſeat. Hæc & alia multa ſi mente ſequeris, facilè reperies eas regiones viarum quibus peruẽnit ad authoritatem. hâc iter facito, vt eò progrediare, quò te vocat & is qui virtutis iter tenuit auunculus, & nobilis ac illuſtris ille dux copiarum pater tuus Ludouicus Villonouanus.

EIVSDEM STREbæi Argumentum.

CVR Partitiones Oratorias inscripserit, id initio demonstrandum videtur. Quid partitio nominetur, ostendit in Topicis. Partitionum, inquit, & diuisionum genus quale esset, ostendimus: sed quid inter se differant, planius dicendum est. In partitione quasi membra sunt, vt corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes. In diuisione formæ sunt, quas Græci ἰδέας vocant, nostri species. Hæc ille. Inuentio autem, dispositio, elocutio, memoria, pronunciatio, non species aut formæ Rhetorices, sed ab omnibus partes nominantur, propterea quòd ex iis veluti membris ars oratoria componitur. Nec enim inuentio est Rhetorice, vt laurus est arbor: nec dispositio est ars bene dicendi, vt iustitia est virtus: quia genus de specie, non de parte totum dicitur: vnde partes, non species esse constat. Quum sint igitur hæ quinque partium primæ, quæ ex ordine in minora quædam partiantur, quinque minora membra partitione sæpius quàm diuisione diducantur, nomen partitionis aptius fuit, quàm diuisionis. Sed & multæ diuisiones in hac arte reperiuntur: vt cum distribuuntur species locorum, orationum, causarum, quæstionum, bonorum: quæ sicut nomine partis & species interdum vocantur, à Cicerone præsertim, ita quoque non ineptè dicuntur partitiones. An dictæ sunt partitiones, quòd oratoriæ scholæ, hoc est rhetoricæ disputationes, sic appellitari solerent? Non est hæc nominis prima causa, sed methodus atque ratio docendi, in qua proposito fine quò dirigantur omnia, tum genera statuuntur, deinde subiiciuntur partes, & generum partiumque nomina definitionibus explicantur. Ab hac via disserendi, nomen hoc ductum fuisse significat in fine libri, quum dicit, Expositæ sunt tibi omnes oratoriæ partitiones: quæ quidem è media illa nostra Academia floruerunt: neque sine ea aut inueniri aut intelligi aut tractari possunt. Is titulus autem aptior est huic libello, quàm cæteris eius de arte dicendi, propterea quòd in hoc ad dialecticum morem breuiter & acutè, in aliis ad Q. Fratrem & ad Brutum, amplè & copiosè disseritur.

BARTHOLOMÆI LAtomi Argumentum.

SCripsit hunc librum Cicero dominante C. Cæsare in Repub. cum se in otium contulisset: & scripsit ad filium, qui eodem tempore Athenis studebat, cum antea Romæ sub pædagogis, & à patre ipso Græcè institutus fuisset. Nulla enim ferè adhuc extabat Latina in his artibus, quæ cognitione digna haberentur, exceptis paucis Antonij oratoris: quorum ipse mentionem facit in libris de Oratore. Itaque cum hæc & alia suis traderet, scripsit multa, non solum de dicendi ratione, sed etiam de philosophia, quibus disciplinas Græcorum princeps sua ætate Latinis literis illustrauit. Partitiones appellauit, quòd dicendi doctrinam distributam partibus suis vniuersam complectantur, quæ via artium tradendarum propria est, & à Græcis μέθοδος appellatur. Quicquid enim vnum est, & partes habet, siue hæ formæ sint, siue membra quædam totius, id ita rectissimè cognoscitur, si quæ latent in eo, digerantur ordine, & diuidendo definiendóque explicentur. Rhetorice autem vna est, sine bene dicendi. Capita tria habet, vim oratoris, orationem, quæstionem, ad quæ accommodatur omnis dicendi præceptio. Ita fit, vt his tribus explicatis, tota dicendi doctrina explicata teneatur.

Leodegarij à Quercu ad clarissimvm svvm mecoenatem Philippum Lenuncurium, episcopum & comitem Catalaunensem, Epigramma.

Quantumuis auidè metant coloni
Spicas frugiferis suis in agris,
Multas prætereunt tamen metendas:
Sic qui me prius annotationes
In Marci Ciceronis hunc libellum
Vulgarunt, equidem licet diserta
Nobis sedulò multa scriptitarint,
Multa sunt ab eis omissa: quorum
Hæc collegimus, & tibi vouemus:
Multis tu quia prodes, illud æquum est
Sacrari tibi profutura multis.

Vale.

Marci Tullij Ciceronis

PARTITIONES ORATORIÆ.

Interlocutores Cicero filius & Cicero pater.

CICERO FILIVS.

Tudeo mi pater, Latinè ex te audire ea quæ mihi tu de ratione dicēdi Græcè tradidisti, si modò tibi est otium, & si vis.

CICERO PATER.

An est, mi Cicero, quod ego malim, quàm te quàm doctissimum esse? Otium autem primùm summum est, quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est; deinde ista tua studia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter.

C.F. Vísne igitur, vt tū me Græcè soles ordine interrogare, sic ego te vicissim eisdē de rebus latinè interrogem? C.P. Sanè, si placet. Sic enim & ego te meminisse intelligam quæ accepisti, & tu ordine audies quæ requiris.

STREBAEVS. Quo tempore Iulius Cæsar vnus amissa Romæ libertate dominabatur, Cicero, qui non parum suæ authoritatis amisisset, egressus in Tusculanum, cum iuuentute rhetoricas artes philosophiámque tractabat. Hinc illud, Otium primum & summum est, quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est. Id in eius vita Plutarchus habet. Quòd igitur ocium esset, & hæc ad scribendum proposita materia, & is filius qui inde caperet fructum, quódque præcepta Græcorum non modò latino sermone, sed etiam Romana grauitate donare vellet, suscepit hanc partitionum descriptionem, & ab his causis hoc duxit exordium: quod plerumque scriptores artium facitant, vt quibus impulsi causis fuerint, initiò proponant. Primam fecit studium & institutionem filij: alteram, præceptorum Græcorum latinam explicationem: tertiam, voluntatem suam: quartam, ocium summum: quas omneis sic cōnectito, Quum velis rhetorica nō modò Græcè, sed etiam Latinè audire, ego verò nihil malim, quàm te doctissimum esse, & ocium mihi summum sit, faciam vt dicendi præcepta cognoscas, eaque Latinè scias: nec abutar ocio, qui tua studia vel maximis occupationibus meis anteferre debeo. Causas diducimus,

quoniam per se valet & filius honesta petens, & explicatio Rhetoricæ latina, & paternus affectus, etiã si nihil petat filius, & opportunitas ac occasio. Hæ rationes efficiunt, vt suscipiatur scribendi negotium. Ratio viáque docendi facilior, in causa est cur interrogationibus agatur. Ergo initio proposuit quæ scriberet, cui maximè scriberet, quo sermone, quo studio, quo tẽpore, qua methodo vteretur. Tenuit decorum, qui dubitantem fecit adolescentulum, respondentem senem, quique seruauit illud ἦθος, & ingenuos animi mores, obiecta filij persona, significans paternæ charitatis affectum. Ocium primum & summum est.) hoc est, primum & vltimum. Horatius,

Prima dicte mihi, summa dicende Camœna.

Primum itaque, quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est à Cæsare. Vltimum, non quòd sint hæc extrema senectutis, aut scribendi, sed quòd haud tempestiuius vnquam hæc filij studia iuuare possit, quum pater ad philosophiam, filius ad eandem, honorúmque contentionem traiiciat. Erunt qui summum accipient maximum, vt à nobis in ambiguitate verborum dissentiant, & inde videantur esse docti. Scio equidem summum pro maximo sæpe dici. Quis hoc nescit? At in ambiguis habeo mihi meã sententiã, sicut & illi suam. Et quia quod facilius est, sciunt omnes: quod occultum & probabile videtur, traho in lucem, vt siquis hoc malit, accipiat. At non fuit vltimum ocium. quid ita? Scripsit postea. Quid si rhetoricandi fuit occasio postrema? quid si voluntas vltima? quid si extrema spes? Nónne sic vltimum dicimus, quod simpliciter non est vltimum? Stabat versus Horatianus hoc modo, Prima dicte mihi, extrema dicende camœna. summa dixit: quamobrem, nisi sic erat consuetudo loquendi? Habeo idoneum exemplum locutionis huius: si contradicis, habe tuum, & planũ fac, primũ & summum dixisse veteres pro principe & maximo, non enim valet complexio, Summũ aliquando significat maximum, ergo primum & summum significat primum & maximum. Habenda ratio totius orationis, non vnius tantum particulæ. Nec si pugnabis exemplo, statim cedam, deserens æquè probabile: tantum fatebor vtrunque posse defendi. Tu me Græcè soles ordine interrogare.) Cicero libro Offic. primo, Ipse ad me am vtilitatem semper cum græcis latina contunxi, idem tibi censeo faciendum. Quid fecerit vterq;, hic quidem locus ostendit. Ordo interrogantis est, qui & condentis artem. Huius autem est, vt rem omnem in genera digerat, quæ perpauca sint: deinde eorum generum quasi quædam membra dispartiat: tum propriam cuiusque vim definitione declaret. Sic Crassus de iure Ciuili apud Ciceronem de Oratore libro primo.

LATOMVS. Studeo mi pater.) Principium aptum est à persona patris, & studiis filij, in quo causa scribendi exprimitur. Latinè scire vult filius, quia artes dicendi à Græcis petebantur. Ocium autem primum.) Dicit scribendi facultatem nunc primam sibi oblatam esse, eámque maximam, quoniam propter Rempub. ante hoc tempus nulla fuerit. Deinde ista tua studia.) Ad illud refertur, quod dixit filius, Et si vis. Visne igitur.) Ostendit vtilitatem dialogi.

COMPENDIOSA QVÆDAM ratio totius dialogi de Partitione Oratoria, per Christophorum Hegendorphinum.

Cur de partitione oratoria? Quia in hoc libro partitur Cicero in partes omnem dicendi doctrinam. Quid dialogus? Dialogus est ex interrogatione & responsione compositus de ea re quæ vel philosophiam, vel Reipublicæ partes attingat, cum decenti & cõgrua expressione personarum quæ assumuntur, accuratáque compositione verborum. Ita Diogenes Laërtius in vita Platonis. Porrò deriuatur ἀπὸ τοῦ διαλογίζομαι. Quæstio est cum interrogatione elata oratio; vt, An heliotropium cum sole vertatur? An Euangelium leges ciuiles approbet?

Quæstio
- *Infinita, quæ est, quando sine personis atque temporibus de vniuerso genere quæritur. Græci θλὼ θέσιν vocant: vt, An oratoria sit vtilis.*
- *Finita, quæ personis & temporibus definitur: vt, An oratoria iurisperito sit vtilis. Græci θλὼ ἀπόθεσιν appellant.*

} *Ita Cicero secundo de perfecto oratore.*

Docere, est rem ex ignota facere notiorem. Consultatio & quæstio infinita, idem. Quæstio definita & controuersia, idem. Locus est illud in quo argumenta latent. Argumentum est probabile inuentum ad faciendam fidem.

Locorum alij sunt
- *Extrinseci*
  - *Testimonia*
    - *Diuina*
      - *Oracula*
      - *Auspicia*
      - *Vaticitiones*

      } *De quibus Valerius.*
    - *Responsa*
      - *Sacerdotum*
      - *Aruspicum*
      - *Ariolorum.*
  - *Humana.*
    - *Scripta, huc reer*
      - *Testimonia*
      - *Codicillos*
      - *Chirographa.*
    - *Pacta*
    - *Promissa*
    - *Iuramenta*
    - *Quæsita.*

    } *Rumores Præiudicia.*
- *Intrinseci*
  - *Finitio*
  - *Enumeratio partium.*
  - *Notatio vel etymologia.*

  } *Vt*
  - *Est motus ciuium erga magistratus, ergo seditio est.*
  - *Ordo plebeius est, ordo equestru est, ordo patricius est: ergo totus populus Rom. est.*

Locorum alij sunt adfecti, vel medij.

A coniugatis: vt, stultus stulta loquitur, μωρὸς γὰρ μωρὰ λαλεῖ. *Euripides in Bacchis.*

A similitudine: vt ignis aurum, ita res adflictæ amicum probant.

A dissimilitudine: vt, non si lætitia bonum, etiam voluptas.

A genere: Si omnibus magistratibus obtemperandum, ergo etiam consulibus.

A specie: Fagus est, ergo arbor est.

A differentia: vt, Animal rationis capax est, ergo homo est.

A contrario: vt, Iustitia Christi iustificat, ergo non humana.

A consentaneis: vt, Homo est, ergo animal est.

A coniunctis: vt, Si Christiano magistratum gerere licet, ergo etiam bellum.

Ab antecedentibus: Si hæc parua & moritura corpora mente aliqua regunturr, ergo mundus hic mente aliqua regitur. Sic colligit Cicero pro Milone.

A consequentibus: Ex deo est, ergo verbum dei audit. Piè viuit, ergo adflictiones patietur. Sic colligit Paulus 2. Timoth. 3.

A causa: Diligenter exercet stylum, ergo eloquentiam parabit. Spiritus est inclusus terræ, ergo terræmotus est.

Ab effectibus: Eloquentiam parauit, ergo stylum diligenter exercuit.

A maiorum comparatione: Qui fallere consueuerit patrem, tantò magis audebit cæteros.

A parium comparatione: quæ pœna in malefactorem iusta est, eadem in impulsorẽ iusta erit.

Animorum comparatione: quæ lædunt oculos, festinas demere: si quid Est animum, differs curandi tempus in annum. Horatius libro Epistolarum primo.

A primordiis rerum, id est, ab iis quæ rem aliquam antecedunt: Interfecisti hunc, siquidem inimicus eius fuisti capitalis, subinde illi minatus es. Huc & prodigia referre poteris, de quibus Valerius libro primo.

LEODEGARII A QVERCV in Partitiones Oratorias Ciceronis Spicilegia.

ARGVMENTVM.

Ita comparatum est, vt quæ breuiter scripta sint, facilius animo contineantur. volens itaque M. Tullius Cicero consulere memoriæ studiosorum, paucis complexus est hoc partitionũ compendio, omnia dicendi præcepta, quæ fuse in cæteris oratoriis libris tradebantur. (Vt eius consilium sequutus Iustinianus, libros Pandectarum & Codicis inclusit in quatuor libros Institutionum, tanquam in iuris epitomen.) Et quoniam vniuersam rhetoricam proponit, & propositam distribuit, & singulas partes pseqnitur, ideo partitiones inscripsit: quasi quæ partitionibus & sectionibus frequentibus constent. In his inducitur filius Ciceronis, cupiens Latinam explicationem præceptionum, quas Græcè didicerat. Perpetuò autem interrogat filius, vt plus sit authoritatis in patre respondente, & præcepta dante, quàm in filio, qui non eo vsu, non prudentia, peritiáque rerum valebat vt pater, qui omnem ætatem in foro & senatu contriuerat: sunt enim præcepta istarum partitionum ab vsu forensi, non à ludo, vt illa trita Phormionum Græcorum. Quanquam autem ingrauescente ætate, & propè extrema partitiones has confecisse hinc colligitur, quòd nusquam illarum meminerit, tamen verisimilius est fuisse compositas ante tyrannidem Cæsaris: vt ætas indicat pueri qui instituitur, & patris occupatio in Republica gerenda, cùm puer dicat, Si modò est otium, &c. At non meminit harum partitionum in libro secundo de Diuinatione: Sed nec dialogorum de legibus, quos tamen scripsit ante bellum ciuile.

Si est otium, & si vis.) Verecunda, & quæ modestum adulescentem decet, petitio. oportet autem in obtinenda re voluntatem esse & facultatem. An est, mi Cicero.) Studio filij respondet ita patris voluntas, vt non minus paratus sit pater ad docendum, quàm filius ad discendum. Primùm.) Filius rogauit patrem his conditionibus, si esset otium patri, & si pater vellet: at significat pater, esse in primis sibi otium, (quoniam nihil est ei quod agat Romæ, vbi mutum est forum, & elinguis curia, dominante Iulio, vel sæuiente Antonio) deinde si otium deesset, tamen negotiis postpositis, perlibenter filio literis instituendo vacaret. Porrò hæc particula, primùm, est aduerbium, & significat in primis: summum autem significat maximum. Quinetiam vsurpat istam ordinis particulam, deinde, pro coniunctione ista, &, quoniã qui ordinat, cõiungit: & particulã vel, pro etiam, & aliquãdo pro nunc. Exeũdi, &c.) Cicero tempore feriarum & dierum nefastorũ solebat exire Roma, & tum vel philosophari, vel rhetoricari: vt colligere licet ex libro eius primo de Leg. Erat enim iustitiũ in vrbe tempore ludorũ, nec eo tẽpore Senatus in curiã vocabatur, vt colligitur ex præfatione libri primi de Oratore ad Quintũ fratrẽ. Ac ne quis miretur M. Ciceronem non longiori præfatione & illotis manibus rem attingere, sciendum, ideo factũ, quòd iam beneuolum habebat filium à quo rogabatur, & docilem à breuitate huius epitomes: & profectò vino vendibili nihil fuit opus hedera suspensa: quanquam non omnino illaudatas manere voluit, quum in peroratione harũ partitionum dicat eas è media Academia floruisse, & esse quasi indicia fontiũ illorum, &c. Erit ergo huius proœmioli hæc paraphrasis, Magnopere cuperem mi pater, si modò vacuus es, & tua sine molestia fieri potest, vt præcepta rhetorices quæ Græcis verbis mihi tradidisti, nunc eadem La.

tino sermone perscribere haudquaquam graueris. Cic. pater, Nihil est equidem mi fili, quod ego perinde optem, quàm te esse bonis disciplinis instructissimum. Quòd autem timidè & propè diffidenter à me contendis, vt te Latinè instituam præceptis dicendi, si negotiis sim expeditus, nunquam sanè magis ab illis liber fui, quàm in ista tyrannide: & tamẽ nulla interuenire mihi possent adeò grauia negotia, quin illis omissis tuæ morem geram voluntati, & omni ope studia tua iuuem. C. F. Quando igitur ita parato & propenso es in me animo, vîsne pater, vt exemplum tuum sequutus interrogem te Latinè de præceptis oratoriis ea methodo & ea serie, qua tu me antea Græcè interrogabas, quum vel me doceres vel periculum faceres quantum promouissem in ratione dicendi? C. P. Velim profectò vt eodem tu ordine vtaris. Si enim in eo nihil aut immutes aut omittas, tum demum experiar non effluxisse ex animo tuo præceptiones, quas à me didicisti: & tu certa methodo accipies præcepta Latina quæ desideras.

OBSERVATIONES IOANnis à Fossa in primam partem doctrinæ dicendi, de Vi Oratoris.

Dialogus est sermo ex interrogatione & responsione compositus, siue ad os instruendum, siue ad mores informandos referatur. Philosophia enim & Eloquentia hac ferè forma tractantur: adeò vt hoc dialogo vtrumque videre possis, cùm inquit, Ac laudandi vituperandíque rationes, quæ non ad bene dicendum solùm, sed etiam ad honestè viuendum valent, exponam breuiter. Hoc genus orationis quidam ad inuentorem Platonem referunt, vt Fauorinus: quidam ad Anaxamenem Teium, vt Aristoteles: nonnulli ad Zenonem Eleatem. sed istud nihil ad nos: hoc ad nos, Plurima esse à summis viris scripta διαλογικῶς, vt à Platone ferè omnia, nonnulla ab Aristotele περὶ καθόδων ψυχῆς καὶ περὶ λήξεως. à Cicerone nostro plurima hoc genere sermonis volumina edita. Id quod fecerunt multis nominibus. Fructuosa enim magis est disputatio (nã διάλογος παρὰ τὸ διαλέγεσθαι) quàm perpetua oratio. Contentio animum è sua deturbat sede: Sermo expergefactum & intentũ tenet. Illa prolixitate obtundit, hic breuitate excusitat. Quàm sunt gratæ alternantium vices? quàm sunt molestæ perpetuantium moræ? Quanquã non ignoro continẽtem orationem vulnerandis animis & sanandis plurimum valere, tamen concisa integris & illæsis aptior. Minutis enim interrogatiunculis facilè ducimur: & alacres sequimur, vt in viam inducti ipsi à nobis attulisse videamur, & tanquam inuenerimus gaudeamus. Huc accedit quod personarum mores exprimuntur propensiores ad humanitatem, ad pietatem, ad officium omne, quo nihil potest esse amabilius. Dialogorum autem sermonúmque duæ sunt formæ. Alij ad coarguendos qui contra disputant, compositi, quos ἐλεγκτικοὺς vocant: alij ad præcipiendum, qui δογματικοὶ appellantur. In hoc genere hæ sunt ad filium institutiones: in illo superiore, vel potius in mixto, dialogi ad Quintum fratrem. Iam, si pateris, commonstro inscriptionem. Partitiones sunt rerum in suas partes distributiones, & tanquam riuorum à suis fontibus deductiones. Si malis, Vt corpus humanum ab anatomicis in sua membra grandia primùm discerpitur, vt caput, vt brachia, vt thoracem: deinde in minutiora, vt oculos, vt aures, cæteráque: Sic Eloquentia in Vim oratoris, Orationem, & Quæstionem. Quæ tria membra rursus partienda sunt, aut diuidenda. Nam vt διαίρεσις Græcis, μόρφωσίν τε καὶ ἰδέας accommodatur: ita Partitio Latinis, partibus & formis.

PARTITIONES, à forma & docendi modo: Oratoriæ, à materia inscribũtur. Nominis idem ferè intellectus qui Tabulæ, si hoc vocabulum metaphoricôs accipias. Tabula enim, in qua primæ modò lineæ, & atra adhuc pictura adumbratáque. At cùm viuos cores addit, & tantùm non spirat imago, iam non Tabula, sed signum dicatur.

INSTITVTIONES quidem rem distribuunt, vt facit Quintilianus & Iustinianus, ac post hunc Theophilus: sed quia definitiones, exempla, aliáque id genus accersunt, à nudis partitionibus seiunguntur.

M. T. CICERONIS

Tempus erat vt ad duas methodos, resolutiuam & compositiuam, flectierem cursum: (quibus subiiciunt Diuisiuam, qua hæ Partitiones constructæ sunt, vt ferè omnia Ciceronis opera) nisi commodius temporiúsque alibi de his agi existimarem. Aliò igitur transeo.

QVAERAS forsitan quæ mea sit opinio de tempore, quo scriptæ sint. Vis dicam? Res est, vt non admodum fructuosa, ita valde implicata, aliis aliis difficultates obiicientibus: sed quoniam cœpimus, nihil impedit quò minus & nos quoque hoc saxum impellamus, sed paucis, vt omnia. Ex hisce Partitionibus scriptas nouimus post Consulatum, cum suum fratrisque liberos Rhetoricis institueret. Amissa libertate Cicero ad Remp. nõ antè rediit, quàm de restituto Marcello gratias egit Cæsari. Quo tempore non poterat interrogare præsentem filium, vt Athenis Cratippum audientem. Nónne ætas illa erat discẽdæ philosophiæ, quã antecedit Rhetoricẽ? Accipe quod nõ sit minus firmum, Cicero filius in bello Pharsalico alæ præfectus est à Pompeio (vt secundo libro de Officiis pater scribit.) Matura igitur ætate & florente, non illa qua ducebatur & delectabatur declamatorio genere sui rhetoris Pæonij. Ciceronis porrò instituendi genus paulò erat eruditius, & τεχνικώτερον, vt ad fratrem scribit. Vt finiam, ferè omnem dubitationem mihi executit, quòd hoc in extremo dialogo ponit, Hæc sunt indicia fontium illorum, ad quos si no bis eisdem ducibus aliisve perueneris, tum & hæc ipsa melius & multò maiora alia cognosces. Sed de his nimium multa.

DIALOGVS.

Studeo mi pater) Principium moratum & fauorabile ab vtriusque persona. Filius enim petitione modesta inuitat patrem, vt sua studia ne grauetur prouehere in Eloquentiam Romanam: pater filium diffidentiæ tanquam increpat, posthabiturus grauissimas occupationes sui Ciceronis studiis. Cæterum singulis in libris proœmiis vtitur, vt Aristoteles in ἐξωτερικοῖς. Græcè tradid.) Romani Græcè instituebantur, quòd Roma nondum patrio sermone humaniores artes tractare didicisset. Fortè suspẽdas sententiam, an Partitiones prius Græcè scripserit. Qui enim viua voce tradidit? Infinita filij memoria non ex auditione, sed ex lectione repetita. An est mi Cicero.) Castigatio aduersaria dubitationi de ocio & voluntate, quòd nimis timidè ingrediatur filius. Otium autem.) ἀπροσδιόριστον ad priùs exceptum. Si modò tibi est otium.

Quoniam aliquando.) Rationem subiungit, Nunc primum respiro ab agẽdis causis. Nam vt tertij lib. epist. ad Q. fratrem, tertia epistola ab vltima scribit, Nullus autem dies erat quo die non diceret pro reo. Deinde ista tua.) Contentio ἀντιπαραστατική. Est mihi otium, inquit: & vt non sit, tamen istas tuis studiis vel maximè seriæ postmiserim occupationes. Genus sermonis ἠθικὸν animaduerte, Voluntatem ocio procliuiorem esse. Visne igitur vt.) Proponit methodum ad οἰκονομίαν. In quo significat se velut dictata redditurum, ne qui interrogat ineptus videatur. Sic enim & interrogatio est duplex, Vna, tradendi præcepta & excolendi: Altera, meditandi accepta, & de quibus dubites confirmands.

DOCTISSIMI CVIVSDAM viri in eundem Dialogum commentarij.

Græcè sunt methodi, id est, modi docendarum disciplinarum, compositióque quæ à principiis proficiscitur, & reliqua deinceps tradit. Ea methodus apta est disciplinis fuse explicandis. Huic contraria est resolutio, quæ à finis notione auspicatur, & reliqua deinceps tradit quæ ad finẽ pertinent, ad elementa vsque. Hæc aptior est disciplinis inueniendis, nonnunquam etiam fusius explicandis. Partitio, tertia est methodus, quæ rem propositam per partes distribuit, ac deinceps reliquas quoque partes persequitur: quæ aptissima est artibus & disciplinis in compendium re-

digendis, solêtque summopere memoriam iuuare. Sic Galenus medicinam in compendium redacturus, hac methodo est vsus in arte parua. Studeo mi, &c.) Principium est totum morale. exprimitur enim charitatis affectus & in patre & in filio. Studium autem filij causam adfert scribendi. Græcè tradidisti.) Olim enim imbuebantur literis Græcis nõ solùm Athenis, sed etiã Romæ adolescẽtes Romani: neque ante Plotium Romæ quisquam est Rhetoricam professus. Quincum tempore Ciceronis esset Clodius rhetor Latinus, ad quem frequentes ventitabant, Cicero tamen domi semper mansit, illicque se exercuit declamationibus Græcis: habuitque doctissimos homines Græciæ, vt testatur libro de natura Deorum. Si modó.) Hanc adiecit exceptionẽ, quia videbat patrem virum esse politicum, qui sæpe occuparetur. Iam ne præscribere patri videretur, voluntatem quoque adiecit. An est, mi Cicero.) Hæc pars admodum est ethica, ac in patre charitatis affectus ostenditur. Otium autem.) Redditio est duorum membrorum ad superiores duas partitiones. Posterius membrum testificationem habet propensæ voluntatis ex cõparatione. Aiunt autem partitiones scriptas esse nouissimis Ciceronis temporibus: nec deest ratio, quia in catalogo secũdi libri de Diuinatione partitionũ nihil meminit, vt appareat post librũ de Diuinatione scriptas fuisse, cùm tamen Cicero filius in bello Pharsalico alæ præfuerit, si cõparetur ætas militaris cum ætate discendæ rhetoricæ, Partitiones scriptæ videbuntur ante bellum ciuile, cùm Rempub. gereret. Huic rei locus etiam subscribit. Videtur enim significare se fuisse occupatum in Republica gerenda.

C.F. Quot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi? C.P. In tres. C.F. Cedo quas? C.P. Primùm in ipsam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quæstionem. C.F. In quo est ipsa vis? C.P. In rebus & verbis. Sed & res & verba inuenieda sunt, & collocanda. Propriè autem in rebus inuenire, in verbis eloqui dicitur. Collocare autẽ etsi est commune, tamen ad inueniendum refertur. Vox, motus, vultus, atque omnis actio, eloquendi comes est: earumque omnium rerum custos est memoria.

Partes Rhetoricæ tres.

Vis oratoris in rebus & verbis.

STREBAEVS. Iocus est obscurus, quique egeat illustratione. Nam vis oratoris quinque rhetoricæ partes amplectitur, quinque partes vniuersam Rhetoricen. Qui locus est igitur in partitione duabus reliquis partibus, orationi, ac quæstioni? Deinde, oratio est opus oratoris. videtur ergo non esse pars Rhetorices. Præter hæc, quæstio, tertium membrum partitionis, materia est, non pars: naturáque præcedit orationem, propterea solet artis initio tractari. Cur hic posthabetur? Breuiter expediamus hunc nodum. Iudicandum est (inquit Fabius libro secundo) Rhetoricen in actu consistere, idcirco practicen esse. Quæ cùm sit in agẽdo, & ipso perficiatur actu, nullum post actum, quod oculis subiiciatur, opus relinquit. Actus autem quærit artificem, in quo vis sit oratoris: quærit orationem, qua se explicet: quærit & quæstionem siue materiam, sine qua constare non potest oratio. Quod si oratio scribitur, non pronunciatur, tamen hæc erunt eodem ferè modo necessaria. Ex his tribus conflatur ea quæ vocatur ab eo doctrina dicendi. Alia sunt præcepta de rebus & verbis, in quibus est vis oratoris. alia de partibus orationis, in quibus oratio. alia de quæstionibus & statibus, in quibus ratio quæstionum. Illam rerum varietatem continet hæc partitio. Vt enim bene dicat orator, & rhetorica actu siue eloquentia vtatur, habeat quandam vim communium præceptionum necesse est: deinde rationes exordiorum, narrationum, & partium cæterarum: postea quæstionum discrimina, proprietatésque. Non igitur dico rhetoricen illam qua quis peculiariter vtitur agendo, vel doceri, vel à Cicerone tradi, sed rhetoricam πρωτοτυπῶς hanc genuisse partitionem, hoc est, vsu monstrasse

quæ partes ad bene dicendum necessariæ essent. Ad actionem præcepta tendunt, & ad eum finem diriguntur: quamobrem & initio spectandus erat finis. Ex his facilè dissoluuntur argumẽta. Quinque rhetoricæ partes absolutæ, perficiũt vniuersam rhetoricã: sed vis oratoris (vt hic dicitur) angustior est, tantúmque tertiam doctrinæ dicendi partem continet, reliquas autem oratio & quæstio. Vtraque dicitur duobus modis, aut est oratio, dictio oratoris ex arte confecta, & opus artificis: aut pars rhetoricæ de legibus principij, narrationis, confirmationis, & perorationis. Quæstio de qua agitur, non est pars rhetoricæ, sed illa, quæ quid thesis, quid hypothesis, qualisque vtriúsque natura sit, arte comprehendit. Hanc distributionem partium refert paulò post, quum rogat, In quo est ipsa vis? Quid, orationis quot sunt partes? Quid, quæstio quasnam habet partes? Ordo sic est in illis. Primum est, officium suum nosse: alterum, quibus partibus extruatur oratio: aliud, vt tractetur quæstio pro ratione naturæ suæ. In rebus & verbis est omnis oratio. Quintilianus, Omnis oratio constat aut ex iis quæ significantur, aut ex iis quæ significant, id est, ex rebus & verbis. At cur oratoris facultati Cicero res & verba subiecit, quæ tribuit Quintilianus orationi? Quoniam oratoris est inuenire, disponere, eloqui, memoria tenere, pronunciare: his autem partibus solùm res & verba tractãtur: necesse est igitur in hæc duo cadere vim oratoris. Quæ cùm fuerint inuenta, suisque partibus descripta, component orationem. ac sic orationis erunt. In iis itaque vis est oratoris vt causa efficiens, oratio sicut effectum. Vis oratoris, prima pars est tripartitæ rhetoricæ: & ea versatur in sententiis & verbis. Res autem & verba pariuntur atque tractantur quinque virtutibus. Pariuntur, hoc est, eruuntur ab oratore, inuentione: reliquis tractantur, collocatione, elocutione, memoria, pronunciatione: quas partes esse necessarias partitio demonstrat, hoc modo, Res, inquit, & verba inuenienda sunt, & collocanda. Nec enim voluntas enunciari potest, si non hæc inueneris: nec si inueneris, pro rerum dignitate & ordine enunciantur, nisi tua inuenta collocaris. Sed enim res collocantur & verba. Rerum collocatio, dispositio est propriè dicta: collocatio verborum, est elocutio. Iam reperta est ratio trium partium, inuentionis, dispositionis, & elocutionis. Ex quibus alteram communẽ facit dispositionem: sed magis propriam sententiarum, propterea quòd res verbis potiores sunt, quódque elocutio ipsa comprehendit verborum compositionem. Verùm hæc cuncta corrumpit indecora vel voce vel gestu pronunciatio. Huic igitur tribuendus est quartus locus, non actionis ordine, sic enim videtur extrema, sed elocutionis affinitate. Nam quòd elocutio est mentis interpres, & ad eam interpretationem magnas habet partes artificiosa pronunciatio, quadam veluti societate coniunguntur. Quod autem earum omnium rerum custos est memoria, communis officij causa postrema pars habetur. Nisi forte quispiam ad pronunciationem nihil memoriam facere arbitretur: cui repugnare videtur hæc Ciceronis traditio, qui quum pronũciationem in vocem, motum, vultúmq; diuisisset, quorũ semper oratorẽ meminisse oporteret, si quid hisce de rebus aut cogitasset, aut præceptione didicisset, postremam non sine ratione memoriam fecit. Ergo inuentio prima est: collocatio secunda, quæ nonnihil spectat elocutionem, cui tertius est locus: huic finitima pronunciatio, postrema memoria. Qui Rhetoricen scripsit ad Herennium, memoriam in partibus quartam facit. Idem Cicero sentit de Inuentione. At primo de Oratore, nunc quartam, nunc vltimam constituit. Quintilianus & omnes ferè proximam faciunt elocutioni. Et quidem certè si pronunciatio est vltima actio, iure postrema est: Si verò spectes id quod ad actionẽ decoram excogitaueris, & memoriæ mandaueris, meritò præcedit. Itaque mihi videtur aliquid habere quod memoriæ committas: & rursus aliquid in ore & membris, quod sit memoria posterius. Nec propterea duæ sunt pronunciationes, sicuti non sunt duæ inuentiones, vna in ratione, altera in memoria, sed promente memoria quod seruabat, continuatur pronunciatio: quæ partim artificialis, partim naturalis est: quemadmodum vox, vultus, atque motus, partes actionis. Dicet aliquis, Quid si memoriæ nihil est commissum, vt erit omnium custos? Fieri non potest vt habeatur oratio, & nihil memoriæ mandetur. Etenim si animus tria verba inuenerit ex tempore, & alia continuandi causa moliatur, nisi priora seruet memoria, excidant, & inuentio sit frustra. Ergo memoria custos est & eorum quæ multò antè excogitantur, & illorũ quæ subitò & inter dicendum reperiuntur. Eadem tenet quæ concepit animus de moderatione vocis, de membrorum totiúsq; corporis gestu, de vultu, & vniuersa pronunciatione oratoria. Pronunciatio diuiditur à Quintiliano in vocem, & gestum. Gestus vultum continet, motúmque corporis & membrorum. Vultus est motus

quidem, sed non qualis est manuum vel pedum: sed motus animi, qui signo quodam exteriore se prodit: quamobrem separatur à motu.

LATOMVS. Primùm in ipsam vim oratoris.) Hæc princeps partitio est, ex qua deinceps cæteræ deducuntur. Vis oratoris est, qua quæ in oratione sunt, industria eius efficiuntur. Hæc primùm natura constat, deinde arte perficitur. postquam vsu confirmata est, & in promptu habita, facultas appellatur. Oratio opus est oratoris: quæstio materia, circa quam versatur. Ita fit, vt horum trium præceptione tota dicendi doctrina comprehendatur. In rebus & verbis.) Vis dicendi primùm in oratore est, vt in subiecto, deinde in rebus & verbis, vt in materia: quēadmodum sculpendi artem tum in artifice, tum in marmore & ære esse dicimus. Sed & res & verba inuenienda sunt.) Inuentio & collocatio rerum sunt propriæ, quanuis verba etiam inueniri & collocari dicantur, hoc est eligi & construi in dicendo. Eliguntur enim grauiora, leniora, significantiora: Construuntur apta & bene cohærentia. Elocutio & actio verborum sunt propria. Custos horum omnium est memoria. Orationis quot sunt partes? C. P. Quatuor.) Alij plures faciunt partes, addúntque propositionem, diuisionem, refutationem, egressionem. Sed propositio sub confirmatione comprehēditur. Diuisio pars est propositionis. Refutatio à confirmatione non separatur, cùm eiusdem artificis sit & probare sua, & aliena refellere. Egressio pars est eius, ex quo egredimur. Ad impellendos animos.) Quia oratoris officium est nō solùm docere, sed etiam mouere auditorem.

LEODEGARIVS. Quot in partes.) Quoniam omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id de quo disputatur. Initium sumit Cicero à definitione rhetorices, quam vult esse scientiam bene dicēdi. Hāc autem diuidit in vim oratoris, in orationem, & quæstionem: qua distributione vsus est post Ciceronem Quintilianus libro secundo, cap. 15. aliis quidem verbis, sed tamen eodem sensu, quum partitur rhetoricam in artem, in artificem, & opus artificis. Per vim oratoris intelligit Cicero habitum & facilitatem & potestatem, & peritiam artis quam habet orator, & secundum quam efficit suum opus, hoc est orationem. Sic Iustinianus vim vsurpauit pro potestate in titulo de tutelis: Tutela, est vis & potestas in capite libero ad eum tuendum, qui per ætatem se ipse defendere nequit, iure ciuili data & permissa. Sic & Virgilius in Aeneide,

Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.

Per quæstionem intelligit ipsum thema materiámque oratoris. Erit ergo vis oratoris vt causa efficiens, quæstio autē causa materialis, oratio vt opus. Porrò vt omnis virtutis laus in actione consistit (vt ait primo Offic.) sic rhetorica (quæ virtus putatur) laudatur in actu. Itaque de ea nunc agit, hoc est, de rebus quæ ad eam referuntur. In quo est.) Vis & ars oratoris in eo posita est, vt inueniat aptas sententias, deinde verba quæ sententiis quadrent, & eas interpretentur. Vt enim panis ex farina & aqua constat, sic oratio ex rebus (seu sententiis) & verbis cōstatur. Imò adeò ex rebus & verbis constituuntur illa oratoris officia, inuenire, inuenta disponere, disposita expolire, expolita memoriæ mandare, memoriæ mandata lepidè pronunciare. Ex illis enim quinque officiis (vt optimè tradit Quintilianus) duo referuntur ad res, duo ad verba, vnum ad vtrunque: Nam inuentio & dispositio sunt propriè rerum: elocutio & pronunciatio, verborum: memoria communis est & tanquam custos rerum & verborum. vt semel dicam, res inuenire, est quærere probationes & argumenta, nō autem causam: nam causa adfertur à litigatore ad oratorem, vt ei patrocinetur. In verbis eloqui.) Verba enim proferuntur, non res. Collocare.) Vt in exercitu non parui refert quæ sit militum collocatio, quinam in acie constituantur, qui post principia, qui in vtroque cornu, ne si equites cum peditibus permisceantur, sint inuicem nocumento. Ita in oratione debet esse magna cura œconomiæ & collocationis: sed quum res sint & priores & potiores verbis, sic rerum potior erit collocatio. Ex rerum collocatione nascitur grata perspicuitas, ex verborum dispositione & structura numerus & musica: cauendum tamen ne id fiat nimium anxiè & operose, ne possit meritò accommodari illud Lucilij,

Quàm lepidè lexeis compostæ, vt tesserulæ omnes
Arte pauimento, atque emblemate vermiculato.

Oportet autem efficere in collocatione, vt
Singula quæque locum teneant sortita decenter.

Nam vt ait Horatius in arte poëtica,
Ordinis hæc virtus erit, & Venus, (aut ego fallor)
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici,
Plæraque differat, & præsens in tempus omittat.

IOANNES A FOSSA. Quot in partes.) A definitione proficiscitur ad partitionem. Rhetorice enim, est doctrina bene dicendi. Doctrinæ nomine accipe θεωρητικὸν in præceptis, quæ quum non sint ociosa, tandem in actum perducuntur. Eloquētia enim, hoc est facultas orandi, consummatur tribus, Natura, Arte, de qua hoc opere, & Exercitatione. Primùm in vim.) Vt sanè intelligas, huc aduoca quæ habet Rodolphus lib. secundo, Commodissimè quæuis doctrina traditur, cùm qui sit tractatus, quod instrumētum, quæ materia, explicatur. Vis oratoris, est tractatus: Oratio, Instrumentum: Quæstio, Materia. In quo est ipsa vis.) Est quæ quæ in oratione sunt efficiuntur. Hæc ars est sermocinalis. Itaque expendit verba quæ inania, sine sententia. Sed & res) Fabius libro tertio interpretatur, Cùm dupliciter diuisisset, &c. Collocantur etiam verba, quod est construuntur & aptè componuntur. Pronunciatio in arte quartum habet locum. Sunt enim meditāda domi quibus actio decora fiat: vt cùm Demosthenes ad speculum gestum componit. Partium orationis autor Aristoteles tertio Rhetoricōn.

COMMENTARIVS. Quot in partes.) Hoc adiecit, ad διωνυμίαν, vt intelligamus & optimam ferè methodum & artis comprehensionem. Quāquam enim qui hoc interrogat, est paulò imperitior, attamē qui sequitur periti exemplum, errare non poterit, & veluti dictata reddet. Omnis doctrina dicendi.) Proprium est methodi partitiuæ siue diuisiuæ, rem propositam definire, deinde membra persequi, deinde definitionibus atque descriptionibus includere: quod Cicero fecisse videtur, cùm doctrinam dicendi posuit. nec enim solùm est circunlocutio, sed quædam etiam definitio. Primùm in ipsam vim.) Hic accipi rhetoricam videmus non solùm in potentia, vt vulgo solent technici, sed etiam in praxi multò magis, vt vel actiua vel effectiua scientia sit. Vim oratoris appellat facultatem vel potestatem artis quam habet, & secundum quam efficit opus suum, id est, orationem condit. Præterea vis consideratur in oratore, vt in subiecto: deinde per relationem ad orationem. atque ita vis, causa est efficiens: quæstio, est materia: oratio, est opus. Deinde.) Fabius diuidit in artem, artificem, & opus. sub opere complectitur orationem, & eius materiam quæstionem, vt Cicero sub vi oratoris complectitur artem & artificem. In rebus & verbis.) Cùm rhetorice sit ars sermocinalis, necessarium est sermonem habeat: Sermo porrò rem significare solet. Cicero igitur hæc duo sumpsit elementa artis, ex quibus quinque partes conficit. Nam duæ pertinent ad verba, duæ ad rem. memoria autem est & rerum & verborum. Propriè autem in rebus inuenire.) Hic bifariam accipitur inuentio: latius, vt sit rerum & verborum: strictius, vt sit duntaxat rerum. Nam inuentio verborum, verborum est electio. Id autem ad elocutionem pertinet. Idem statuēdum est de collocatione. Etenim verborum collocatio est, verborum structura atque compositio. quæ res est elocutionis.

Sic locum explicat Fabius. Cicero totum opus partitur in inuentionem & elocutionem. Res & distributionem tribuit inuentioni: verba & pronunciationem elocutioni. Atque ita ex sententia Fabij inuentio & elocutio fusè admodum accipiuntur. Vox, motus.) Primùm partes posuit, deinde intulit nomen generale, quod tamen dicitur à gestu corporis: vnde actores fabularum appellantur, qui gestum repræsentant in scena.

Orationis partes & earum vsus.

C. F. Quid? orationes quot sunt partes? C. P. Quatuor. Earum duæ valent ad rem docendam, narratio, & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium, & peroratio.

STREBAEVS. Oratio secundum fuerat membrum partitionis, quam diuisit in quatuor partes: principium, narrationem, confirmationem, & perorationem. Sic enim est natura

comparatum, vt ad audiendum paremus auditorem: quum præstet aures, id de quo agitur, exponamus: vbi causam controuersiamque cognouit, rem nostram firmemus argumentis, & aduersarij demoliamur: postremò cum affectu rei summa colligamus. Ex hoc seminario naturæ prodierunt quatuor partes, non vbique necessariæ, sed pro ratione causarum plures pauciores ve ponendæ. Vna tantum confirmatio non omittetur vnquam, quod etiam Quintilianus affirmat. Etenim comparauit confirmationem ossibus & neruis, reliquas partes superinducto corpori, quam vocamus carnem. Neruus est ad necessitatem, caro sæpius ad decorem. Eodem negotio Cicero partes & earum tradit officia: vt duæ valeant ad rem docendam, narratio & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium & peroratio. Quæ numerantur ab alijs partes orationis, vt partitio, propositio, egressio, iudicium, refutatio, ad has quatuor reducuntur: duæ priores ad confirmationem, cuius erunt quasi fundamentum: egressio ad eam partem vnde pendet. Iudicium fusum est per omnem orationem. Refutatio confirmationis est: à qua tamen aliquando diducitur, aut melius docendi gratia, aut quòd nostra confirmemus, aliena refutemus: quæ duo sunt officia, vno tamen genere comprehensa: quia sunt rationis eiusdem, quòd in vtraque tractantur argumenta. Hæc de partibus. Quæris sintne tria quæ præstare debeat orator, vt doceat, moueat, delectet. Nam Cicero & Quintilianus hæc tradiderunt. Cur igitur hic prætermittit delectationem? Deinde, sitne affectus omnium partium, quod vterque confirmauit? Dicam Ciceronem tradidisse, non quæ omnino fiunt in oratione, sed quæ præcipua videntur. Operæpretium est autem docere, & mouere, non item delectare, quod ipsum motu & affectu comprehenditur. An qui delectat, etiam mouet? Sunt enim qui aliquando exordiendum putant ab iucunda re, qualis mouit iudicium Crassus in Scæuolam. An affectus melius distinguit partes, quàm delectatio? Non ita mihi videtur. Partes enim dicerentur esse confusæ, nisi distinguerentur affectu. At non omnia principia habent affectum & perturbationem. quamobrem dicendum potius est, verbum impellendi, quo Cicero vsus est, ad vtrunque motum & iucundum & tristem pertinere: aut (quod paulò antè dicebam) habitam esse rationem eorum quæ oranti præcipua sint & maxima. Sunt autem illa, finis. Finis orationis est, vt disceptator causam edoctus impellatur. quapropter in omnibus orationis partibus licet & docere, & mouere: sed præcipiendum maximè quod commodius est, ac frequentius.

LEODEGARIVS. Principium & peroratio.) In exordio degustantur affectus, at in peroratione absoluuntur: mouentur etiam affectus in alijs partibus orationis, sed magis elucent in exordio & conclusione: mitiores affectus per exordium sparguntur, vt patet pro Milone: sed grauiores affectus ad perorationem pertinent. modicè ergo attinguntur in exordio, non per amplificationem locorum communium.

IOANNES A FOSSA. Impellere, de vtroque motu, grauiore & leniore.

COMMENTARIVS. Earum duæ.) Hanc diuisionem duxit ab Aristotele Cicero. Aristoteles enim libro tertio ad Theodectem partes orationis ait, exordium, propositionem (quæ & narrationem continet) confirmationem, & epilogum, quem Cicero vertit perorationem. Fabius libro tertio quinque esse faciendas partes probat. Ad impellendos.) Non solùm partes enumerauit, sed etiam officia attribuit: quæ sunt ita intelligenda, vt magis appareant in partibus quibus attribuuntur, nec etiam alijs desint. Motus autem quanquam maximè est in principio & peroratione, tamen ab alijs partibus non excluditur.

C. F. Quid? quæstio quásnam habet partes? C.P. Infinitam, quam cõsultationem appello: & definitam, quam controuersiam nomino. *Quæstionis partes.*

STREBAEVS. Posteaquam duo priora membra partitus est, vim oratoris, & orationem: partitur & ordine quæstionem. Alteram facit infinitam, definitam alteram. Priorem, consultationem appellat, aut quoniã sæpius cadit in deliberationem, vt quum de toto genere rerum consultatur, sintne maiora vectigalia exigenda? aut quòd cõsultare & proponere interdum significant idem. Thesis autem dicitur à Latinis propositum. Aut quòd cõsultare est aliquid in-

quirere etiam citra peristasin certam atque definitam. Posteriorē quæstionem dicit cōtrouersiam, aut quia sic erat consuetudo loquendi, aut quia in iudiciis à contrariis partibus semper versatur: aut certè quòd solet plus habere asperæ contentionis. Erunt qui referent ad eas quas dicunt circunstantias, & maximè fallentur. Non enim pariunt illæ circunstantiæ controuersiam, nisi veniunt in quæstionem, quòd si veniunt, tam sunt controuersæ in thesi, quàm in hypothesi. Ad hæc multæ causæ omissa persona agitant infinitam quæstionem, vt de maiestate læsa, de vi, de iure societatis. Quæro sintne controuersiæ? Non sunt istorum iudicio, quia non habent plures circunstantias de quibus agatur, quàm infinitæ quæstiones: id quod Cicero multis verbis ostendit secūdo libro de Oratore. Itaque multitudo nihil facit, sed ratio pugnæ forensis apertior & acerbior. Quæstio infinita nominatur etiam quæstio generalis, quæstio vniuersalis, quæstio philosophica, à Cicerone propositum, ab eodem consultatio, à Græcis θέσις. Quæstio finita, nunc causa dicitur, nunc controuersia, nunc quæstio particularis, nunc quæstio specialis, à Græcis ὑπόθεσις. Causa, id est quæstio finita, definitur in Topicis, quæ certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum. Propositū, id est quæstio infinita, in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Colligimus istic, quæstionem oratori propositam vt materiam, & omnem quæstionem, sed præcipuè ciuilem, eámque de certo negotio, vel (vt aiunt) de circunstantia moueri, aut de re vniuersa: hanc infinitam, illam finitam vocari.

LATOMVS. Infinitam.) Infinita quæstio generalis est, de re vniuersa quærens: finita specialis, in certis personis, locis, causis, modis, temporibus locata. Itaque infinita, consultatio appellatur, quòd ad eam definita referenda sit, & ex consultatione eius statuenda: vt, An insidiator iure interficiatur. Finita controuersia vocatur, quòd cùm in disceptatione posita sit, tamen nisi ad infinitam referatur, explicari non possit: vt, An Clodius iure interfectus sit. Hoc enim, nisi insidiatorem, vel seditiosum iure interfici probaueris, controuersum manet. Itaque rectè præcipiunt in causis finitam quæstionem ad infinitam reuocandam esse, vt per hanc illa explicetur. de qua etiam Agricola de prædicatiua & conditionali quæstione docet.

LEODEGARIVS. Quid, quæstio quæsiam.) Quæstio definita seu finita, est quæ finitur & constringitur certis circunstantiis personarum, locorum, temporum: vt, an uxor sit ducēda Catoni? Hæc enim quæstio sic finitur, & limitatur, vt de nullo alio quærat quàm de Catone. Quæstio autem infinita est, quæ in infinitum extenditur, & nullis vinculis & habenis circunstantiarum cohibetur: vt, An uxor sit ducenda? Hic enim non quæritur an ducenda huic, an illi? seni ac iuueni? magistratui an priuato? laico an sacerdoti? Petro an Ioanni? sed generaliter quærit an sit ducenda: & ideo hæc quæstio generalis, rectè vocatur consultatio. Cùm enim iura

non in singulas personas, sed generaliter constituantur, vt ait Vlpianus lege octauæ, titulo de legibus, libro primo Pandectarum: ideo legum periti suas quæstiones vocant consultationes, tanquam quibus generatim consultetur & disputetur: Cicero igitur sequutus exemplum iurisconsultorum, vocat quæstiones infinitas, consultationes. Licet autem in hac quæstione, an vxor sit ducenda, videatur esse circumstantia personæ, nempe vxoris, tamen quia incerta est persona, ideo est infinita quæstio: quòd si tu ex infinita voles finitam facere, adde personã certam, & finitam facies: vt, an Pompeia ducenda Iulio? Hic enim est certa persona Pompeiæ.

IOANNES ESSA. Consultatio & controuersia sunt τὸ πρός τι. Sic appellatur illa, quod quasi consulatur & adeatur: Hæc, quòd per se iniudicata maneat, nisi per consultationem explicetur.

COMMENTARIVS. Quid? quæstio.) Hanc diuisionem duxit ex primo Topicorum Aristotelis, & ex libro ad Theodecten. Illic enim thesis, hic hypothesis tractatur. Notandum est rhetorices materiam non solum esse positam in hypothesi, vt quidam voluerunt, sed etiam in thesi, vt probat Fabius libro tertio, & Cicero in libro de Oratore ad Quintum fratrem. Infinitam, quam.) Ideo consultationem appellat, quia cum rem aliquam cõsideramus, totam eius naturam expendimus, de eáque consultamus, cùm & hypotheseos consultatio pẽdeat à cognitione theseos. Iam verò consultationem appellat, vtens vocabulo iurisconsultorum. Illorum consultationes, quæstiones sunt infinitæ. Hæc est apud Fabium, vt an liber sit is qui est in assertione? Itaque thesin propositum appellauit in Topicis, vsus verbo philosophorum: hic consultationem, verbo iurisconsultorum. In hac interpretatione, vocabulorum vim non est secutus Cicero, sed proprietatem quæstionum, quæ pendet à circunstantiarum vel præsentia vel absentia.

Quoniam igitur primùm est inuenire oratoris, quid quæret? C. P. Vt inueniat quemadmodum fidem faciat eis quibus volet persuadere, & quemadmodum motum eorum animis afferat. C. F. Quibus rebus fides fit? C. P. Argumentis, quæ ducuntur ex locis aut in re ipsa insitis, aut assumptis. C. F. Quos vocas locos? C. P. Eos, in quibus latent argumenta. C. F. Quid est argumentum? C. P. Probabile inuentum ad faciendam fidem. C. F. Quomodo igitur duo genera ista diuidis? C. P. Quæ sine arte putantur, ea remota appello, vt testimonia. C. F. Quid insita? C. P. Quæ inhærent in ipsa re. C. F. Et testimoniorum quæ sunt genera? C. P. Diuinum & humanum. Diuinum, vt oracula, vt auspicia, vt váticinationes, & responsa sacerdotum, aruspicum, coniectorum. Humanum, quod spectatur ex authoritate, & ex volutate, & ex oratione aut libera, aut expressa: in quo insunt scripta, pacta, promissa, iurata, quæsita.

De inuentione.

Loci duplices.

Definitio argumenti.

Loci artificiales, & inartificiales.

Testimoniorum partes.

STREBAEVS. Vis oratoris est in rebus & verbis: &, vt antè dixi, res & verba inueniendæ sunt. Inuentio rerũ, natura prior. Hæc duplex, vna fidei, motus altera. Fides est firma opinio. Motus, animi incitatio aut ad voluptatẽ, aut ad molestiam, aut ad metũ, aut ad cupiditatem. Hoc enim modo postea finiuntur. Ex hac definitione refellitur opinio illorum qui negant delectationem motu contineri, nisi voluptas nullam habeat delectationem: quod nemo sanæ mentis affirmet. Nec valet ista connexio, Nullam postea facit mentionem delectationis, ergo secludit

eam. Eadem ratione colligeretur exclusa fuisse ab arte schemata sentẽtiarum, de quibus non egit in hoc opere. Nec verum est, quod aiunt, in verbis potius quàm in rebus esse delectationem. Nam facetæ narrationes, quæ in hoc genere præcipuæ sunt, non habent in verbo ridiculum: nec illa omnia breuiter dicta, quæ mutatis verbis eundem seruant lepòrem. Quamobrem neq; Cicero, neque Quintilianus hanc partem attribuit elocutioni: sed vterque inter partes inuentionis collocauit, de delectatione facit mentionem in exornatione. Redeamus ad propositum. Ad fidem omnia referũtur argumenta: ad impellendos animos amplificationes sunt optimæ: quæ sicut argumenta desiderant, sic etiam permulta alia sumunt. Quid igitur, motus animorum faciẽtne fidem, sicut argumentatio? Inuabit quidem. Afficlus enim quocunque irrumpunt, plurimùm valent: sed quia commotus animus etiam quærit argumentum, Cicero putauit aliud esse facere fidem, aliud animos impellere. Quid si motus capiet argumentum? Hac ratione pertinebit ad fidem. Quid si magis argumentis quàm aliis rebus mouemur? Id verò negat Cicero, negant ij qui versati sunt in Republica: quanquam Aristoteles Rhetoricorum primo istud sentire videtur, summum esse in argumentando præsidium: quod tum verum fortaßis esset, quum apud Philosophos agitur: alia mẽs est imperitæ multitudinis. Argumentu fit rei dubiæ fides. Argumenta ducuntur è locis. Loci vocantur argumentorum sedes. In locis argumenta latent, sicut res suo quæque loco ponuntur. Argumẽtum diuidit ac definit. De definitione priore loco dicemus. Argumentum Cicero dicit omnẽ probationem. A verbo ducitur arguo, quod est demonstro: Degeneres animos timor arguit. Quintilianus argumentum facit speciem probationis, apertiorem, vt arbitratur, viam secutus. Sed hæc est breuior, expeditior, & minus molesta, illa fortè melior ad distinguendas rationũ proprietates. Argumentum ἄτεχνον id est artificiale, inuenitur ab oratore. ἄτεχνον, si non inuenitur ab eo, tamen ab alio in medium adducitur: quod sine aliqua inuentione fieri non potest. Est igitur inuentum, hoc est, inuenta ratio & probatio: inuenituṙque ad aliquid probandum. Sit igitur probabile. Nam si credibile non esset, vt alterius faceret fidem? Nec erit argumentum, nisi propositioni adhibeatur: & frustra adhibeatur, si propositio certa est. Ergo reperitur ad faciendam pro propositioni dubiæ fidem. Vbi facere fidem, non est necessariò ac certò probare, sed ad credendum impellere. Sic est argumenti definitio constituta in hunc sensum, Argumentum est inuenta ratio probabilis, vnde dubitantem impellat orator ad credendum. Quid si non impellitur? non stat per argumentum. Atqui debile est. & debile potest si non vincere, tamen impellere. At non facit fidem. Certè non facit totam, nec opus est, sed facit ex parte: alioquin adiuncta quonã modo haberentur argumenta, sicut & enthymemata propè infinita? Est & hic quod dubitare possis. Etenim si Quintilianus aliud facit argumentum necessarium, aliud probabile, aliud non repugnans: cur hic Cicero probabile tantùm ponit? an quia si necessarium est, nulla lis est, & idcirco non est argumentum, quod Fabius de signo necessario dicit: non repugnans autem sit infirmum, & ideo nihil propè faciat ad fidem? Ad hæc, Cicero primo de Inuentione pobabile definit, id quod ferè fieri solet, aut quod in opinione positũ est, aut quod habet in se ad hoc quandam similitudinem, siue id falsum est, siue verum. Diuiditque paulò antè argumentationem in probabilem, & necessariam. Aristoteles primo Topic. sic probabilia definit, Probabilia sunt ea quæ probant omnes, aut permulti, aut sapientes: & hi quidem aut cuncti, aut plurimi, aut percelebres. Dicendum mihi videtur, argumentum probabile sæpius dici pro eo quod non est necessarium, illudq; reperiri in omni oratione frequentißimum: ideóque oratorum esse maximè proprium. Ea de causa Ciceronem probabile dixisse, non qui excluderet necessarium (nam & Fabius ἀποδεῖξιν argumento complectitur) sed qui vellet hoc intelligi, non oportere probationes omneis esse necessarias, sat esse si credibiles forent, & probabiles. Non dicam probabile quicquid probat, vt quidã. Nec enim est credibile quod credit, nec amabile quod amat, nec oratio probabilis quæ probat. Nec etiam dicam probabile, quod adhibetur ad probandum. Nam sensus definitionis esset, argumentum est quod adhibetur ad probandum, ad faciendam fidem: quod ineptum est atque absurdum. Dicam potius necessarium probabile esse: vt sint omnia necessaria probabilia, non omnia probabilia necessaria. Diuisio locorum sic habet, Locus est aut internus, aut externus: nihil omnino tertium est, aut enim rem de qua agitur, inspicimus, aut aliud quod ad eam referri possit. Hoc modo fit duplex ratio locorum. Personæ autem & accidẽtia hic nomine rei continentur. Quintil. libro quinto, Nec esse argumentorum loci possunt, nisi qui rebus aut personis accidunt. An

quæ rei inhærent, illam constituunt? Non, inquit argutulus quidam, sed inhærent quæ oblata causa interna agitatione quæruntur. Ergo tua definitione si non quærerentur, non inhærerent. Inest definitio, an rem non constituit? Insunt genus & differentiæ, nónne rem continent? Age, propriũ & accidens etsi non formant speciem, nihilne iuuant rei naturam? Ista sunt quæ Aristoteles rebus inesse dicit, & illarum vim naturámque totam continere. Quid igitur aliud est rem constituere? Quid si tua interna agitatione quærerentur, & non inuenirẽtur, inhærerẽntne? Maximé. Quid igitur facit inuestigatio? Quanto melius Agricola? qui aliquot rationes locorum assignat in rei substãtia, non refert ad inuestigationem. Sed de his satis. Priore loco tractat ea quæ extrinsecus assumũtur, quæ in Topicis posteriore tractauit. Illic progrediebatur à priore ad remotius: hic remotiorẽ faciliorémq; anteponit materiã. Etsi ista prius inquiri solent, nõ tamen semper in arte prima tractari: nec res in artibus eo semper ordine collocantur, quo quæruntur in agendo. Testimonium extrinsecus assumitur, & aliunde adducitur ad causam. Est autem, vt definit in Topicis, omne quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Testimoniorum multæ species, vt præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iusiurandum, testes. In his enim quoddam est testimonium, aut iudicum, aut populi, aut eorum qui torti sunt, aut signatorum, aut iuratorum, aut testium. Hæc autem dicuntur ἄτεχνα, id est inartificialia, quia non pariuntur ab oratore, sed à litigatore afferuntur. Quamobrem Cicero, quæ sine arte putantur, inquit, ea remota appello, vt testimonia. Sunt alia quæ numerat eodem modo inartificialia, si ad oratorem perferuntur, vt oracula, vt pacta quæ citantur à vulgo. Tamen permulta sunt testimonia quæ non accipit orator, sed ipse quærit, vt quæ secretioribus continentur literis, authoritates, senatusconsulta, edicta, plebiscita, leges, quæ de causa Cicero non affirmat esse sine arte testimonia, sed talia putari. Eadem ratione Quintilianus exempla diuisit à sex generibus testimoniorum. Ergo si spectes inuẽtionem, non omnia sunt in arte: si tractationẽ, omnia ad præcepta referuntur. Testimoniũ diuinũ est vel humanum: nam solis diis & hominibus mentẽ verbis exprimere datum putauit. Diuina testimonia sunt oracula, id est deorum voces: quæ sic appellãtur, quod inest his deorum oratio. Auspicia, quæ seruabant augures, quorum erat obseruare de cælo: quæ non in auibus tantum posita fuerunt, sed & in tonitrus, & in fulminibus, & tempestatibus, & procellis, & id genus rebus: quod in Antonium Cicero multis locis ostendit. Vaticinationes, vatum diuinationes, vt Sibyllarum, Calchantis & Cassandræ apud Homerum. Responsa Sacerdotum, rerum diuinarum interpretationes: quæ Sacerdotum non aliter esse putabantur, quàm iuris humani declaratio iurisperitorum. Aruspicum responsa, sunt diuinationes quæ sumuntur ab extorum inspectione. Exta quidem à victimis exempta & reddita putabantur indicare deorum voluntatem. Aruspices etiam prodigia interpretabantur: vt quid portenderet equus Iulij Cæsaris, authore Suetonio. Responsa coniectorum, interpretationes somniorum, siqua venire ab Ioue crederentur. Siquis apertius hæc intueri volet, inspiciat libros Ciceronis de Diuinatione. Cæterùm ex illis argumenta ducere non est magni negocij, quandoquidem istæc imperiti fabricant, adeò vt hæc esse sine arte dicantur. Quod si alia religio nostra est, alia antiquorum, & hæc omnia accommodare tempori neque possumus, neque debemus, non tamen omnino sunt inutilia. Plura nobis quàm illis oracula, multa signa & prodigia, multæ vaticinationes, multa responsa sanctorum virorum, nonnullæ somniorum interpretationes: & si nullæ sint, tamẽ res antiquorum nosse neminem pœniteat. Humani testimonij partes, authoritas, voluntas, oratio: quarum discrimen est, Authoritas habet dignitatem, ac præ se fert aliquid quod videatur imitandum: vt siquid visum gentibus, populis, sapientissimis viris, legum latoribus, claris ciuibus, poëtis, magnísque rerum scriptoribus. Quarum rerum plenæ sunt orationes, plenæ disputationes omnium: nec vllum doctis & indoctis frequentius argumentũ est. Quæ sint autẽ quæ faciant authoritatẽ, Cicero tradit in Topicis. Voluntas nõ est ad imitandũ proposita, sed pro affectu vel cõsilio suum de re præscribit iudiciũ: vt volũtas testamentorum, vt mandatorum, vt priuilegiorum. Et huc fortè pertineat illud, Sit pro ratione voluntas. Ea sæpe rebus scriptis inquiritur: vnde status est legalis de scripto & voluntate. Oratio est omnis expressa verbis sententia, vt populi sermo, testium dicta, & ea verba litigatorum, quæ de causa circunferuntur. Oratio aut libera est, aut expressa. Libera sunt eorum testium verba, quibus non est lege denunciatum, & siqua de re sponte iactãtur. Orationes expressæ sunt ea, quæ dicuntur in tormentis, & quæ vi argumentationis, aut metu, aut alia ratione exprimuntur, id est

extorquentur. An expressa dicit asseruata, & sic notata, vt negari non possint? Minimé. Quid scis? Libera & expressa ponuntur contraria, sicuti liberè loqui, & coactè. Expressa autem pro asseruatis, non opponuntur liberis verbis. Ad hæc, qui liberè loquitur, nonne voces exprimit? id est, sic edit, vt notari queant? Testis liberum & voluntarium testimonium dixit apud iudices: negari iam non potest. Erit igitur expressum istorum sententia, & idem erit liberum & expressum, quod est absurdum. An oratio expressa genus est scripti, pacti, promissi, iurati, atque quæsiti? Nam qui abutuntur hoc verbo, putant esse genus istorum. Falsò putant. Sunt enim pacta quædam libera, & promissa, & iurata, & quodámodo quæsita, vt si qui vltro se dedit in quæstionem, verba dixit: quod plerique serui factitarunt. Ad hæc, quando transacta sunt, non vltrà sunt libera. Audio. Multa quoque liberè dicta sunt, quæ suis authoribus attulerunt exitium: non enim poterant negari, nec erant vltra libera. Iurauit aliquis remotis arbitris se ductturum puellam, adductus in iudicium iurasse se negauit, absolutus est. Dicunt orationem iurisiurandi liberam fuisse, quia potuit negari, & tamen iurata referuntur ad orationem expressam, & sibi repugnant. Ad testimonium scripta referuntur, vt chirographa, syngraphæ, stipulationes, commentarij, vulgò regesta dicuntur. Edicta literis proposita, quæ propè infinita prodeunt à magistratibus. Item acta, vt senatus, & leges, & rerum gestarum testata memoria. Adde etiam pacta, promissa, iurata, quæsita. Pactum, quod inter aliquos conuenit, valebit, etiam si nihil scriptum est. differt à promisso, quia pactum minimum duorum est, vt in sponsalibus. Promissum, vnius esse potest. Pactum firmius, promissum debilius. Iurata dicit ea quæcunque dixerit iuratus aut testis, aut alius, siue apud iudices, siue apud alios loquatur. Quæsita propriè tormentorum sunt, vnde tormenta nominantur quæstiones. Eò tamen referre possis quæcunque fuerint expressa, siue à recusantibus extorta, vt extorquentur multa pollicitationibus, minis, metu, dolo, verberibus. Istorum omnium genus est oratio.

LATOMVS. Vt inueniat quemadmodum.) Ergo non solùm argumenta, sed etiam affectuum materia inuentioni subiecta est: de quo vide Agricolam lib. 2. Motum eorum animis afferat.) Sub motu grauiores & leniores affectus comprehenduntur. Quos vocas locos?) Locus sedes argumenti est, vt ipse docet in Topicis, vbi hæc omnia latius explicatur. Aristoteles tum τόπους, tum στοιχεῖα vocat, hoc est, & locos, & elementa, quòd in his & lateant argumenta, & ex eisdem tanquam ex principiis oriantur. Probabile inuentum.) Hoc est, res, siue ratio probabilis, quæ ex certo loco ducta valet ad faciendam fidem. In hac materia est argumenti, in exponendo forma, quæ argumentatio appellatur. Materia eadem est apud rhetores & dialecticos, quare & loci hic iidem qui in Topicis: Forma plurimum differt, cùm aliter disserat dialecticus, aliter dicat orator, finibus diuersis propositis: cùm alter docere tantummodo conetur id quod suscepit, alter mouere etiam atque affectu impellere auditorem. Quomodo igitur duo genera ista diuidis?) Aristoteles ἔντεχνα & ἄτεχνα vocat, hoc est, artificialia, & remota ab arte. Artificialia ducuntur ex ipsa quæstione per industriam oratoris, atque idcirco vocantur insita. Remota extra quæstionem sunt, & citra inuentionem oratoris suppeditantur, vt testimonia, quæ quia extra sunt, assumpta vocantur. Sed hæc quoque etsi arte carent in inueniendo, tamen arte tractanda sunt. Itaque placet Agricolæ etiam arte inueniri posse. quod verum est, sed tunc fiunt artificialia. Lege caput primi libri Agricolæ de pronunciatis. Diuinum, vt oracula, vt auspicia.) Oracula sunt quasi diuino ore prolata. Auspicia, significationes per aues: item prodigia, sortes, exta, omina. Vaticinationes, vatum prædictiones, vt Esaiæ, Sibyllæ, Martij vatis. Responsa sacerdotum, sunt pontificum & augurum decreta, qui iuri diuino & religionibus præerant. Aruspices exta inspiciebant, & fulmina cæteraque prodigia interpretabantur. Coniectores somnia coniectabant, vt Daniel in sacris literis. Humanum quod spectatur ex authoritate & ex voluntate.) Authoritas est in doctis, sapientibus, cæterisq; fide dignis hominibus. Voluntas in legibus & magistratibus, qui ex consensu publico imperant. In oratione, scripta, pacta, promissa, libera sunt: iurata & quæsita, expressa. Scripta intelliguntur quæ pacta aut promissa non sunt: quæsita, tormentis expressa. Hæc omnia in Topicis vberius explicantur.

LEODEGARIVS. Vt inueniat quemadmodum fidem.) Quod argumentis impetrare non possumus, id affectibus extorquemus: quo fit vt necessarij sint affectus: habet enim multum momenti & virium. Excitantur autem affectus non solùm verbis, sed etiam rebus, vt

quum producimus reos squallidos, eorum vxores eiulantes, liberos lachrymantes, aut gladium cruentum, aut vestem sanguinolentam, quarum rerum tam ingens vis est, vt tanquam in rem præsentem ducant. Nam probationes efficiunt vt causam nostram meliorem iudices putent, affectus præstant vt etiam velint: sed quia id volunt, credunt quoque. Etenim cùm irasci, fauere, odisse, misereri cœperint, agi rem suam putant. Et vt amantes iudicare de forma non possunt (quia sensum oculorum premit amor:) Ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus, æstu fertur, & velut rapido flumini obsequitur. Sunt autem duo genera affectuum, quidam graviores, qui comparantur tragœdiæ, & his vtitur actor ad inflammãdum iudicem: alij sunt affectus leves, similes comœdiæ, & his vtitur reus ad placandum iudicem. Qui autem mouere vult affectus, non solùm debet accommodare verba sententiis, & sententias ipsi causæ: sed etiam debet assumere vocem, vultum, motum, & gestum aptum argumentationi: estque necesse vt prius orator afficiatur quàm vt iudicem afficiat: nam vt ait Horatius,

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus: si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.
Telephe, vel Peleu, malè si mandata loquêris,
Aut dormitabo, aut ridebo: tristia mœstum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem, lasciua: seuerum, seria dictu.

Itaque eadem de re sic Persius Saty. prima,

Mén' moueat quippe, & cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas cùm fracta te in trabe pictum
Ex humero portes. verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.

Athenis tamen per præconem prohibebatur orator mouere affectus. Quin & philosophi putant affectus & perturbationes esse morbos, & vitij loco est secundum eos effici & afficere. Cur igitur orator qui vir bonus est, affectibus vtitur? Nempe si aliter non potest obtineri causa vera, iusta, & in commune profutura. Ergo licet philosophi sint contenti docere, hoc est rem simpliciter exponere, tamẽ oratoris munus est tripertitũ, vt doceat, moueat, delectet: docere, est necessitatis: delectare, suauitatis: flectere, victoriæ. Quibus rebus fit fides? Quoniã nulla res de qua ambigitur, potest ipsa per se probari, oportet vt ex aliis noticribus, & magis exploratis probationẽ quæramus: Id verò fit argumentis. Est autẽ argumentum, ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud: & quæ quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmat. Argumenta aut rebus aut personis accidunt: Eæque aut per se inspici solent, aut ad aliud referri. Argumentorum alia sunt artificialia, alia artis expertia: artificialia dicuntur, quæ artificio oratoris inueniuntur: quæ quoniã inhærent in eo ipso de quo agitur, vocãtur insita: qualia sunt à definitione, à partium enumeratione, à notatione, & à rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo agitur. At argumenta inartificialia, sunt quæ non excogitantur arte oratoris, sed ad eum adferũtur (à litigatoribus) vt arte tractet, & tum incipiant fieri artificialia, qualia sunt testimonia: quæ quoniam extrinsecus assumuntur, dicuntur externa: eadémque vocantur remota, quoniam absunt, & longè disiuncta sunt ab eo de quo agitur, aut ab inuẽtione oratoris. Latent autem argumenta in locis, tanquam in receptu & thesauro quodam. Est enim locus sedes argumenti. Vt igitur earum rerum quæ absconditæ sunt, demonstrato & notato loco, facilis est inuentio: sic cùm perueſtigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus. Nam vt in terra non omni generãtur omnia, nec autem, aut feram reperias, ignarus vbi quæq; nasci, aut morari soleat: & piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam littoribúsque discreta sunt: nec helopem nostro mari, aut scarum ducas: Ita non omne argumentum vndique venit, ideoque non passim quærendum est, multus alioqui error est, & exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus inuenire nisi casu. at si scierimus vbi quicque nascatur & lateat, cum ad locum ventũ erit, facile quod in eo erit, prouidebimus. Oracula.) Omina sunt hominum, quasi eremina, quòd ab ore ducantur, vt constat ex primo lib. de diuinatione. At vt ait in suis Topic. oracula sunt deorum orationes.

IOANNES A FOSSA. *Quoniam igitur primum est inuenire.*) Inuentio (parens caterarum partium) est aptæ sentētiæ excogitatio. Porro ea est duplex, Aut enim ad docendum, aut ad mouendum spectat. Illa quærit argumenta & probationes, hæc amplificationes: vt, qui nō ducitur æquitate, pertrahatur affectu. Quare inuentio rerum duplex est: vna fidei, altera motus. Hæc auditorum est, illa verò caussarum. *Vt inueniat.*) Contrahit in duo capita inuentionem, quam Aristoteles in tria officia partitur in Rhetoricis, his verbis, τῶν δὲ τοῦ λόγου πορισμῶν πίστεών ἐστιν εἴδη τρία. Αἱ μὲν γὰρ εἰσιν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος, αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως, καὶ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. Sed motus hic & conciliationem & concitationem comprehendit. *Fidem faciat.*) Fides natura motu prior est, quòd prius sit probare & verum ostendere, quàm mouere & magnum efficere. Eò prius agit de fide, quàm de motu. *Quibus rebus.*) Scribit Fabius libro quinto hanc diuisionem ab Aristotele profectam. Libro enim primo ad Theodectem τῶν δὲ πίστεων, inquit, αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν, &c. *Quanquam licet altius repetere à Platone aliisque. In Gorgia, Polo Socrates obiicit duplicem probationem testium & rationum. Passim legas apud autores. Argumentis.*) Argumentum hic auditur in genere pro probatione, non pro specie probationis artificialis, vt apud Quintilianum: cuius diuisionem in signa, quæ sunt sensus ipsius, & ex quæstione nata: in argumenta, quæ sunt rationis: in Exempla, quæ extrinsecus adducūtur in caussam, debet Aristoteli. *Ducuntur ex locis in re ipsa insitis.*) τροπικῶς loquitur. Nō enim locus est insitus aut assumptus, sed argumentum è loco ductum. Est ergo metonymia, cōtinens pro contento. *Quos vocas locos?*) Locus est argumenti sedes & tanquam domicilium. *Probabile.*) Probabile est quod videtur omnibus vel plurimis vel sapientibus. *Quo etiam intelligas necessarium: quando omne necessarium est probabile.* Sed quatenus huc venimus, permitte, si possim, vt liberem Quintilianum à calumnia. Rodolpho Agricolæ non videtur habere inter argumenta quæ necessaria sint. Sic enim insultat cap. 21. lib. 1. *Miror acutissimo viro in mentem venire potuisse, vt signa nō esse argumenta diceret, quod nihil post se dubij relinquant.* ¶ *Ergo nihil eorum quibus mathematici inuenta sua, &c. Ego verò, vt liberè quod sentio dicam, Rodolphum & magnos alioqui viros, si vsquam, ibi maximè lapsos esse, & in lubrico loco non constitisse iudico, cùm alio studio calumniandi inuaderent. Aliis litem remitto. Pace verò Agricolæ dixerim, viri acuti in primis, & de studiis bene meriti, Fabius tantum abest vt neget argumenta quædam necessaria esse, vt vel multis locis asserat. Sed hoc fraudi fuit Rodolpho, quod non perspiceret signorum & argumentorum discrimen. Aliud enim longe est signa producere ad faciendam fidem: aliud argumentis vti. Illa enim dubitationem tollunt omnem, cùm necessaria sunt, etiam imperitis hæc vel inter doctos quoque sæpe controuersa. Quid mirum? Sensibus enim non dubitant, sed tenacissimè arrepta seruant rudissimi. Signum necessarium facit rei signatæ certissimam fidem. Verbi gratia, Lac habet, ergo peperit. Peperit, ergo cum viro concubuit. Lis non est, inquit prouidè Fabius noster, nisi facti. Adhuc enim incertum est quis author sit flagitij. Poteram videri satisfecisse, sed vehementius infligit securim Matthæus Phrysemius. Quod autem subdit, inquit, ne dubia quidem signa argumenta esse, propterea quòd ipsa argumētis egeant, id quoque quàm sit inualidum, liquere vel hinc potest, quod ex plerisque argumētorum locis eiusmodi quædam adduci solent, quæ parum habitura sint virium nisi aliunde corroborentur. Hæc ille. Dicit aliquid, non tamen quod satis habeat virium ad infirmandam Fabij authoritatem. An non ipse 12. cap. lib. 5. concedit? Quædam tamen, inquit, quæ in alterius rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt. & 14. Si contingeret semper cōtrouersa confessis probare, vix esset in hoc genere vsus oratoris. Porrò autem sic accipe: Optimum est, si necessarium signum possis adducere. Sic enim tuum ius expeditè obtinebis: alioqui diuertes ad signa dubia. Quæ cùm ex se non sint notiora, confugiendum est ad argumenta, vt si sensibus non ducuntur audientes, mentis cogitatis & enthymematis consentiant. Quanquam non nego, vt nec Fabius cap. 9. signa adiuncta cæteris plurimum valere. Sed volumus accipi de iis quæ per se adhibentur & separata. Cicero Partit. In verisimilibus rerum notis, &c. Vt ne sim in mora, Quemadmodum signa indubitata fidem faciunt paratiorem quàm argumenta (de quo non dubitas): ita signa dubia argumentis minus prosunt cùm per se ponuntur. Quæ de signis scripsit Fabius, ea ab ipso fonte Aristotele manarunt, ex primo ad Theodectem, non multo post initium, & ex 2. sub finem, vbi affirmat Enthymematum genera esse quatuor,

Vt sperat, ergo pulchrum
Gall., Non aut omni probab.
vt mirigerum, vt mala est,
ego amat fabuly.

Εἶδος, Exemplum, Notam certam, Signum. Quod si non vidit Rodolphus, debuit tamen candore animi Fabio consuluisse. Hic iam vereor ne occinat illud Theosophi cuiusdam subtilis: Nesciebam, inquit, esse apud diuum Augustinum, neque inficias iuissem. Palinodiam ergo canit. Quod si vidit, sed obstinatè improbat sententiam, cur litem Fabio non remittit, & Aristotelis actionem intendit? Ἀσυλλόγιστόν ὅστιν, ἔφη, πᾶν σημεῖον. Lege Rhetorica familiariter: adi secũdum librum Priorum analyticõn. Penè oblitus sum mei instituti, apud quem plurimi est breuitas. Sed dabis aliquid desyderio respondendi Agricolæ, & defensitandi Fabij. Iam redeo. Cicero, Fabius, assiduique authores per probabile non excludunt necessarium, sed nec tantum non repugnans.

Quid est argumentum?) In omni quæstione tria sunt: duæ partes, eius subiectum & prædicatum: tertium est argumentum. Illa afferuntur ad oratorem, hoc est inueniendum ex parte altera.

Quomodo igitur.) Interrogatio hæc non tam quærit vt diuidat dialecticôs, & secundum substantiam, (Nouit enim filius ex locorum diuisione) quàm vt definiat & separet: quod etiam pater præstat. Quæ sine arte putantur.) Testimonium est artis vel ex inuestigatione oratoris, vt ex scriptis, vel ex electione, vel ex solerti interrogatione. Nihilominus quia foris assumpsit, nõ ex vi quæstionis, Remotum appellatur. Agricola lib. 1. maluit Pronunciatum appellare: quòd cætera nomina adductiora videantur. In quo videtur falsus. Nam æquè testimonium est scripti, dicti, & facti. Oraculum.) ab ore, vt Priscianus: aut ab oratione, vt Cicero. Venus 1. Æneidos, Certè hinc Romanos olim, &c. Auspicium.) ab auspicienda, vt Festus. Vates.) furore diuino correpti. Vide Sibyllam lib. 6. Æneid. Decem erant interpretes Sibyllinorum versuum Romæ. Aruspex.) ab aruga, vt Donato placet. Cuius exta adhærentia inspiciebantur. In quo testimonio humano insunt, Genera humani testi. quinque, quæ non possis per se examinare, sed ex personæ adplicitis, authoritate, voluntate, orationis genere. Libera oratio, quæ à recta ratione proficiscitur, Expressa ex affectu erumpit. Illa constans est, hæc varia. Quod dicit qui torquetur, Liberum est, si nihil mutet: Expressum, cùm affirmat aliter. Pacta, interposita mercede ad conditionem aliquam. Promissa libera sunt & ex sola promittentis fide pendent. Iusiurandum testimoniis & iudiciis abhibetur: quod vtrunque est iuratorum. Hic tamẽ pro eo quod litigator reo offert vel accipit. Quæsita) tormentis, vel inquisitione facti cognita, vt pro Milone.

COMMENTARIVS. Quoniam igitur.) Primam partem rhetoricæ resumit, atque hoc in loco sequitur resolutionis methodum. Incipit enim à fine, deinde media persequitur. Vt inueniat.) Inuentio rhetorica duos habet fines, vt fidem faciat, & moueat. Inuentio dialectices finem duntaxat vnum habet, vt fidem faciat. Idem statuendum est de inuentione philosophica, quæ motis non vtitur, sed fide duntaxat. Quibus rebus.) Planè sequitur Aristotelem Cicero. Aristoteles quasdam ait probationes esse inartificiales, vt testimonia: sed eas ponit triplices, logicas, id est, rationales, quas complectitur Cicero per locos insitos: Patheticas, & Ethicas, quas Cicero complectitur per motum, qui duplex est, maior & minor. Argumentis quæ ducuntur.) Hæc pars ducitur ab inuentione dialectica, quæ dicitur topice à locis. Cæterùm quod locis attribuit, attribuendum est argumentis quæ inhærẽt in re, cùm ducuntur ab alterutra quæstionis parte, id est, à supposito vel apposito. Sumpta autem argumenta ab authoritate & testimonio dicuntur, quæ sunt extra quæstionem. Eos in quibus.) Appellatio loci metaphorica est. Nam quemadmodum loco continetur corpus aliquod, ita loco continetur argumentum. Est autem locus duplex, propositio axiomatica, quæ cùm sit rectissima, probare solet, vt est apud Aristotelem: & differentia propositionis axiomaticæ, vt apud Ciceronem. Probabile inuentum) Probabile nonnunquam accipiunt dialectici, vt necessario opponitur. Hic verò non ita accipi debet: sed vt Boëtius ait, Probabile quoddam necessarium, quoddam non necessarium: vt, mater est, ergo amat filium, non est necessarium. Spirat, ergo pulmonem habet: necessarium est.

Quæ sine arte putantur.) Alludit ad opinionem Aristotelis, quæ celebratissima erat. Ideóque ea est vsus ad declarationem, quia generaliter appellarat locos assumptos & remotos.

Vt testimonia.) Generaliter hoc nomine vtitur, ac vt in Topicis ait, per testimonia intelligit quamcunque probationem exterius assumptam. Diuinum & humanum.) Diuinum appellat testimonium, quod à religione & diuinatione ducitur. Diuinatio autem apud antiquos fuit duplex, artificialis, vt in auguriis, aruspicibus, coniectoribus: inartificialis, vt in vaticinationibus, & oraculis. Ex authoritate.) Authoritas, vt inquit Cic. in Topicis,

plurimum valet & requiritur in testimonio. sic ducuntur argumenta ab authoritate poëtæ, docti hominis, gentis, ciuitatis. His tamen in rebus vt testimonium sit certius, sæpenumero voluntatem explicamus.

C.F. Quæ sunt quæ dicis insita? C.P. Quæ infixa sunt rebus ipsis, tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex iis rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur. Et ad id totum de quo disseritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio verbi. Ex his autem rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur, alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex cõiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectibus alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum.

STREBAEVS. Locus est aut insitus, aut assumptus. Et argumentũ aliud infixum, aliud remotum, quod extrinsecus adducitur in causam. Assumptum diuisit. Insitum diuidit in quatuor partes, in definitionẽ, in partiũ enumerationem, in notationem, in affecta ad id de quo quæritur. Affecta in decem & treis species distribuit. Hæc eadem vno ad eam rem comparato libello Topicorum tradit ex Aristotele: vnde quod ad rem præsentem faciat, petere possis. Ridiculum putarem, multa quæ Cicero, plura quæ Boetius tradidit, his inferre commentariis. Liber est ad manum, in quo sunt præcepta de ratione locorum digesta. Paucis igitur definitiones & exempla perstringamus. Insita dicuntur infixa rebus ipsis de quibus est controuersia: quæ vel οὐσίαν, id est substantiam, vel συμβεβηκότα, id est accidentia significant. Hæc duo sunt in rerum natura, ad quæ omnia referuntur à sapientiæ professoribus. Substantiæ sunt, totum, & eius definitio, partes, notatio, quæ definitionis est species, genus, forma, differentia quæ speciem constituit. Accidentium verò sunt multæ differentiæ, propria, similia, contraria, adiuncta, comparationes. Antecedentia autem, consequentia, repugnantia, causæ, & effecta, mediam seruare naturam videntur, quæ Boetius ad substantiam refert. Certè non potest antecedens esse, quin sit cõsequens: nec consequens, quin sit antecedens: nec effecta, quin sint aut fuerint caussæ. Sic res habet in iis quæ referũtur ad aliquid, vt nõ est dominus sine seruo, nec seruus sine domino. Hoc tamen non efficit, id quod antecedit, substantiam semper esse: vt, si peperit mulier, cum viro concubuit. Scientia est qualitas, nec tamen esse possit, nisi sit quod sciri queat. Si igitur res subiectas inspicimus, aliæ erunt substantiæ, alia accidentia. Verba hæc, antecedens, consequens, repugnans, & cætera, quandoquidem referũtur ad aliud, in accidentibus erunt. Rationes rerum quæ relatione quadam conferuntur, hoc ipsum quod sunt, aliò referunt, nec tamen in substantiis collocantur, nisi quadam similitudine ducta ab iis quæ propriè ac per se sunt. Sunt qui repugnantia ad accidentia tantum pertinere existiment. atqui si eadem ratio est ærgumentandi ab antecedentibus, & consequẽtibus, & repugnantibus, vt Cicero vult, latius oportet extendere repugnantiæ nomen. Non autem propriè dicimus, Socrates & Plato repugnant: sed repugnantia sunt hæc, eundem numero hominem Socratem esse, & eundem Platonem: quòd in illis est ratio substantiæ diuersa, propter quam Physici non modò repugnare formas, sed esse contrarias quasdam dicere interdum non verentur. Affecta Boetius finit, quæ quodammodo ad aliquid referri possunt, vt ad id cui natura cohærẽt: vt genus est formarum, formæ generis, antecedentia consequentiũ, consequentia antecedentium: cætera eodem modo. Cæterùm quod notauit Cellius, affecta Cicero di-

cit, quæ non ad finē ipsum, sed proximè finem progressa deducta ve sunt: vt de Prouinciis Cōsularibus, Bellum affectum videmus, & (verè vt dicam) propè confectum. Quem si capiamus intellectū, dicentur affecta ad id de quo quæritur, ea quæ totum nō conficiunt, sed ex parte faciunt, nec sunt ipsa per se confecta, sed affecta, quæ rebus aliis adiuncta, plenam recipiunt absolutionem: vt nec animal hominem, nec rationale constituat, sed vtrunque, animal rationale. Quod ea firmius est, quòd hic author frequenter in hunc sensum affectorum nomen vsurpauit, & quòd in Topicis relatiua quæ dicuntur à Boetio, non affecta dixit, sed ea quæ cum aliquo conferuntur.

Quamobrem treis facit locos, quibus totum comprehēditur, finitionem, partium enumerationem, ac notationem: reliquos autem segregat, vt qui non ad totum adhibeantur, sed ad totius aliquam partem, quod affectorum proprium est. Si quis est cui non arridet hæc nominis ratio, sciat me non vt certam firmámque pronunciare, sed inquirere verborum significationes, & experiri, possintne proposito conuenire. An affecta dixit, vt nunc iuris prudentes, rei principia adiuncta atque cōnexa? an cognata & affiniā an ὑπάρχοντα καὶ κατηγορούμενα? an subiecta rei de qua agitur? Quicquid est, affecta sunt insita ac inhærentia, nec adhibentur ad totum probandum. Iam ad singula veniamus. Definitio est, authore Cicerone, earum rerum, quæ sunt eius rei propriæ, quam definire volumus breuis & circunscripa quædam explicatio. Rhetorice est bene dicendi scientia. bene dicere præclarū est. igitur Rhetorice præclara est. Partium enumeratio, quæ duas plureśve partes numero ponit, vt aliquid inde colligatur. Ciuis est, ergo natus, aut factus. non est natus, ergo factus. non est neque natus neque factus, nō igitur ciuis. In partium enumeratione intelligitur & diuisio formarum. Sunt qui diuisionem in locis habendam negent, fortè quòd Aristoteles ostenderit definitionem à diuisione non posse demōstrari. At idem Aristoteles in Topicis locum à diuisione semel & iterum ponit. Verba philosophi transcriberem, nisi breuitati studerem. Notatio, vis est verbi, quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, id est veriloquium, quod verbum tanquam durius euitat, notationémque subiicit, quia sunt verba rerū notæ. Si Consul, patriæ consulit: M. Antonius autem patriam euertit, non est habendus Consul. Non assentior iis qui nomen subiiciunt accidenti: propterea quòd nomen inuoluit atque implicat quod definitio pluribus exponit. Nomen igitur & definitio sunt eiusdem rei, non alterum est rei, alterum accidentis. Quòd si nomen mutatur vt accidentia, nihil est ad Ciceronem improbandum, qui rem, non verba spectat, nisi quatenus subseruiunt rebus. Notatio exprimit vim nominis. Nomen dum manet, confertur ad rem, totúmq; designat. Indignum est, meo iudicio, vana quadam subtilitate violare atque dissipare grauitatem summi viri, cui penè omnia referre debent accepta, qui grauiter & copiosè aliqua de re disserere possunt. Nomen vt est vox, rei accidit: vt substantiam significat, sequitur rem, sine qua inane est. Coniugata sunt, quæ ab vna origine deducta, variè flectuntur, vt pascuū, pasco, cōpascuus. Iustus, iustitia, iustè. Iustè facit, iustus est igitur. Mori miserū non est, nō igitur misera mors est. Coniugatis frequenter vtitur Aristoteles in Topicis, & ea separat à casibus, qui ferè sunt nomen & aduerbium, vt sapiens sapienter, temperatus tēperatè. Genus est quod habet formas, vt animal hominem & beluam. Virtus prudentiā, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Virtus non est agere malignè, non igitur prudentia est malitia fallendi. Forma vel species, quæ genere continetur. Si furtum est, vitium est. Nouit artem, qui nouit grammaticen. In specie continentur & singula, quæ dialectici vocant indiuidua. Odit se nemo, non igitur Cato, qui sibi manus attulit, oderat se? Similitudo, rerum collātio per qualitatem. Cicero, Vt cursu cursus, sic in viris fortibus virtus virtute superatur. Differentia, qua res à re differt, siue in rei substantia est, vt rationale: siue proprium est, vt rostrum habere (proprium enim nomine differentiæ continetur) siue accidens, vt album esse, sedere, dormire. Complectar vno verbo: Quicquid simile non est, differens est, vt hic sumitur differentiæ nomen. Seruit, ergo seruus est: hæc sunt coniugata. Dissolue per differentiam, Aliud est seruum esse, aliud seruire: addictus quidem seruit, neque is est seruus. Nam differentia ad refellendum plurimum valet. Dicet aliquis per differentiam intelligi tantum dissimilitudinem: sic enim similitudini opponitur. Non est ita: nō secluditur illa differentia substātialis, de qua tam multa Aristoteles, à quo rationes locorum duxit Cicero. Nec differentia & similitudo sunt contraria: sed differenti substantia, idē: differenti quantitate, parti differenti qualitate, simile opponitur. Contrariorum, quæ ab aliis opposita dicuntur, quatuor sunt genera: Vnum eorum quæ Cicero dicit aduersa, vt sapientia, stultitia. Alterum est priuantium,

id est, habitus & priuationis, vt dies nox, lux tenebræ, videns cæcus. Huc refert Cicero quæ negantur per præpositionem, in: vt dignitas indignitas. Aliud eorum quæ cum aliquo conferuntur, relatiua nominant, vt maius, minus. Aliud contradicentium, vt est, non est. Coniuncta vocantur aliter adiuncta: vocantur etiam à Quintiliano consequentia. Sunt ea quæ natura finitima, sæpe quidem, non tamen necessariò cohærent, vt metus pallor: vt verecundia rubor: vt amor, stuprum. Venenum dedit nouerca. Non læsit filium mater. Fugit mali conscius. Adultera est, luat cum iuuenibus. Admonet hic locus, vt quæratur, quid ante rem, quid cum re, quidque post rem euenerit: vt, cædem antecedunt rixæ, comitatur perturbatio, sequitur fuga. Hinc oratoribus innumerabilia ducuntur argumenta. Eò siquidem multa signa referuntur: deinde multæ causarum quæ nõ agũt necessariò, vt ira, superbia: ad hæc multæ πρόλαψεις, id est appẽdices, & multæ quæ dicũtur circũstãtiæ rerũ atque personarũ, vt patria, genus, educatio. Antecedẽtia sunt, quibus positis aliud cõsequatur necesse est: vt incũbente mari procella, sequitur fluctus. Itẽ ab antecetibus argumentũ ducitur, quũ assumimus antecedẽtia ad inferẽda consequẽtia. Si dies est, nox nõ est: dies est autẽ, nox igitur nõ est. Consequẽtia, quæ rẽ necessariò consequũtur. Si messis est, satum est. Si spirat, viuit. Et consequentia quæ sic inferunt antecedentia, Si homo est, animal est: non est animal, non est igitur homo. Repugnantia, quæ contrariis adiuncta, cum re nunquam cohærere possunt: vt amare, odisse, contraria sunt. Odio cædes adiungitur: repugnant igitur amare, occidere. Repugnat etiam quicquid eiusmodi est, vt cohærere nunquam possit. Cicero in Topicis, Adiuncta, inquit, de quibus paulò antè dictum est, non semper euenunt, consequentia autem semper. Ea enim dico consequentia, quæ rem necessariò consequuntur. Item quæ & antecedentia & repugnantia. Quicquid enim antecedit quanque rem, id cohæret cum re necessariò. Et quicquid repugnat, id eiusmodi est vt cohærere nunquam possit. Hæc ille. Quæ sententia cùm vera esset & perspicua, ac propter adiuncta quæ necessariò non cohærent, inuentus esset hic locus, non defuerunt tamen qui diuinum Oratorem, tanquam parum vidisset, arguerint. Nos optimum ducẽ sequemur: dicemúsque plurima esse in rerũ natura sibi cohærentia: si nõ semper, adiuncta sunt: si semper, antecedentia, aut consequentia, aut ex contrario repugnantia. Cur non arguunt Aristotelem, qui hunc locum assignauit secundo Topicorum? Habet illum ducem Cicero. Hi tres loci natura, sed est vna ratio inuenienẽdi argumenti. Quamobrem frustra desudat Boetius, qui probare contendit vnum esse locum, quem Cicero tripertitum facit. Si vnus est ac idem numero locus, cur sunt tres variæ definitiones? cur rationes diuersæ? cur argumentũ ad antecedens referri potest, vt non referatur ad repugnans? cur Cicero in numerandis his alia & alia repetit, vt in diuersis? Causa est, quæ rem efficit vel sola, vel cum aliis iuncta. Auaritia captus, nunquam quiescet. Causarum alia necessaria: vt, si corpus est in luce, vmbra est. Alia non necessaria: vt, si amat eam, ducet vxorem. Rursus causarum genera duo sunt. Vnum quod efficit, vt ignis accendit. Alterum sine quo res non efficitur, vt materia, tempus, locus: quæ causæ stolidæ ab ipso nominantur in Topicis. Ad hoc secundum genus pertinet illa causa formalis toties recantata, materialisque: ad prius autem causa efficiens atque finalis: quæ verba spinosa nõ tractat Cicero. Vide secundum Τοπικῶν partem. Causa formalis est duplex. Est enim forma quæ speciem constituit, est forma accidentaria. Prior vt agit, est causa efficiens. Author est Aristoteles secundo de Anima. Hanc inepti referunt ad differentiam, qui tamen nomine differentiæ fabulantur solam intelligi qualitatem. Quum dico causam formalem pertinere ad secundum genus, intelligo causam accidentariam, quã Quintilianus ostendit in poëtas non potuisse volare Dædalum. Addo etiam formam substantialem, quum accidentibus tribuuntur actiones, vt à medicis quædam, & ab aliis qui more physicorum non loquuntur. Hoc modo calor naturalis alimentum conficere dicitur, quod nequeat sine forma viuentis, hoc modo abundantia parit iniuriam. Effecta sunt quæcunque efficiũtur ex causis: vt, Titubat, ergo ebrius est. Comparatio maior & minor rerum collocatio est in dispari quantitate. A similibus vtranq; segregare, nihil difficile est. Illa sunt qualitatis, hæc autem quantitatis. Comparatio parium non facilè separatur, nisi dixeris esse tantum in quantitate. Qui separare conati sunt, exhausto labore rẽ fecerunt incertiorẽ. In similibus aiũt nõ esse tertiũ quiddã, quod sit in cõparatione, quod falsum puto. Nã duo minimùm conferũtur, & accidẽs est tertiũ, in quo cõueniunt. Relinquamus igitur hanc subtilitatẽ, neq; enim propter eam similitudo & comparatio diuiduntur. Exempla sunt, Si quis sacrilegium facit, faciet fur-

tum. Qui facilè ac palàm mentitur, peierabit. Qui ob rem iudicandam pecuniam accipit, & ob dicendum falsum testimonium accipiet. Hæc de locis angustè locuti sumus.

LATOMVS. Tum ex toto, tum ex partibus.) Totum est, quod definitur. Partes, tum formæ, tum membra totius. Notatio, verbum quo totum significatur. Quæ tria quãuis per se singula eandem rem subiectam habeant, tamẽ differũt ratione & inueniendi materia: itaq; diuersos locos efficiũt. Quæ quodãmodo affecta sunt ad id de quo quæritur.) Affectas res vocat quæ ad aliud referuntur, quas in Categoriis πρὸς τι appellat Aristoteles. Sub quo genere hic omnia comprehenduntur, quæ extra rei substantiam sunt, & prioribus tribus, definitione, partibus, & notatione, cõtinentur. Et ad id totũ, de quo disseritur.) Monet prædictos locos in disserẽdo certis formulis includẽdos esse, vt rectè atq; vtiliter proferantur, nempe vt in toto sumendo definitione, in partibus enumeratione, in verbo nominis interpretatione vtamur. Sed sunt qui hæc etiam simpliciter sumant, & conuertant in argumentando, vt à definito ad definitionem, à toto ad partes, à nomine ad ipsius interpretationẽ: quæ sanè inutilia & nugatoria sunt, cùm vel obscuriora sint iis quibus adhibentur, vel certè æquè nota ignotáve. Illa veriora, cùm ex vna parte totum colligitur, vt nauigium instructum non esse, cui vela desint: interire hominem, cui caput ablatum sit: exercitum, cuius dux perierit. Quæ tamen perpetua non sunt, sed ex partium conditione pendent, quarum diuersitas explicatur ab Agricola. Argumentum ex definitione est, legem esse, quod populus iusserit. A partium enumeratione: quod senatui, equitibus, & plebi Romano placuerit, id vniuersæ ciuitati placuisse. A notatione, Consulem Pisonẽ non fuisse, quoniã Reipub. non consuluerit. Alia coniugata appellãtur.) Coniugata sunt, vt homo sum, humani nihil alienum à me puto. Sceleratum esse Antonium, qui quotidie aliquid sceleris moliatur. Ex genere.) Nihil egisse Clodium in Tribunatu, ergo legem nullam de capite suo latam fuisse. A forma.) Bellum esse, si tumultus sit. Antonium dissoluisse acta Cæsaris, cùm legem illius de prouinciis sustulerit, quia leges sint in actis. A similitudine.) Similitudo ad qualitatem, comparatio ad quantitatem pertinet. Sed paria & similia Ciceroni in idem recidunt. Quæ ab Agricola exactius distinguuntur. A simili igitur est, Ergo Spartacus hostis, ciuis Antonius? Sicut Helena Troianis, ita Antonius causa belli, causa pestis atque exitij pop. Rom. fuit. Sunt & similitudines quæ lucem rebus afferunt, quæ non sunt huius generis: sed ad ornandum pertinent, vt aliquem ex concione, tanquam ex incendio effugisse: Verrem vt tempestatem Siciliam totam peruasisse.

A differentia.) Hæc similitudo est, & tum ad formas diuersas, tum ad alias dissimilitudines pertinet: vt differre principem à tyranno, quia legibus imperet. Non vt Neptunum, ita Herculem deum fuisse: quia hic mortalis, ille immortalis fuerit. Non vt sacrificij, ita cõsilij certum diem expectandum esse. Vocem vnam auditoribus multis sufficere, non ita cœnam esurientibus. A contrario.) Si Cos. Brutus, hostis Antonius: si Antonius hostis, cõsul Brutus. Si pax turpis cum Antonio, bellum honestum: si honestum bellum, pax turpis. Ex coniunctis.) Hæc adiuncta vocantur in Topicis, contingentia à Rodolpho, ab aliis communiter accidentia appellantur: vt, formosam, adulteram esse: bene coloratum, sanum: qui lato pectore sit, fortem: qui fugerit, expalluerit, inconstanter locutus sit, criminis conscium. Ex antecedentibus.) Hi tres loci non simplices sunt, sed connexi: nec absolutè in re, sed in certa lege existendi sunt positi. Itaque sumuntur ex conditione, & certa formula constant: cùmque ex cæteris ducantur locis, nõ valent vlla in re, nisi consecutionem necessariam efficiant. Cohærent igitur necessariò antecedentia cum consequentibus, & è conuerso hæc cum illis. Repugnantia autem necessariò dirimuntur. Argumentum ex antecedentibus est, Si locare licet, & conducere: si cognoscere, & iudicare: si absoluere, & condemnare. Deinde sumitur id quod antecessit: licet autem absoluere, ergo & condemnare. Et rursus ex consequentibus, sed tollendo quod annexum fuit: Atqui condemnare non licet, ergo nec absoluere: nec cognoscere causam, ergo nec iudicare. Ex repugnantibus autem, Non si cõdemnare non licet, & absoluere: non licet autem condemnare, ergo nec absoluere: vel, si licet absoluere, & condemnare. Pugnant enim inter se, licere vnum, & alterum non licere: quare altero posito, alterum tollendum est: & econtrariò, sublato altero, alterum ponendum. Quomodo autem hæc sumenda sint, & quando ponenda tollendáve, dantur certæ regulæ à dialecticis, ex quibus conclusiones multæ efficiuntur. Sed hæc dialectica sunt. Oratoria autem hæc ipsa, nisi quòd in eloquendo aliter tractantur. Aut enim diriguntur in circuitu, vt breuius dicantur: aut quo acrius ve-

uiant, in enthymemata coniiciuntur. Circuitus est, Cùm par ius sit vt absoluendi, ita condẽnandi eius, de quo iudicium fieri oportuit: non debet iniquo animo ferre reus, si cùm legibus absolui potuerit, legibus condemnatus sit. Enthymema autem: qui iure absolui potuit, damnatum iure improbas? Ex repugnantibus, Quæ fuisset igitur causa restituendi mei, nisi fuisset iniusta eiiciendi? hoc est, restitutus sum iustè, ergo iniustè eiectus sum. quod sic concluditur, Nõ si iustè restitutus sum, iustè eiectus fui: Atqui restitutus sum iustè: ergo iniustè eiectus fui. Quã cõclusionẽ vocãt in tertio modo cõditionaliũ, quẽ vide in Top. Ex caussis.) Vt, Bibit venenũ, ergo moritur. Metuit ab homine, sperauit cõmodũ, iratus, inimicus fuit: occidit igitur. Ex effectibus.) Magnas res gessit Pompeius, ergo magnus imperator fuit. Periit in legatione Seruilius, ergo respub. ei causa mortis fuit. Ex comparatione,) A maiori, Cum Cæsarem non tulerimus, Antonium feremus? A minori, Si propter legatorum violationem deleta Corinthus fuit, quanto dolore vlciscenda est vrbs deleta à Gallis? Si Annibal hostis, hostis Antonius. A pari, Qui Bauiũ non odit, amet tuo carmina Mœui. Si tutor fidem præstare debet, debet & procurator, debet ũ cui alienum negotium mandatur.

HEC ENDORPH. Quæ sunt insita) Hoc est, qui loci in eo ipso de quo agitur, hoc est vocibus in quæstione aliqua positis, subiecto scilicet & prædicato, hærent ita, vt ab illis argumẽta ducantur: vt sit quæstio, an seditio sit bellum simplex. Prior vox est subiectum, posterior est prædicatum. Ex illis vocibus ducuntur argumenta à finitione, vel ex toto, vt inquit Cicero hic. Quid est seditio? motus ciuium aduersus magistratus. Quid bellum? Dissensio hostilis, per quam arma concitantur. Porrò hic locus finitionis insitus est vocibus: educitur verò, vt declaretur an seditio bellum sit simplex. Item si ab alicuius termini in quæstione positi partibus argumentum ducatur, est locus à partibus: si à nota nominis, est locus à notatione. Quæ infixa sunt rebus.) Id est, inclusa sunt vocibus in quæstione aliqua positis, quæ licet per se res sint, tamen si quis ab his argumenta deriuet, loci sunt. Tum ex toto.) Id est finitione: quæ totum appellatur, quòd totam rei naturam & essentiam explicet: vt, Orator est vir bonus dicendi peritus, Pietas est rectus dei cultus. Ex notatione.) Id est nota nominis, hoc est significatione, quia nomen omne rem notat atque significat: quòd nomen semper in ipso est quod interpretatur: vt, De deo disserit, ergo theologus est. Debet, ergo debitor est. Quodammodo adfictæ sunt.) Adficta hic dicuntur, quæ quodammodo ad aliquid referri possunt. Omnia verò quæ se mutua relatione respiciũt, aut concordia inter se aut discordia conferuntur. si concordia, vel ὁμοιοκλῶς, id est substantialiter: vt genus, forma, antecedentia, consequẽtia, causa, effectus. vel qualitate, vt coniugatum, simile, coniunctum. vel quantitate, vt paria. Si verò discordia conferuntur, & hoc in qualitate, quantitate, maiori, minori. Vide Boetium in Topicis Ciceronis. Ad id de quo quæritur.) Id est terminum in quæstione positum. Coniugata.) dicuntur quæcunque ab vno nomine varia terminatione flectuntur: vt à iustitia iustus iustè. ab illis sic colligimus: Iniusta facit, ergo iniustus est. Animalia sapit, ergo animalis homo est. Similitudo) Est vnitas qualitatis. illa enim similia sunt, quæ in qualitate vna conueniunt. Ab illa sic colligere poteris: Iustitia est virtus, ergo etiam prudentia. Si iurisconsulto verecundia est loqui sine lege, vt. l. illam, C. de colla. ergo etiam theologo sine literis sacris loqui pudori fuerit. Differentia) Est qua vnum differt ab alio, sic homo differt ab equo differentia rationali. Ab illa sic colligimus: Animal rationale est, igitur homo est. animal rugibile est, ergo leo est. Contraria.) Dicuntur quæ in eodem genere posita, longissimè à se discrepant: vt album, nigrum. Ab illis sic collige: Color albus est, ergo niger esse non potest. Iustitia Christi iustificat homines, ergo non iustitia humana. Coniuncta.) Quæ ita coniunguntur, vt vnum alterum sequatur: vt, timori pallor coniunctus est. Ab illis sic ratiocinari possimus: Pallet, ergo timet. Sic Paulus 1. ad Corinth. 3. A Emulatio, contentio, factiones inter vos sunt: ergo carnales estis. Antecedentia.) Sunt quibus positis aliud necesse est vt consequatur, vt bellum & inimicitiæ. à quibus sic collige: Bellum est, igitur inimicitiæ sunt. Cicero pro Milone: Neque in iis corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest aliquid quod vigeat & sentiat, & non inest in hoc tanto naturæ tam præclaro motu. Consequentia.) Dicuntur quæ id quod antecedit, insequuntur: vt, Ex deo est, ergo verbũ dei audit. Christianus iudex est, ergo non indicta causa aliquem condemnabit. Piè vult viuere, ergo adflictiones patietur. 2. ad Timotheum 3. Ex repugnantibus.) Repugnantia est dissimilis rerum habitu-

do: vt, Amicitia est, ergo inimicitia non est. Causa.) Est qua præcedente aliquid efficitur. Ab effectibus.) Effectum est, quod præcedēs eam efficit. Ex comparatione.) Maiorum comparatio est, quoties ei quod minus est, id quod maius est, comparatur: vt, Si bellum gerere licet, ergo etiam litigare in iudicio licebit. Parium comparatio est, quoties inter se paria comparantur: vt, Si puniendus est qui patrem occidit, ergo etiam qui matrem. Minorum comparatio, quoties maiora minoribus tribuuntur. Cur isti loci adfecti dicātur. De coniugatis primùm dicam. Iustitia ad id quod iustum, vel iustè fieri potest, & eum qui iustus est, respicit. Genus cognatum est eius cuius est genus, id est speciei. Species, generis species est: itaque ad se inuicem referuntur. Iam simile nisi simile esse non potest. Contraria contrariis intelliguntur esse contraria. Coniuncta coniunctis adhærescunt. Antecedentia referunt id quod consequitur. Consequens, ad id quod antecedit. Repugnans, repugnanti sibimet est inimicum. Causa, effectus sui causa est. Comparatio, maiora respicit. Minorum verò maiora, parium paria, &c.

LEODEGARIVS. Quæ sunt quæ dicis insita?) Apud Aristotelem reperias plura argumenta artificialia quàm hoc catalogo numerentur, sed Cicero contentus est magis necessariis. Quæ quodammodo.) Locus hic complectitur omnia quæ sunt in substātia rei posita vel accidente: modò non totam substantiam significent. eam enim complent loci tres superiores. Et ad id totum.) Agit de vsu argumentorū: appellat autem totū hoc loco ipsum thema cuius instituitur explicatio. Tū definitio.) Definire, est explicare rē conclusam intra fines naturæ suæ. Definitio igitur est, quæ id quod inuolutū est euoluit. Quædam autē definitio est propria, quæ dicitur dialecticorum, constátque ex genere & differentia, vt scientia bene dicendi, est definitio rhetorices. Quædam verò est impropria, quæ sæpe oratores & poetæ vtūtur, quæ constat cōmunibus & accidentibus, & dicitur descriptio. Vide cap. 10. lib. 5. apud Quintilianum. Est autem optimum argumentum à definitione: vt si quis ita ratiocinetur, Furtum est contrectatio rei alienæ inuito domino: sed tu hoc facis, ergo fur es. quia enim definitio furis conuenit, vides conclusi furem esse. Tum partium enumeratio.) Enumeratione partium sic vtendum est, vt nullam relinquamus: præsertim vbi pauca sunt, & facilè sub intellectum cadunt. Porrò sub partium enumeratione licebit complecti etiam diuisionem. sit ergo hoc exemplum, Tu es tutor, ergo vel testamētarius, vel legitimus, vel datiuus (hoc est, à iudice datus) Sed nullus horum dici potes, ergo non es tutor. Tum notatio verbi.) Sic Cicero in Topicis, Multa etiam ex notatione sumuntur. Ea est autem, cum ex vi nominis argumentum elicitur, quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, id est (verbum ex verbo) veriloquium, &c. Vt tutores, quasi tuitores: sicut æditui, qui ædes tuentur. vt vult Iustinianus titulo de tutelis, lib. pri. Institut. ciuil. Non tamen admodum vehemens est argumentum à notatione seu nota: nam aliquis potest aliquem tueri, qui non est eius tutor. Etymologia (inquit Oldendorpius) non verbi solùm, sed etiam rei de qua quæritur, veram interpretationem sequitur: quare species definitionis censenda est meritó. Coniugata.) Aristoteles addit cōiugatis casum: est autem casus, inflexio nominis in aduerbium: vt, quoniam Carthaginem delere vtile est, ergo vtiliter potest deleri. Ex genere.) Genus (inquit Quintilianus cap. 10. lib. 5.) ad probandam speciem minimum valet: plurimum ad refellendam. Itaque non quia est arbor, platanus est: at quod non est arbor, vtique platanus non est. Ex forma.) Species firmam habet probationem generis, infirmam refutationem. Nam quod iustitia est, vtiq; virtus est: quod nō est iustitia, potest esse virtus, vt si est fortitudo, cōtinentia, constantia. Ex similitudine.) Cicero in Topic. ad similitudinem refert inductionem, & exemplum. vt etiam Quintilianus facit, lib. 5. cap. 10. Quomodo autem similitudo, & exemplum, & comparatio differant, tradit Rodolphus Agricola lib. de Inuentione dialect. pri. cap. 25. Ex differentia.) Differentia seu dissimilitudo cognoscitur ex priuatione similitudinis. (nam contrariorum eadem est disciplina.) Est igitur eiusdem inuenire dissimile & simile: differentiæ hoc erit exemplum, Non si lætitia bonum, & voluptas. Coniunctis.) Coniuncta dicuntur communitur contingentia, quòd communiter contingant, & propè coniungantur, vt auaritia & senectus: nam omnia vitia cum homine consenescunt, sola auaritia inuenescit. hæc vocat in Topicis adiuncta: in libro ad Q. Fratrem, vocat consequentia. Porrò adiuncta ita antecedunt, aut sequuntur rem, aut cum re coniuncta sunt, vt tamen nulla necessitas sit antecedēdi, aut sequendi, aut cohærendi: vt quanuis furtum & paupertas coniuncta sunt, non tamen necessariò sequitur, ille pauper est, ergo fur:

multi enim pauperes vixerunt honestè, vt patet de philosophis. *Ex antecedentibus.)* *Antecedentia differunt ab adiunctis, quòd adiuncta non necessariò gignant, sed antecedētia necessariò: vt, si homo est, animal est: quod idem dici debet de consequentibus, vt si lac habet, peperit.* *Ex consequentibus.)* *Sæpe quæ naturaliter sunt priora, tamen sunt consequentia, vt seges est, ergo satum fuit: Sæpe quæ priora sunt naturaliter, etiam priora ponuntur, vt si superlus est, odiosus est. Nec refert an præcedat an sequatur, dum annotemus rem esse antecedētem, quæ alteram rem necessariò secum trahat.* *Ex repugnantibus.)* *Vt, stultus est, ergo non sapiens, (nam sapientia prima stultitia carruisse) quo exemplo vtitur Quintilianus lib. 5. tit. de argumentis.* *Ex causis.)* *Causa (ait Cicero de Fato) est quæ id efficit cuius causa est: vt ignis est causa caloris. Porrò de causis fusè disputat in Partitionibus & Topicis.* *Ex effectibus.)* *Cùm omnis effectus sit à præuia causa (nihil enim sine causa fit, vt ait Plato in Timæo) sanè locus ab effectibus coniunctus est cum loco causarum: vt enim causa indicat quid effectum sit, sic quod effectum est, demonstrat quæ fuerit causa.* *Ex comparatione.)* *Omnis comparatio duplex est: aut enim comparantur æqualia inuicem, aut inæqualia: in æqualibus semper notatur eadem æqualitas. inæqualia duorum membrorum sunt: maioris, & minoris. Nam quod minus est, non per se minus est, sed comparatione maioris: Et quod maius, comparatione minoris, vt rectè censuit Boetius. Itaque Quintilianus vocat comparatiua, apposita: quòd vnum alteri apponatur. Maius est, à quo minus continetur. Minus est quod maiori supponitur. Par est quod nec continet, nec continetur, sed æqualitatis comparatione confertur. A minori sic arguimus, si furtum scelus est, ergo & sacrilegium. A maiori sic, Si marito adulterum interficere licet, ergo & loris cædere: quoniam non debet cui quod plus est, licet, quod minus est non licere. A pari sic, si patris interfector debet insui culeo cum gallo gallinaceo, & cane, & vipera, & simia, & in vicinum mare vel amnem proiici, ergo & matris occisor eodem supplicio debet affici: paria enim sunt, occidere patrem, & matrem.*

IOAN. A FOSSA. Quæ sunt quæ.) *Non quærit definitionem, sed genera insitorum.* *Cùm ex toto.)* *Locus à nemine quod sciam adhuc animaduersus: hic tria habes, Totum, partem, notam, quæ ponuntur in conclusione vt dubia: ad quæ adhibentur vt certa in antecedente, Definitio, Enumeratio partium, Notatio. lege secundum de Oratore. Ergo vt definitio à toto, id est, definito distinguitur: Sic notatio à nota, id est, vocabulo. Quare emaculandus locus.*

Ex iis rebus quæ quodam modo affectæ.) *Fabius libro quinto, cap. 10. dicit Ciceronem iis quæ sunt ad aliquid genus & formam subiecisse, Tamen non malignè crediderim, quando quod ad alterius confirmationem adhibetur, debet esse coniunctum, vt colligit Rodolphus, affecta omnia esse argumenta, sed alia magis, alia minus. Vnde adiecit, Quodam modo.* *Vt definitio.)* *Iudicant doctorum alij hic enumerari magis locos æmulos, & illarum verarum stabiliúmque sedium similes, ac oratorios potius quàm dialecticos, hoc est liberiores. Alij censent esse exempla typica, & res subiectas declarari. sic fortasse nō ineptè distinxeris: illi theseos perpetui: hi hypotheseos desiderij: illi ad fidem, hi etiam ad motum. Nam qua de re agitur, est Controuersiæ: quod verbum à iurisperitis fluxit: sicq; inuentionem quodammodo paulò antè diuisit. Tum notationem sub definitione clauderes: diceres verò personas certas respuere Coniugata, aut quid simile. Mea tamē sententia locus est corruptus: deesseque tale quidpiam, Et ex rebus quodammodo affectis adhibentur ad id de quo disseritur: Vt, &c. vt sint loci argumentorum inuicem probantium. Coniugatū coniugato probatur, & contrarium contrario, ac deinceps. Ac veluti tria proposuit intima, Totum, partem, notam: ad quæ extima afferrentur, Definitio, Enumeratio, Notatio: Ita iecit fundamenta, hic fastigia sunt. Sed tamen tanta non est commoditas. Prima non potes retro agere citra nugationem: posteriora potes, vt non semper argumentēre à prioribus. Legendum videtur, vt coniugatio, non vt definitio. Relationem ex eo cognosce quòd bina collocat. Vnde etiam legendum, vt primordia rerum, & quasi præcurrentia, aut digressiones (quas Græci καβάσεις vocant) in quibus inest aliquid argumenti quibus significantur initium, incrementum, summa. Si enim primordia sunt, oportet & esse euenta.*

COMMENTARIVS. Insita.) *Omnia sunt in arte argumenta, vel tractatione, vel inuentione. Inuentione insita, tractatione assumpta.* *Ex toto.)* *Totū appellat definitionem, quia definitio totam rei naturam & essentiam complectitur. paulò post latius accipiet*

totum, pro tota rei complexione. Sed nunc vocabulum donat definitioni propter excellẽtiam, quia perfectius & absolutius totum complectitur, quàm vel partes vel notatio. Ex notatione.) Appellat notationem etymologiam, quia secundum Aristotelem verba sunt rerum notæ. Bona autem etymologia debet notare rei naturam. Ex iis rebus.) Sic est locutus, vt significaret in omnibus affectis rebus non esse veram relationem, sed qualemcunque tamen respectum. Et ad id totum.) Locos antea positos explicat, & quo pacto sit ex his argumentandum docet. Nam pro toto nunc dicit definitionem: pro partibus, partium enumerationem, quæ species est argumentandi: pro notatione, notationem verbi, vt doceat notandam esse verbi interpretationem. Fabius libro quinto paulò aliter. Nam hæc omnia ad definitionem refert. Definimus enim aut per vniuersam vim, aut per partes, aut per etymologiam. Tum definitio.) Cicero in Topicis, Definitio euoluit quod inuolutum est: vt, Ius ciuile est æquitas constituta iis qui eiusdẽ ciuitatis sunt ad res suas obtinendas: Eius autem æquitatis vtilis est cognitio: ergo iuris ciuilis scientia vtilis erit. ** Ex consequentibus.) Argumentamur à consequentibus, cùm posita conditionali assumimus contrariũ antecessionis. Ex repugnantibus.) Argumentamur à repugnantibus, cum assumimus consequentia, adiicimúsque duas negationes: aut cùm assumimus contraria, & inferimus duntaxat vnam negationem. Vtrobique diuersa est forma argumentandi.

* Vt definitio, vt contrarium, vt ea quæ sunt ipsi contrariórũ: eius aut similia, aut dissimilia: aut consentanea, aut dissentanea: aut ea quæ sunt quasi coniuncta, aut ea quæ sunt quasi pugnantia inter se: aut earũ rerum de quibus agitur, causæ: aut causarum euentus, id est, quæ sunt effecta de causis, vt distributiones, vt genera partiũ, generúmve partes, vt primordia rerum, & quasi præcurrentia, in quibus inest aliquid argumenti: vt rerum contentiones, quid maius, quid par, quid minus sit: in quibus aut naturæ rerum, aut facultates comparantur.

STREBAEVS. Quæsiere permulti quid sibi vellet hic Cicero, cur hic locos repeteret, quod nec aliis libris ipse fecisset, nec scriptores cæteri qui Topicam rationem tradiderunt. Arbitrabantur ex iis quos vidimus, nonnulli, summatim colligi superiores locos. In quo mihi falli videbantur, quòd earum rerum fiat coaceruatio, quæ sparsæ fuerunt: hic autem locos tanta breuitate numeraui, vt nulla fuerit opus repetitione. Dicam quod sentio. Postea quàm posuisset argumentorum sedes, quæ veræ & stabiles essent, vidit alias esse non ita dissimiles, quæ quantum parum distarent, nihil distare viderentur: vnde quoque liceret oratoribus argumenta producere: iis porrò nomina defuerunt superioribus igitur quadam similitudine comparauit: quod ostẽdunt hæc aduerbia, vt, quasi, sæpe repetita: quæ tum demum congruunt, si qua fortè ducitur aliunde translatio sermonis. Est igitur vera finitio, quædam imago finitionis. Sunt verè contraria, quædam similia contrariorum. An hæc repetitio pertinet ad fictionem, quam omnes peragrare locos scribit Quintilianus in quinto? Non opinor. Nihil habet nouæ fictio præter hypothesin, quæ quidem non mutat locum, sed fingit id esse quod non est: quamobrem potius est figura, sicut fictio personarum. Hic autem non agitur de figuris, neque de fictis locis, neque de fictis rationibus & argumentis, sed de sedibus quadam similitudine constitutis. Nec aduerbium, quasi, fingentis est, sed similia conferentis. Sicut syllogismus qui ducit ad incommodum, siue ἐς τὸ ἀδύνατον, quique fit per κατάθεσιν, nihil variat figuras, ita nec fictio locos. Et sicut non est Geographi scribere loca quæ ars memoriæ fingit, ita non est rhetoris in artem referre quos quisque sibi fingat locos inuentionis. An hæc repetitio fit vt ostendantur principes oratorum loci? Non enim repetiuit omnes. Neque istuc quidem. Frustra enim hæc duo aduerbia, vt, & quasi, toties inserentur enumerationi: & facilius excepisset incultos (siqui sunt inculti & infrequẽtes) quàm regressus esset per omnes cultos. An priore loco statuit vocabula artis, posteriore nomina exemplorũ: hoc est, an de-

18 Dictata

** Annotationes aliquot hic omissas reperies in fine libri, ad hoc signum **

* Alij, velut loci.

finitio in enumeratione prima nomen est loci, in secũda significat aliquam definitionem ad eum locum reducendam? Hoc si affirmem, multa me incommoda sequantur. Primùm, exempla quæ rem illustrare debent, nihil afferent lucis, eisdem nominibus, parique breuitate designata. Deinde non aptius dicetur, Definitio est locus vt definitio, quàm, narratio pars est orationis, vt narratio. Nemo autem sic exponit idem per idem. Quis ita loquitur, Prima coniugatio verborum habet a, productum in secunda persona tempore præsenti indicantis modi, vt prima coniugatio? Nónne istud absurdum est & inauditum? Non aliud est prima coniugatio, quàm prima coniugatio, nec definitio quàm definitio. Præterea definitio erit in definitione, & contrarium in contrario, & contentio in contentione, & idem in seipso. Nam in secunda enumeratione definitio non vnam significat orationem, quæ quid res sit, breuiter exponit. Alioqui sensus erit, definitio locus est, vt aliqua vna definitio: hoc autem tam ridiculum, quàm istud est, Exclamatio color est rhetoricus, vt aliqua exclamatio: quasi nomen artis sit color rhetoricus, non id quod significatur per illud nomen. Ad hæc cum hæc oratio, animal rationale, definitio hominis appellatur, quæro an artis nomine dicitur, an non? Artis, inquies. Nónne quoties definitio appellabitur, nomine artis appellabitur, vt animal genus? Sané. Quomodo igitur hic definitio nomen erit artis, & nõ erit? Constat enim animal rationale definitione comprehendi, & ea quæ loci, & ea quæ exempli significatrix est. Et quemadmodum in hac oratione, omne genus habet species, genus est secundæ significationis, vt dialectici loquuntur: sic & in hac, Quoddam genus habet species. Eodem modo dicendum de definitione in vniuersum, & de aliqua definitione. Alij comminiscẽtur aliud: quàm bene, viderint. Ego de locis per similitudinem dictis hand esse factam descriptionem existimo. Iam experiamur exempla. Vt definitio.) Si comœdia est imitatio vitæ, speculum consuetudinis, imago veritatis, illa certè legenda est. Vt contrarium.) Nihil educationi pueritiæ contrarium magis, quàm patris indulgentia: tollenda igitur. Educatio & indulgentia non sunt contraria, sed quemadmodũ contraria se demoliuntur, sic bonos mores corrumpit indulgentia. Hoc modo in orationibus multa facit contraria videri, quæ non sunt ipsa contraria, vt iudicium Censorum pro Cluentio. Vt similia.) Cicero Philippica quinta, Quid interest vtrum hanc vrbem oppugnet, an huius vrbis propugnaculum? Similia vult esse, vrbem obsideri à M. Antonio, & coloniam Mutinensem: quæ tamen similia non sunt. Vt dissimilia.) Accipe quæ similia tradit Cicero, Si fidem præstare debet tutor, & procurator. Dissolue hoc modo: Non quemadmodum fidem debet tutor, & procurator. Nam loco parentis relictus est tutor, non item procurator. Hæc sunt vt dissimilia, & tanquam differentia. De consentaneis, & præcurrentibus, & repugnantibus Cicero secundo de Oratore facit mentionem, & hoc proponit exemplum: Non si Opimium defendisti Carbo, idcirco te isti bonum ciuem putabunt. Simulasse te, & aliud quid quæsisse perspicuum est, quòd T. Gracchi mortem sæpe in concionibus deplorasti, quòd P. Africani necis socius fuisti, quòd eam legem in Tribunatu tulisti: quòd semper à bonis dissensisti. Consentanea sunt, Carbonem non esse bonum ciuem, & ista malè administrasse. Dissentanea verò & repugnantia, Hæc fecisse, & ciuem bonum esse. At quid differunt consentanea & adiuncta? In priora locorum enumeratione conueniebant in vnum genus adiunctorum: nunc autem distrahuntur hac differentia. Coniuncta, quod & nomen ostendit, tempore sunt finitima, & propè cohærentia, vt metus, pallor. Consentanea ferè quidem consequuntur, sed tempore nonnihil distant, nec proximè cohærent: vt illa Ciceronis. Quasi pugnantia demonstrantur exemplo superiore, neque enim pugnant, malè anteacta vita, præsensque ratio melior: sed vt pugnantia conferuntur.

Quasi causæ.) Cicero in Philip. Tibi certè confitẽdum, causam perniciosissimi belli in personam tuam constitisse. Non M. Antonius causa belli ciuilis erat, sed à Cicerone causa dicebatur. Et euentus exemplum proximum in contrarium recurret. Distributiones capiunt & partitionem, & diuisionem. Si diuidas species, & conferas ad enumerationem partium, constitues formarum tanquam partium distributionem: vt quum superior locus fuerit de enumeratione partium, hic sit de numeratione formarum: vt, si spongia neque herba est, neque frutex, neque arbor, haberi planta nullo modo potest. Distributio inter colores habetur in Rhetoricis ad Herennium. Verùm Cicero posuit enumerationem partium, diuisionem autem vt enumerationem esse voluit. Genera sunt formarum, non partium. Rursus partes erunt totius, haud generis. Hæc ergo dicuntur ex similitudine. Si Tib. Gracchus & Saturninus in tribunatu sunt iure cæsi, magistratum seditio-

sum necare licet. Magistratus est genus, Tribunatus, species, Tiberius & Saturninus partes.

Vt primordia, & quasi præcurrētia.) Vide cōsentanea. Quintilianus, Ex initiis summa colligitur. Non possum togam pratextam sperare, quum exordium pullum videam. Certè inter consentanea, & adiuncta, & præcurrentia, non ita magnum discrimen est, quin possint adiunctorum nomine contineri. Vt rerum contentiones, id est, vt comparationes, quando res natura maior pro minore, aut minor pro maiore, aut impar pro pari sumitur. Ouidius secundo Fastorum, Romule concedas, facit hic tua magna tuendo Mœnia, quæ dederas transiliendā Remo. Maius est Romulum mœnia condidisse, quàm Cæsarem Augustum condita seruasse: hoc vult tamen vt minus haberi. Facultas vis est in rebus, Δύναμις. Comparatur autem aut natura rerum, aut affectio, aut tempus, aut facultas. Author est Cicero in Topicis.

LATOMVS. Vt definitio, vt contrarium.) Hic locus corruptus fuit, cum aliquoties aut, pro vt legeretur. Legendum est igitur, vt consentanea, vt ea quæ sunt quasi coniuncta, vt earum rerum de quibus agitur causæ, vt causarum euentus. Cætera sunt integra. Subiungit autem locorum enumerationi exempla, quibus singulos in re positos cursim indicat. Exempla dico non παραδείγματα, sed ea quæ Græci τύπους vocant, qualia sunt paulò antè de testimonii: Diuinum, vt oracula, vt auspicia, vt vaticinationes. & infrà, Aut anni tempora, vt mēsis, vt dies, vt nox, hora, tēpestas. in quibus quæ proposita sunt, subiectis exemplis strictim declarātur. Quòd nominibus plerisque eisdem vtitur (quæ res nonnullos perturbat) idcirco factum est, quòd eisdem nominibus & loci ex instituto artis, hoc est, sedes argumentorum, & res subiectæ eisdem appellantur, vt definitio pro nota argumēti: & definitio hominis, postliminij, seruitutis, pro eo quo definitur vnūquodq;. Hanc primam intentionem scholastici, illam secundam vocant. Illud etiam offendit, quòd cùm inter locos coniuncta & repugnantia simpliciter dicta sint, hic inter exempla quasi coniuncta, & quasi pugnantia dicantur, quasi alij loci significentur. Sed non est ita. Nam cum locos recenseret, vocabulis certis & perpetuis vsus est, id quod docendi ratio postulabat: cum exempla poneret, de rebus ipsis est per similitudinem liberius commodiúsque locutus. Cōiuncta enim propriè sunt, quæ inter se cohærent, vt collo coniuncta ceruix: pugnantia quæ dimicant inter se, infestáque sunt, vt qui armis concertant. Ergo hæc cum aliò transferenda essent, non potuerunt commodius, quàm per similitudinem, quasi coniuncta & quasi pugnantia, appellari. Sed videamus nūc singula, vt res ipsa loquatur. Vt definitio, inquit, vt contrariū. Cur hoc ordine? quia contrariū statim è regione occurrit, & cæterorū deinceps locorū exempla adiuuat, quæ sequūtur: vt quæ sunt ipsi contrariò ve eius similia, aut dissimilia, itē consentanea aut dissentanea. Ergo naturæ ordinem in locis, in exemplis declarandi commoditatem secutus est. Contraria quæ sunt, suprà indicatum est, vt rectum & prauum, eloquentia & infantia, pax & bellum, hostis & ciuis, quæ suprà etiam posita sunt. Vt quæ sunt ipsi.) Similia sunt, vt paci tranquillitas, bello tempestas. Dissimilia, vt paci tempestas, bello tranquillitas. quæ cum separata inter se, eodémque ordine collata, contraria sint, vt pax bello, tranquillitas tempestati, facile apparet quomodo inter se mixta commutatáque similia ac dissimilia efficiant. Eadem ratio in consentaneis dissentaneísque est, quæ statim subiungūtur. Consentanea aut dissentanea.) Hæc coniuncta modò appellata sunt, in Topicis adiuncta vocari diximus, ab aliis contingentia, ab aliis communiter accidentia. Consentanea dicuntur, quòd ferè consentiant cum iis, circa quæ euenunt. Euenunt autem frequenter, non perpetuo, idcirco probabile argumentum præstant, vt pallere ægrotum, bene coloratum valentem esse. Dissentanea horum contraria sunt: vt ægrotum bene coloratum, valentem pallidum esse. Sic formosam adulteram, deformem pudicam, consentaneum & probabile esse dicimus: adulteram deformem, pudicam formosam, dissentaneum & improbabile. Quæ omnia, vt dixi, coniuncta siue adiuncta vocantur inter locos, & ex contrariis, sicut similia & dissimilia, oriuntur. Vt ea quæ sunt quasi coniuncta.) Coniuncta hoc loco intelligit antecedentia & consequentia, quæ necessario cohærent, sicut ea quæ in corporibus coniuncta sunt, nec diuelli possunt, vt collocare & conducere: hominem esse, & animal esse: quæ hinc inde per conditionē sumpta, antecedentia & consequentia fiunt: de quibus dictum est satis. Vt ea quæ sunt quasi pugnantia.) Vt hominem esse, & animal non esse: locare, & non conducere: diem esse, & lucem non esse: odisse, & bene facere: diligere, & nocere. quæ quasi pugnant inter se, quia cōtrariis hinc inde conueniunt, atque idcirco repugnantia in locis appellantur. Vt distributiones, vt ge-

nera partium.) Per distributiones partes intelligit, hoc est, tum formas, tum quasi mẽbra totius, quæ hoc tandem loco subiunguntur, quia ordo interruptus fuit. Genera partium ad locum generis pertinent. Partes generum formæ sunt, quæ sub genere comprehenduntur. Partes totius sunt, vt senatus, equites, plebs, partes ciuitatis. Item vis oratoris, oratio, quæstio, partes doctrinæ dicendi. Sed & genus est doctrina, cuius formæ sunt multæ, ex quibus vna est Rhetorica, quæ dicendi doctrina appellatur: item dialectica, musica, geometria, & aliæ complures. Vt primordia rerum.) Hæc inter causas numerantur, sed longinquæ & remotæ sunt causæ, quarum vi proprie non efficitur, sed tamen ad euentum rei pertinent. Præcurrunt enim, & vt sequatur aliquid initium præbent. Itaque ex ipsis, vt ait in Topicis, fatum secundum Stoicos connectitur. Hoc modo Helena causa fuit iniuriæ Troianorum in Græcos: iniuria causa belli, ex bello Æneas fugit in Italiam: hinc Alba condita est, inde Roma, ex qua efflorruit orbis terrarum imperium. Horum igitur extremum si ad primum refiras, dices Helenam causam & primordium fuisse Romani imperij. Eiusdem generis est illud, Vtinam ne in nemore Pelio, quod ex Medea Ennij citatur. Ipse quoque pro Milone sic conqueritur: Omnes in me meósque redundant ex illo fonte dolores: Consulatum suum significans, in quo Catilina oppressus fuit. Hac enim de causa ipse repulsus fuit à Clodio: inde à Milone reuocatus, hinc odium Milonis & Clodij, inde pugna & cædes, & iudicium Milonis: est igitur causa querelæ longè repetita. Vt rerum contentiones.) Hæ comparationes sunt, maiorum, parium, minorum, de quibus prædictum est. Fieri dicit comparationes in naturis & facultatibus. In naturis, vt si Annibal hostis, hostis Antonius. Si tutor fidem præstare debet, debet & socius. In facultatibus, Pallas vlcisci potuit inimicos, ergo & Iuno poterit. Sed hæc duo in Topicis in quatuor partes diducuntur, vim, speciem, numerum, & affectionem, quæ ibidem explicantur.

HEGENDORPHINVS. Consentanea.) Sunt, quorum alterum de altero prædicatur: vt homo & animal, iustitia & virtus. Dissentanea.) Quorum alterum de altero non prædicatur, vt homo & brutum. Distributiones.) Distributio est, cum aliquid in partes diducitur: author Cicero in Topicis: vt Respub. in tres ordines, plebeium, equestrem, patricium distribuitur. Generúmque partes.) Cicero, vt mea fert sententia, accipit genus pro omni illo quod in partes distribuitur. Primordia rerum.) signa & prodigia intelligit: de quibus Valerius Maximus lib. 1. cap. de Prodigiis. Rerum contentiones.) id est collationes: sic Cicero lib. offic. 1. vitam publicam & priuatam siue vmbraticam inter se confert. Naturæ comparantur.) Vt cum duæ eiusdem naturæ res finitionibus & officiis inter se comparantur, per quæ declaratur sic alterum cum altero conuenire, vt vel prorsus eadem sint, vel altero posito non possit alterum non sequi: vt, pietas est, ergo virtus est. Concupiscentia est, igitur peccatum est. Homo est, igitur animal est. Est animal rationis capax, igitur homo est.

LEODEGARIVS. Vt definitio.) Existimarim tradi hoc loco faciliorem explicationem locorum superiorum. Nam superius vsus erat vocabulis artis obscurioribus: nunc autem quæ vulgo ignota sunt mutat, & aliis vulgo notioribus vtitur: quædam non mutat, quædam non mutata, adiectione quadam declarat: Sic populariter loquitur ad Q. Fratrem. Totum enim difficilius q̃ definitio. Est ergo sensus, vtimur argumẽto à definitione, quãdo alicui⁹ rei definitio ponitur, vt si iustitia poneretur definitio, cõstãs & perpetua volũtas, ius suũ cuiq; tribuens.

IOANNES A FOSSA. Aut naturæ rerum comparantur.) Lege Ciceronis Topica de locis comparationis ex tertio Topicorum Aristotelis. Iudicium primis tribus partibus adeo permixtum videtur Fabio, vt putet pronunciationem ab eo vel plurimum mutuari. Cicero etiam, vt obseruare potes, tribus locis mentionem facit.

COMMENT. Vt definitio.) Ne diutius immoraretur, noluit vti prolixitate exemplorũ, vt fecit in Topicis: sed exemplorũ dũtaxat forma quadã. Cũ igitur ait, vt definitio, perinde est ac si dixisset, Argumẽtamur à definitione, cùm alicuius rei definitio ponitur: vt si virtutis esset posita definitio, habitus bonus. Locus est à definitione, cùm aliquid definimus: vt, virtus est habitus bonus, quia bonos efficit. Aut similia aut dissimilia.) Vt paci similis est amicitia, bello eius contrario similes inimicitiæ sunt. Præterea inimicitiæ dissimiles sunt paci, amicitiæ dissimilis est bello. Aut consentanea.) Hæc tria enumeranda sunt cum quadam continuatione, vt conferantur cum re, & eius contrario. Est igitur legendum, aut consentanea, & sic in

alis, vsq; ad, aut earũ rerũ. Nunc autẽ intelligit locos ab antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus, ac consentanea vocat, vt quidam volunt, quæ alibi vocauit adiuncta. Coniuncta autem appellat antecedentia & consequentia. Attamen libro secundo de Oratore consentanea appellat consequentia: sub quibus intelligimus antecedentia. Cõiuncta autem appellat adiuncta. At dissentanea & repugnantia eadem sunt. Quasi coniuncta.) Vtrobique particula adiungitur declarationis causa: quia adiuncta non ita inhærescunt rei, vt auferri & abesse non possint, iam repugnantia non tam pugnant quàm contraria. Aut earum rerum.) Hic locus planè coniuncit enumerari à Cicerone exemplorum quasdam formas. Ait enim peti argumentum à causa eius rei quæ versatur in quæstione. Vt genera partium.) Tempore Ciceronis primùm in linguam Latinam traducebãtur species & formæ, vt à philosophis accipiuntur, maluit itaque vsitata appellatione vti. Ideo in Topicis ait se formam, quò facilius intelligeretur, sæpenumero partem appellare solere. Vt primordia rerum.) Cicero in Topicis ait causas efficientes quasdam esse non necessarias, quæ præcursionem quandam habent vt res efficiatur: vt, cõgressio amori causam dedit, amor flagitio. Has causas intelligere videtur hic Cicero. Ac certè videntur originem rei habere, & tamen remotæ sunt. In quibus.) Ideo hoc dixit, quia in causis superioribus quæ propinquæ sunt, magisq; affirmant, validior est argumentatio. Naturæ rerum.) Sub natura complectitur speciem & numerum: sub facultate vim & affectionem ad res aliquas. ita cùm fecisset in Topicis quatuor membra, ea redegit in duo.

C.F. Omnibúsne igitur ex his locis argumenta sumemus?

C.P. Immo verò scrutabimur, & quæremus ex omnibus, sed adhibebimus iudicium, vt leuia semper reiciamus, nõnunquam etiam communia prætermittamus, & non necessaria.

STREBAEVS. Posteaquam locos eorũque naturam cognoris, si proposita fuerit ad dicendum materia, singulos perscrutabere. Quærenti si nihil dederit locus primus, aut si quod attulerit, non ita multum faciet ad rem propositam, venies ad secundum, & ita deinceps, donec excutientur argumenta quæ nec leuia sint, nec communia. Leuia contemnuntur, communia rapiuntur in diuersas controuersias, & plus nocẽt quàm prosint, nisi iacta retorquentur. Ex argumentis optimum, quod firmissimum: deinde credibile. Quæ sunt communia, vt quibus vterque litigator vti possit, & tantum non repugnantia, sæpenumero prætermittenda. Tamen est & apud hunc in orationibus suis leuibus argumentis locus, & communibus. Quid ergo? leuia semper reiicienda arbitratur: quia præcepta ferũtur in id quod est optimum, deinde quod optimo proximum. Si quid sua natura sit improbandum, quo tamen vtamur, non tam præcepti fuerit, quàm inopiæ atque necessitatis. Ergo semper leuia reiiciemus in delectu. Si verò tempus requiret, vtemur tanquam seruis in bello post prælium Cannense. An leuia dicit ea quæ nullius sunt ponderis? an etiam illa quæ parum gravitatis habent in oratione? De priori genere quid attinet præcipere? Nemo sanæ mentis inducit argumentum, quod nihil omnino iuuat. Debilia frequẽter assumunt, qui negligentius fortia quæsierunt. Monendi sunt igitur vt leuia reiiciant, grauia legant, si modò grauium copia suppetunt. Non statim bonus est dux, qui non legit ad bellum pueros, senes, mulieres, & inualidos: sed qui ex iis qui robur aliquod præ se ferunt, optimos quosque & fortissimos eximere nouit, & in album referre. Sic in argumentorum delectu parum est ea quæ nullis sunt viribus, reiicere, nisi & ea quæ leuiter pugnant, præteeas. Quum autem vocabit tempus omnes qui arma ferre possunt, illis erit locus, non vt in delecta, sed vt in repẽtino tumultu. Non necessaria sunt, quæ detracta causæ nullum afferunt incommodam, & quæ ut re de qua agitur, superuacua sunt.

LATOMVS. Vt leuia semper reiiciamus.) Leuia infirma sunt, idcirco inutilia. Communibus æquè vti potest aduersarius, quare nocent. Commune enim qui dicit, vt inquit Fabius, contrarium facit. Prosunt tamen cum se offerunt, & in nostram partem plus valent: vt, inimicum fuisse Milonem Clodio, quod etiam pro Milone valebat. Itaq; hoc primũ eludit Cicero. De-

inde compensat maiore odio Clodij, quod maximum fuisse ostendit. Ergo nonnunquam sunt ista, vt inquit Cicero, non semper prætermittenda. Non necessaria molestam orationem efficiunt, quare & ipsa relinquenda. Lege Fab. lib. 5. de refutatione.

CLEODEGARIVS. Omnibúsne igitur ex his locis.) Sic eadem de re scripsit in Oratore ad Brutum. Quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, vtetur aptis, generatim discet, ex quo emanant etiam qui communes loci appellantur. Nec verò vtetur imprudenter hac copia, sed omnia expẽdet, & seliget. Non enim semper, nec in omnibus causis, ex iisdem eadem argumentorum momenta sunt: iudicium ergo adhibebit, nec inueniet solum quid dicat, sed etiam expendet. Idem in Topic. Etsi enim omnes loci sunt omnium disputationum ad argumenta suppeditanda, tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. Itaque genera tibi nota sint. vbi autem his vtare, quæstiones ipsæ te admonebunt. Leuia.) Si tamen melioribus destituti, conglobemus leuia, valebunt ita congerie, vt aliquando probabilia superent, vel æquent.

COMMENTARIVS. Omnibúsne.) Iudicium protinus inuentionem sequitur. Non est igitur satis argumentum inuenire, nisi iudices. Nam quanquam hi loci communes sint omnium disputationum, tamen interdum suppeditant argumenta leuia. Adde quòd quidam loci frequentius in quæstiones alias incidunt, in alias rarius: vt adiuncta in coniecturam: differentia, species, genera, in definitionem. Vt leuia semper reiiciamus.) Cicero libro primo de Inuẽtione longè plura enumerat argumentorum vitia, quæ fugienda sunt: sed ex his tribus satis intelligimus eius voluntatem. Communia.) Communia sunt argumenta, quibus etiam aduersarius noster vti potest. His aliquando vtimur: vt quum in nostram partem sunt propensiora, nobísque magis fauent, aut aliis rationibus fulciri possunt. Non necessaria.) Non necessaria sunt, quibus res carere possit citra causæ detrimentum, aut quæ res non desiderat, vt si quis in re perspicua prolixis vteretur argumentationibus.

C. F. Quoniam de fide respondisti, volo audire de motu.

C. P. Loco tu quidem quæris, sed planius quod vis explicabitur, cum ad orationis ipsius quæstionumque rationem venero.

STREBAEVS. Loco tu, id est ex ordine tu quidẽ quæris. Nam propositum fuerat oratori, inueniendum quemadmodũ fidem faceret iis quibus persuadere vellet, & quemadmodum motum eorum animis adferret: ex quibus alterum restabat. Ne (quod multi faciunt) locos hic legeris. Nulli reperiuntur loci præter assignatos, nisi qui minores his maioribus continentur. At affectuum sunt loci. Credo. Num propterea qui vult audire de motu, locos quærit? At quæ rere potest, potest quidẽ. Nũ Cicero descripsit in hoc libello, quũ de oratione egit, ac quæstione? Cur frustra quæreret locos? Notauit quosdam in amplificatione, quæ maximè perorationis est. Notauerit quædam præcepta, locos non dixerim nouos, quòd assignatis omnes res continentur. De verbis autem non agitur in præsentia. Contemplare potius quemadmodum sit affectus insertus orationi, ac quæstioni. Orationis, inquit, partes quatuor. Duæ valent ad impellendos animos, principiũ, & poratio. Has itaq; partes qui præceptis assequitur, eodẽ negotio de motu præcipit. Iã quæstio vel in demonstrationem cadit, vel in deliberationem, vel in iudicium. Quibus cùm sit propria quædam facies, atque distincta ratio tractandi, quæ arte colligitur, necesse est inter præcipiendum ea constitui quoniam quodq; genus affectu inuetur. Ergo permista sunt de motu affectúque præcepta, nisi quum ratio amplificandi traditur.

LATOMVS. Sed planius quod vis explicabitur.) Dicit se de motu in principiis & perorationibus, & in causarum generibus commodius dicturum esse. itaque hæc pars inuentionis in illum locum differtur.

LEODEGARIVS. Quoniam de fide.) Diuiserat inuentionem oratoris in fidem, & motum: cùm igitur de fide, hoc est de argumentis quibus fit fides, dixerit, superest vt dicat de

motu: sed causa facilioris disciplinæ differt tractationem motus in amplificationem: commodius enim illic tractabitur, cùm pertineat ad amplificationem.

COMMENTARIVS. Loco tu quidem quæris.) Interrumpit institutum ordinem, docendi commoditatem sequutus. Nam quia duæ orationis partes (nempe exordium & peroratio) ad motum referuntur, in oratione motus commodius tractabitur.

C.F. Quid sequitur igitur? C.P. Cùm inueneris, collocare. Cuius in infinita quæstione ordo est idem ferè, quem exposui locorum. In definita autem adhibenda sunt etiam quæ ad motus animorum pertinent. C.F. Quomodo igitur ista explicas? C.P. Habeo communia præcepta fidem faciendi, & commouendi: quoniam fides est firma opinio. Motus autem, animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem. Tot enim sunt motus genera, partes plures generum singulorum. Omnem collocationem ad finem accommodo quæstionis. Nam est in proposito finis, fides: in causa, & fides, & motus. Quare cùm de causa dixero, in qua est propositum, de vtroque dixero.

STREBAEVS. Dispositio, secunda pars est Rhetorices, eaque inuentionis propria, quia rerum est dispositio, verborum compositio. Dispositio, quoniam accõmodatur ad finem quæstionis, diuiditur in eam quæ est quæstionis infinitæ, & eã quæ finitæ. Dispositionis in infinita quæstione ordo est idem ferè, inquit, quem exposui locorum. Tamen postea dicet vtriusq; quæstionis similem esse dispositionem. Id arbitror factum, quòd vtroque modo tractari potest consultatio. In consultatione finis est fides, quæ fit argumentis. argumenta vt tractantur à philosophis, ordine locorum optimè collocantur. Locorum non est idem ordo apud omnes (quod in Aristotele & Cicerone videre licet) non etiã eadem ratio disponẽdi omnibus qui propositis tractant. Suum cuique consilium est, & quæstiones aliæ disponuntur ordine naturæ, aliæ ducunt initium ab iis quæ notiora sunt nobis, & hinc progrediuntur ad ea quæ planiora sunt natura. Persequamur, si placet, infinitam quæstionẽ ea dispositione quam Cicero fecit locorum. Sit hæc, An mors sit cõtemnenda? A finitione, Nihil est cur morte terreamur. quid enim mors est aliud quàm corporis & animæ dissolutio? qua membris vt carcere quum anima liberetur, nobis & suauis & iucunda esse debet. Ab enumeratione, Etenim siue natura morimur, parenti omnium rerum obtemperandum est: siue fato, deorum voluntati: siue casu, ferendum æquiore animo, quòd optimum sit non nasci, aut ocyus aboleri. Ab etymologia, Morte quidem dissoluimur: qua de re mors à nobis, vt à Græcis μόρος, à separandis partibus nominatur: quæ seiunctio quid habet mali? quid non potius boni, si coniunctio fuerat misera, omnibusque fortunæ procellis obnoxia? A coniugatis, Mori igitur bonum est, & ideo mors bona: quam sicut molestia antecedit, ita quoque subsequitur fœlicitas. A genere, Nulla dissolutio timenda est, quam diuina lege patiuntur omnes: Eiusmodi obitus est. A specie, Mors omnis aut violenta, aut naturalis est: Violentam contemnunt fortes atque sapientes: naturalem omnes qui naturæ parenti nõ repugnant. Mors igitur omnis contemnenda. A similitudine, Ab arboribus fructus vel sua sponte cadunt, semina frumentorum sponte moriuntur, vt transeant in messem: solus homo traducetur inuitus? A differentia, Hominis exitus non est vt cæterarum rerum: Cætera corrumpuntur nullo tempore reditura: Homo solus tum maximè viuit, quando mori videtur. A contrario, Hæc vita in corpore molesta, grauis, misera: mors igitur suauis, facilis, & beata. Ab adiunctis, Sed improbi mortem impatienter

ferunt: quia qui in voluptatibus summum bonum collocarunt, iis omnibus interitus grauis est. Si probè vixeris, migrare iucundum est: si improbè, pertriste. Leuis est hæc vita sapientissimis quibusque: propterea quòd non grauius putant è vita migrare, quàm in hanc lucem venire. Ab antecedẽtibus & consequẽtibus, Nihil esse graue existimãt, quod sit à natura constitutum. Nascimur, ergo morimur. Et quia morimur, idcirco nascimur. A repugnãtibus, Ab vtero prodimus ad mortalitatem: à morte progredimur ad immortalitatem. Non hoc bonum mors afferat, & non erit bona: affert autem: bona igitur, neque metuenda. A causis, Porrò vbi mortale corpus elanguescit, anima se liberat membrorum compagibus: vt pro seruitute libertatem, pro tenebris lucem, pro labore præmium consequatur. Ab effectis, Quæ si bona à morte pariuntur, non poterit illa nisi à dementibus improbari. A comparatione, Fac tamen malam esse, cur diuturniores molestias anteponimus? cur tot casus, tot pericula, tot ærumnas vni dissolutioni, eique perbreui præferimus? Huc adde, si voles, exẽpla. Hæc scripsimus, vt ostenderemus esse verum, quæstiones infinitas ordine locorum posse tractari. Quod autem non vtique fieri oporteret, excepit his verbis, Ordo est idem ferè quem exposui locorum. Interposuimus quædam, non argumentationis, sed iucundæ orationis gratia, quòd nudum corpus argumentorum deforme sit, & asperum. Nec diximus omnia quæ ad propositum duci possunt è locis, satis esse duximus indicare paucis, vt rudes infinitæ quæstionis argumenta collocarent. Videtur hoc velle, nihil motum pertinere ad infinitam quæstionem, quo tamen vtitur in oratione pro Sexto Roscio de toto genere parricidij: qui locus est communis. Rursus in quæstione finita non vtique motus erunt: quod Quintilianus affirmat, & Athenienſium probatur exemplo, qui diu oratione quidem, non ita motu vsi fuerunt. Quid igitur hæc præcepta volunt? Præcepta rhetoricæ non sunt de re necessaria, sed accommodatiore. In quæstione propositi sunt rariores affectus: in causa & hypothesi frequentiores. Sic enim multò melius, & ad obtinendum tutius tractatur. Qui disserit tantum probandi gratia, non contendit afficere auditorem: quamobrem motu non eget. Qui verò non satis confidit argumentis, pugnat affectibus: nec docere modò vult, sed & monere. Itaque miscet ea quæ dicuntur à Græcis πάθη: nunc hac, nunc illac impetum facit: viámque molitur qua maximè capi possit auditor: hinc fit vt aliter ac aliter acies instruatur. Omnem collocationem, inquit, ad finem accommodo quæstionis. In proposito finis est fides, in causa fides & motus. Ex quibus verbis colligitur, propositum, id est infinitam quæstionem, non desiderare motum, sed probationem: causam verò, id est finitam quæstionem, probationem, motumque velle. Iam si finis est fides & motus, animique pro causarum generibus variè mutantur, necesse est ad motum ex parte referri dispositionem. Quòd autem non sit res eadem, fidem facere, & commouere, definitionibus, vt par est, ostendit. Quoniam fides est firma opinio: motus autem est animi incitatio aut ad voluptatem, &c. Fides argumentis efficitur, motus autem locis affectuum. Argumenta porrò nisi se accommodarent ad vtilitatem causæ, ordine naturæ ferè locarentur. Sed quia refert, qua ratione, quóve ordine doceantur & moueantur animi, digerũtur omnia pro vtilitate causæ. Restat inquirendum, quî fiat vt motus omnis animi quatuor generibus constet, quum mille modis moueatur animus? Deinde si causa minor est, propositum maius, quo pacto propositum causa contineri dicatur? Motus omnis (quod ait Cicero tertia Tusculana) aut boni aut mali opinione excitatur. Voluptas est ex opinione boni præsentis: Cupiditas autem boni futuri, quod immoderatè appetitur. Aegritudo contrà ex opinione malorum præsentium: Metus autem futurorum. Sic quatuor affectuum genera statuuntur, voluptas & ægritudo, siue molestia, in rebus præsentibus: cupiditas & metus in futuris. Quoniam autem multæ sunt voluptatum partes, & cupiditatum, item molestiarum terrorúmque, asseuerat partes esse plures generum singulorum. Veniamus ad secundum. Propositum est vt genus: causa vt species. In specie autem est genus, quinetiam genus est pars vna formæ. Hoc definitio commonstrat. Homo est animal rationale, hominis duæ partes, altera est animal, genus. Hoc modo in causa propositum est vt illius pars. An ideo propositum in causa est, quòd ex quæstione infinita & appendicibus (πρόσθεσις dico) componitur causa? Dici potest. nam in idem penè recidit quod de genere & specie dixi. Rursum causa est in proposito, vt res angustior in ampliore. Est igitur propositum in causa, & causa in proposito, diuersa ratione mutante.

LATOMVS. Cum inueneris collocare.) Sicut inuentio, ita & collocatio rerum est propria, hoc est, argumentorum & partium orationis, quæ tum ad fidem faciendam, tum ad mo-

tus animorum accommodantur. Agricola etiam quæstiones disponit, de quibus hic nihil præcipit Cicero, sed inferius in explicanda quæstione ordinẽ quoq; earundẽ indicabit. Quintilianus quæstionum dispositionem solam tradit toto lib. 7. argumentorum collocationem lib. 5. breuissime attingit, sed hæc propriè in iudicialibus. Cæterorum dispositionem, vt in demonstratiuo & iudiciali genere, separatè lib. 3. ostendit. *Ordo est idem ferè quem exposui locorum.)* *Ordinem argumentorum intelligi, quia infinita quæstio motu caret, quare & principiorum & perorationum collocatione. Ordo locorum naturalis est, cum priora sint insita quàm assumpta natura: & ex insitis priora quæ ad substantiam rei pertinent, quàm quæ ad eam afficta sunt. Ergo aptus est hic ordo ad faciẽdam fidem, quam solum infinita quæstio desiderat. Exemplum si requiris, propone voluptatem sapienti expetendam esse: quod probaturus sequẽris locorum ordinem, hoc modo: Ex definitione, sensum corporis secundum naturam expetendum esse. A partibus, In victu, in cultu, in procreandis liberis, in reliquo vitæ vsu voluptatem nobis insitam esse. A coniugatis, iucundè viuere sapientis esse. A genere, quæ apta sint naturæ, ea expetenda esse. A forma, Musicam suauitatem laudari, ergo voluptatem. A similitudine, Sicut diem festum sine ludis tristem, ita vitam sine voluptate iniucundam esse. A dissimilitudine, vinum intemperanti venenum esse, non ita voluptatem sapienti. A contrario, Dolorem fugiendum esse, ergo voluptatem expetendam. Ab antecedentibus, si viuere secundum naturam sapientis sit, & voluptatem. A consequentibus, Sublata voluptate, sensum naturæ tolli. A repugnantibus, aut probandam esse voluptatem, aut nihil discriminis in dolore ponẽdum. A causa, voluptatem à natura datam esse. Ex effectis, Voluptate homines ad labores excitari. Ex comparatione, Si animi voluptas expetenda sit, & corporis expetendam esse. A testimonio, Homines doctos voluptatem laudare. In quibus omnibus sola notatio prætermissa est, quia nihil argumenti præbet.* *Tot enim sunt motus genera.)* *Oritur motus ex opinione boni vel mali. Boni præsentis opinio voluptatem facit, absentis cupiditatem. Mali præsentis modestiam, absentis metum. sic quatuor omnino sunt genera, & tanquam fontes: sed species plures, quæ in tertia Tusculana explicantur. Horum alij leniores sunt, & ἤθη vocantur: alij vehementiores, & πάθη: latini mores & perturbationes appellant.* *Nam est in proposito finis, fides.)* *Propositum fidem tantum spectat, non solum ex cõsilio dicẽtis, sed etiam ex natura quæstionis, quæ fidei tantũ est capax. Causa autẽ & fidei & motus est capax, quia & natura talis est, & non tantum fidem, sed multo magis etiam victoriam spectat. Natura enim talis est, quia omnis motus ex opinione boni vel mali nascitur. Nihil autem bonum vel malum, nisi cum persona coniunctum. Personam autem sola causa continet, cui deinceps cæteræ circunstantiæ, res, causa, locus, tempus, modus, adiungũtur. Itaque fit, vt sola etiam causa motus sit capax. Sed hæc pluribus ab Agricola explicantur.*

LEODEGARIVS. Quid igitur sequitur? C. P. Cum inueneris collocare.) *In Oratore ad Brutum vult vt argumenta in eum modum collocentur, vt de firmissimis alia prima ponantur, alia postrema: at leuiora inculcentur. Nam si leuia initio ponerentur, prælium statim initio frigidum, languere videretur: si eadem ponerentur in fine, non relinquerẽt aculeos in animis auditorum: leuia ergo optime in medio collocantur, quia minus præsidij in illis est: seruada igitur hæc probationum collocatio. Nam prima oppugnant, vltima auribus audientium relinquuntur, media vtrinque conclusa non apparent. Et profectò imperatores strenui seruant eandem in acie militum collocationem.* *Nam est in proposito finis fides.)* *Propositum seu quæstio infinita caret personis, persona autem solæ mouentur: non est igitur mirum si propositum sit contentũ fide sine motu. adde quòd propositum est quæstio philosophorũ, philosophi verò volunt duntaxat facere fidem & docere, non etiam mouere, quia abhorrent ab affectibus tanquam à morbis & vitiis.*

IOAN. A FOSSA. Cuius in infinita.) *Ordo collocationis in infinita est, vt à definitione (quod vult Plato in Phædro) progrediare, deinde à partibus ad remotiora.*

COMMENTARIVS. Collocare.) *Hoc loco duntaxat tractatur de dispositione argumentorum. Nam est alia dispositio quæstionum & capitum. est & dispositio partium orationis sed de his omnibus dicet suis locis Cicero.* *Cuius in infinita.)* *Ordo locorum sic procedit, vt initio positi sint substantiales, mox accidentales. eodem modo iubent dialectici vt initio definiamus, deinde partiamur, postea reliqua persequamur rei accidentia. sed ordo iste sæpe mu-*

tatur pro argumentorum natura & pondere. *In definita quæstione.*) Thesis, quæstio est philosophica, & ob id ab affectu remota, alioqui non sit de rerum natura: probationem videtur exigere duntaxat, non commotionem. quanquam motus etiam est capax, si ad personas referatur: at hypothesis fines habet duos, fidem & motum, cùm sit oratoria quæstio. *Habeo communia.*) Appellat communia præcepta vel quòd ab eisdem locis ducuntur affectus & argumenta, vel quòd in causis communia sunt præcepta & fidei & motus, vt postea in singulis exp'icabit. Verbi causa, In deliberatione commune est præceptum fidei, vtile, & honestum: Motus autem præceptum, spes, & animi incitatio. *Ordo est idem.*) Enumeratio locorum sequebatur ordinem naturæ: ac secundum Platonem disputationis institutio incipienda est à definitione. Atque primi loci complectuntur totam substantiam, secundi partem substantiæ, tertij accidentia & qualitates. Is igitur est optimus ordo tractandæ theseos. attamen nonnunquam mutatur pro argumentorum ratione & pondere. *Motus autem, animi incitatio.*) Cicero quarta Tusculana ex Stoicorum opinione affectus ait generari ex opinione boni & mali. Itaque opinio boni præsentis efficit voluptatem: opinio autem boni futuri, cupiditatem. Sic opinio præsentis mali generat molestiam & ægritudinem: Opinio futuri mali, metum. Ab his quatuor generibus reliquæ motuum species pendent. *Partes plures.*) Species illorum motuum enumerantur à Cicerone quarta Tusculana. *Omnem collocationem.*) Ita collocatione est vtendum, vt præcipua habeatur ratio finis. Igitur ad finis vtilitatem collocatio est instituenda. Itaque hic necessariò de causarum fine fuit agendum. *Nam est in propos.*) Propositum quærit de vi & natura rei, postulat igitur argumentationem, non perturbationem: & alioqui tractatur à philosophis in disputationibus, qui à motu abstinent. Quanquam metum quoque habere posset, quia iidem sunt loci fidei & motus. sed tum constringitur quodantenus circumstantiis. Exemplo esse possunt loci communes.

Quare cum.) Quod maius est, in minori continetur, quia est necessarium ad eius constitutionem, vt pars esse videatur. Itaque propositum est in hypothesi vt pars: continet enim propositum & circumstantias. vice versa causa continetur ambitu propositi. *De vtroque dixero.*) Antea de proposito tractauit seorsum, vt tractatur à philosophis: nunc propositum coniungit causæ, quemadmodum ab oratoribus tractatur.

Causarum genera cur tria sint.

C.F. Quid habes igitur de causa dicere? C.P. Auditorum eam genere distingui. Ni aut auscultator est modò qui audit, aut disceptator, id est rei sententiæque moderator: vt aut delectetur, aut statuat aliquid. Statuit autem aut de præteritis, vt iudex: aut de futuris, vt senatus. Sic tria sunt genera, iudicij, deliberationis, exornationis. quæ quia in laudationes maximè confertur, proprium habet iam ex eo nomen.

STREBAEVS. Tria genera causarum. Cuique sua quædam propria dispositio, propter quam fit hic distributio generum, finiúmque. Tentatum, inquit Fabius, & propè impulsum, vt non modò plura genera, sed etiam penè innumerabilia videantur: quærendúmque quo moti priores, rem tam latè fusam tam breuiter adstrinxerint. Ergo tria faciunt genera auditorum. Vnum quod ad delectationem conueniat: Alterum, quod consilium accipiat: Tertium, quod de causis iudicet. Cicero quidem auditorum genera distinguit. Aut, inquit, auscultator est modò qui audit, id est tantùm auditor. Aut disceptator, id est qui de re cognoscat. vel, vt interpretatur, rei sententiæq; moderator. Si auscultator est modò qui audit, res comparatur ad delectationem, & genus est demonstrationis. Si disceptator est is qui audit, aut statuit de præteritis, iudiciale genus est: aut de futuris, deliberatio est, quæ si cadit in præteritum, ratione futuri cadit. Quia dubitatio diu tenuit multos, hæc demonstratione colligit esse tria genera causarum, neque plura, neque pauciora: demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale: quæ verba vt duriora vitat, primúmq; ge-

nus exornationem appellat, quod ad delectationem comparatum, res exornare debet, à parte meliori & frequentiori nominatum, non ab ea quæ est vituperationis. Senator, non senatus, à quibusdam legitur, vt senator & iudex se respiciant. at hoc mihi non probatur, quia simile non est. Iudex vnus statuit frequenter, non item senator. Cicero non ita loquitur, statuit aut decernit senator: nec istud mos populi Romani patitur.

LEODECARIVS. Auditorum eam genere distingui.) In hanc sententiam sic Quintilianus lib. 3. cap. 4. Qui verò defendunt, tria faciunt genera auditorum, vnum quod ad delectationem conueniat, alterum quod consilium accipiat, tertium quod de causis iudicet. Mihi cuncta rimanti talis quædam ratio succurrit: quod omne oratoris officium aut in iudicis est, aut extra iudicia. Eorum de quibus in iudicio quæritur, manifestum est genus: ea quæ ad iudicem nõ veniunt, aut præteritum habent tempus, aut futurum: præterita laudamus, aut vituperamus: de futuris deliberamus. Item omnia de quibus dicendum est, aut certa sint necesse est, aut dubia. Certa, vt cuique animus est, laudat, aut culpat: ex dubiis partim nobis ipsis ad electionẽ sunt libera, de his deliberatur: partim aliorum sententiæ commissa, de his lite contenditur. De præteritis.) Si de rebus præteritis agatur, non erit deliberatio. sed quæstio.

IOANNES A FOSSA. Quid habes de causa dicere?) Vide vt interpretetur verba Aristotelis ex primo Rhetor. ad Theodectem. ἔστι δὲ τῆς ῥητορικῆς γένη τρία τὸν ἀριθμὸν. τοσοῦτοι γὰρ, &c.

COMMENTARIVS. Quid habes.) Huc pertinet hæc causarũ diuisio, quam ab Aristotele est mutuatus, vt singulorum singulos fines explicet, ad eósque collocationem accommodet. Nam antea generales posuit fines, fidem & motum. Hæc autem diuisio sumpta est ex libro primo Rhetor. ad Theodectem, capite primo. Vt aut delectetur..) Sequutus est Aristotelem Cicero, & ad delectationem comparatum esse genus dixit demonstratiuum, quasi sit remotum à parte negotiali. Mos tamen rhetoricus (vt ait Fabius) hanc partem admiscuit negotiis. Aristoteles igitur & Cicero loquũtur, vt in genere epodico, quod comparatur ad delectationem animi & ostentationem auditoris. Proprium habet.) Quemadmodum apud Græcos dicitur ἐγκώμιον, & genus ἐγκωμιαστικὸν: sic apud Latinos laudatio, & laudatiuum genus. Est etiam laudatio, oratio funebris in laudem mortui scripta, Græci vocant ἐπιτάφιον λόγον.

C. F. Quas res sibi proponet, in istis tribus generibus orator? C. P. Delectationem in exornatione: in iudicio aut fæuitiam aut clementiam iudicis: in suasione autem, aut spem aut reformidationem deliberantis. C. F. Cur igitur exponis hoc loco genera controuersiarum? C. P. Vt rationem collocandi ad finem cuiusque accommodem. C. F. Quonam tandem modo? C. P. Quia quibus in orationibus delectatio finis est, varij sunt ordines collocandi. Nam aut temporum seruantur gradus, aut generum distributiones, aut à minoribus ad maiora ascendimus, aut à maioribus ad minora delabimur, aut hæc inæquabili varietate distinguimus, cum parua magnis, simplicia coniunctis, obscura dilucidis, læta tristibus, incredibilia probabilibus inteximus: quæ in exornationem cadunt omnia.

Dispositio generis demonstratiui.

STREBAEVS. Constituuntur hic fines non generum, sed motuum qui singulis generibus conueniunt, ad quos se dispositio accommodat. Post enim generum fines alios assignat.

In exornatione, id est demonstratione, sibi proponit orator delectationem audientis: in iudicio sæuitiam aut clementiam iudicis. Illud vt accusator, hoc vt patronus. In suasione aut spem aut reformidationem deliberantis. Illud vt suasor, hoc vt dissuasor. Delectatio autem, sæuitia, clementia, spes, reformidatio, sunt motus animi in oratione spectandi: quod suprà commonuit. In definita, inquit, adhibenda sunt etiam quæ ad motus animorum pertinent. Hæc autem de generibus proponuntur collocandi gratia: qua de re nunc agitur. Planius explicabuntur quum ad orationis ipsius, quæstionúmque rationem ventum erit. Sed quid omnino ad collocationem pertineant, nõ sine re quæri potest. Nam collocatio vel dispositio est ordinis ratione quadam constituti: hæc autem ferè per omnem orationem fusa sunt. Iam responsum videtur ex eo quod antè dicebamus, in quæstione finita propter affectus ordinem solere commutari: quoniam & iucunda, & acerba, & mitia, & similia, ex aliqua parte suboriri necesse est: quæ pars ad eum locum reiicienda est, cui maximè eiusmodi conuenit affectus. Propterea percontatur, Cur exponis hoc loco genera controuersiarum? Vt rationem collocandi ad finem cuiusque accommodem. Atqui finis etiam motus est, vt antè dicebat. Hæc igitur tractantur ab eo ad instruendam collocationem. Non hic agit de tota ratione demonstrationis, de qua grauiter & copiosè in hoc opere tandem præcipiet: Sed quoniam de collocatione sermo fuerat institutus, ex plurimis ea tantum desumit, quæ ad collocationem facere videntur. In demonstratione duo sunt ordines collocandi. nam aut temporum seruantur gradus, aut generum distributiones. In temporum gradibus ea sunt quæ fuerunt ante nos, vt natio, patria, genus, id est parentes atque maiores. Deinde quæ nobiscum, vt sexus, ætas, indoles, habitus corporis, animi natura, facta dictáque pueritiæ, iuuentutis, senectæ. Post nos erunt exequiæ, funera, pompa, honores, hominúmque existimationes. Hunc ordinem Cicero ferè seruat, réfque describit temporibus, in Verrem, in Pisonem, in Antonium Philippica secunda. Hoc enim modo recta est expositio, & amplior materia, promptiórq; memoria. Generum distributiones non vno modo diuiduntur. Nam diuidimus bona malá've, in externa, corporis, & animi. Aut facta dictá've reducimus in quædam genera virtutum siue vitiorum: non vtique quatuor, sed quot res ipsa tradiderit: vt pro lege Manilia, bona summi imperatoris partitur in scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem: vbi subest quædam ratio temporis. Aut res gestas concidimus in maiores, & minores: vt pro Marcello comparat reliqua Cæsaris facta cum misericordia in victos, tanquam minus cum maiore. Hoc modo trifariam genera diuiduntur. Quòd autem in illis rerum quædam dissimilitudo est, singula rursus progrediuntur aut à minoribus ad maiora, aut à maioribus ad minora, aut inæquabili varietate distinguuntur. aliter infrà præcipit his verbis: Sed quoniam in tribus generibus bona malá've versantur, externis, corporis, & animi: prima sunt externa, postea corporis bona, deinde est ad facta veniendum; quorum collocatio triplex est. aut enim temporum seruandus est ordo: aut in primis recentissimum quodque dicendum: aut multa & varia facta in propria virtutum genera sunt digerenda. Quæ vt consentiant istis, primò generum distributio est, deinde temporum gradus, quibus vel ascendimus vel delabimur: tandem inæquabilis varietas. Res est propè eadem, tractatio & verba diuersa. Inæquabilis varietas coniungit res generis diuersi. Cato bellum gerebat vt summus imperator: rem familiarem administrabat vt bonus paterfamilias. Nec facilè iudices an fuerit domi forisne præstantior. Hæc inæqualia: hic parua magnis intexuntur. Simplicia vnam modò rationem, coniuncta plures habent. Cicero Philippica secunda, Patruum in Septẽuiratu nónne destituisti? Hoc crimen est simplex. Probri insimulasti pudicissimam fœminam. Hoc quoq; simplex est. Cõtentus eo non fuisti: frequẽtissimo senatu Calendis Ianuarij, sedente patruo, hãc tibi esse cum Dolabella odij causam ausus es dicere, quòd ab eo sorori & vxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses. Quis interpretari potest, impudẽtiórne, qui in senatu: an improbior, qui in Dolabellam: an impurior, qui patre audiente: an crudelior, qui in illam miseram tam spurcè, tam impiè dixeris? Vidésne vt in vno dicto multa sunt scelera coniuncta? Ne dixeris simplicia dici, quæ solus quis aut primus fecerit: coniuncta verò, quæ cum paucis, vel etiam cum pluribus. Cicero hoc si fortè intelligere voluisset, propria, non simplicia, communia, non coniuncta dixisset. An simplicia dicit, quæ ponuntur singulatim, coniuncta quæ gregatim? Non opinor. Hic enim agit de natura & qualitate rerum: quod ostendunt reliquæ partes. Complexio siue coniunctio duorum pluriúmve, non ad naturam, sed ad tractationem refertur. Factorum præterea alia obscura, alia

dilucida, ea sunt maioris minorísve splendoris: quæ translatione dicimus claros natales, & obscuros: vt quòd Horatius Cocles pontem aduersus hostem solus tenuit, dilucidum præclarúmque est factum: reliqua viri facta sunt obscura. Læta & tristia, quæ vel adridente vel aduersante fortuna gesta sunt. Cicero de Senectute, postéaquam Quinti Fabij Maximi latiora quædam facinora commendauit, addit, Multa præclara in eo viro cognoui, sed nihil est admirabilius, quàm quo modo ille mortem Marci filij tulit, clari viri, & consularis. An læta dicit, quæ audientes afficiunt voluptate: tristia, quæ mœstitia? Id probabile videtur: sed mihi potior est altera sententia. Incredibilia, quæ superant hominum fidem: Probabilia contrà. Cicero in paradoxis, Sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. Cæsar ad Alexandriam eruptione hostium subita compulsus, cum desiliisset in mare, nando per ducẽtos passus euasit ad proximam nauem, elata læua, ne libelli quos tenebat, madefierent: paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis. Factum quidem istud, sed multis est incredibile. Iunge simili facto, Idem Cæsar si flumina morarentur, nando traiiciebat, vel innixus inflatis vtribus: probabile est.

LATOMVS. Aut sæuitiam, aut clementiam.) Sæuitia in accusando, clementia in defendendo, in suadendo spes, in dissuadendo reformidatio deliberantis proponitur. Varij sunt ordines collocandi.) Quinque collocationum modi hic enumerantur, quorũ primus est temporum, vt vituperatio Antonij in secunda Philippica, & tota in Pisonem oratio. Secundus, cùm quæ dicenda sunt, in certa capita distribuuntur: vt laus Pompeij pro lege Manilia, quæ in scientiam rei militaris, in virtutem, in authoritatem, in fœlicitatem digeritur. Tertius, cùm à minoribus ad maiora ascendimus, qui ordo proprius est amplificationis, quæ in exornando necessaria est: vt pro Marcello in extollenda clementia Cæsaris, & in Oratione post reditum suum, vbi beneficium restitutionis suæ amplificat. Quartus huic contrarius est, cùm à maioribus ad minora delabimur. Est enim amplificationi contrarius, & ad deprimendum eleuandúmque pertinet, vt si in vituperando Annibale res eius extenuare velis, expediat à maximis incipere, & ad minora delabi, vt ipsa collocatione magnitudo rerum ad ima deferatur. Sic in prima Philippica à rebus primùm præclarè ab Antonio gestis paulatim ad crimina delabitur. Quintus ex his mixtus est, & æquabiliter temperatus, vt in ipsa rerum inæqualitate æqualem tamen & constantem orationem efficiat, vt secunda Philippica, in qua præter temporum ordinem hoc etiam seruatur, vt leuiora, quæ ad sordes & nequitiam Antonij pertinebant, grauioribus quæ in Senatum & Rempublicam commissa erant, intexerentur. Sed de tota disponẽdi ratione diligentissimè Agricola, qui hæc omnia complexus magno cum fructu in hac parte legi potest. Simplicia coniunctis.) Simplicia sunt, vt si de ingenio, de liberalitate singulatim dicas. Coniuncta, si de ingenio & doctrina, de liberalitate & magnificentia coniunctè dicamus. Obscura dilucidis.) Vt de deorum natura, de animorum immortalitate. Incredibilia.) Vt Romulum ex deo ortum, à lupa nutritum, in cælum sublatum fuisse.

HEGENDORPH. Temporum seruantur gradus.) Id est, quibus temporibus ætatis quælibet facta sint, quæ in pueritia, adolescentia, iuuenta, senecta alicuius facta fuerint.

Generum distributiones.) Scilicet bonorum: vt primò laudibus tollantur in aliquo bona animi, deinde bona fortunæ, postremò bona externa.

LEODEGARIVS. In exornatione.) Appellat genus demonstratiuum exornationem, quia cùm laudamus, exornamus. Ideo in Topicis vocauit laudationem à parte meliori.

Delectationem.) Nam genus laudatiuum est comparatum ad auditoris oblectationem, & ad ingenij ostentationem. Sæuitiam.) Amerbachius putat hic sæuitiam & clementiam remissiùs capiendam quàm vulgo, nec enim vir bonus (vt est orator) debet ita exasperare iudicem ad crudelitatem, vt insontem damnet: nec ita flectere ad misericordiam, vt sontẽ absoluat. Spem.) Speramus bona, timemus mala: qui igitur suadet, proponet auditori bona: illa enim incitant, qui autem dissuadet, proponet mala, à quibus abhorrebit auditor.

IOANNES A FOSSA. Varij sunt ordines collocandi.) Collocandi ordo instituitur bifariam. Primùm absolutè, vti historiographorum more, seruando temporum gradus, & (si artem adhibeas) diuidendo laudem in virtutum species, sicut in Maniliana. Deinde comparatè, idque tripliciter, vel à minoribus in amplificatione ascendendo: vel à maioribus in extenuatione descendendo: vel variè & permixtè, vbi perinde quasi à virtute deserta auxiliis sustì-

nentur. Obscura enim docilitatem: tristia attentionem, incredibilia beneuolentiam auertũt. Quibus oppone tres virtutes, dilucidum, breue, probabile. Parua oscitantiam & quasi contemptum, magna admirationem pariunt. Simplicia laxitate non timentur. Coniuncta numero ac turba valent, non aliter quàm si eruptione pugnetur.

COMMENTARIVS. Quas res.) Vnaquæque causa particulares habet duos fines, alterum fidei, alterum motus. vt genus deliberatiuum fidei habet finem, vtilitatem & honestatem: motus verò, spem. Nũc duntaxat loquitur de finibus motuum, quoniam in motu plurimum est virium. In tractatione quæstionum & orationis aget pluribus de fide. Aut spem.) Spes de futuro bono est: at bonum incitare solet ad aliquid agendum: igitur suasor hoc sibi proponit. Et reformidatio est de malo futuro, quæ ab agendo deterret: igitur dissuasor hunc sibi finem proponit. Alij codices habent, reformationem: Hãcque lectionem approbat Victorius. Vt rationem.) Quia vnaquæque causa habet proprium finem. Quia quibus.) Hæc dispositio capitum est præcipuè, ipsarum quoque argumentationum. Refertur autem ad delectationem, vel ipsa serie, vel certè rerum tractatione. Nam aut temporum.) Sic Verrem vituperat Cicero, Primùm à quæstura, deinde à legatione, tum demum à Prætura vrbana. Sic aliquem laudamus à rebus puertiæ, deinde adolescentiæ, & sic deinceps. Aut à minoribus.) Nam proprium est generis demonstratiui amplificare, & amplificatum solet semper ascendere. Ita progrediemur. Ad minora delabimur.) Si hoc in laude est accipiendum, intelligendum erit à bonis animi ad bona fortunæ & corporis esse transgrediendum. Sin autem in laudis extenuatione, optima erit diminutio, quæ contraria est amplificationi: vt si maximum alicuius factum oratione exiguum ostendas, reliqua quæ minora sunt iacere videbuntur. Cum parua magnis.) Hic ordo qui inæquabilitatem habet, sua varietate solet delectationem efficere miram. Læta tristibus.) Vt si laudares Marium, qui sequutus est vtranque fortunam.

C. F. Quid? in deliberatione quid spectas? C. P. Principia vel non longa, vel sæpe nulla. Sunt enim ad audiendum, qui deliberant, sua causa parati. Nec multum sanè sæpe narrandum est. Est enim narratio præteritarum rerum, aut præsentium: suasio autem futurarum. Quare ad fidem & ad motum adhibenda est omnis oratio.

STREBAEVS. De deliberatione permulta atque præclara scribit ad huius operis finem: nunc tantum præcipit, hoc genus quonam ordine dirigatur. Principium, si quod erit, initio collocabitur: deinde narratio: cui proxima confirmatio: extrema peroratio. Confirmatio ad fidem, peroratio ad motum pertinebit. Quòd si principium nullum fuerit, nullàque narratio, duo restant collocãda. Probatio antecedet, motus autem subsequetur. Principia ne sint longa, vt Philippica quarta. Aliquando nulla, vt Philippica decimatertia & quarta. Causam ponit vtriusque. Sunt, inquit, ad audiendum, qui deliberãt, id est consiliũ petunt, sua causa parati. Quibus verbis non significat omnia principia deliberationum, sed ea tãtum quæ vel attentionem vel beneuolentiam mouent. Hæc igitur Quintilianus interpretatur his verbis, Pars deliberatiua proœmio, quale est in iudicialibus, non vbique eget, quia conciliatus est ei quisque, quem consulit. Initium tamen quodcunque debet habere aliquam proœmij speciem. nec enim abruptè, nec vnde libuit incipiendum, quia est aliquid in omni materia naturaliter primum. In senatu vtique, & in concionibus, eadem ratio quæ apud iudices, acquirendæ sibi plerunque eorum apud quos dicendum sit, beneuolentiæ. Affirmat & in senatu & in concionibus proœmia ad beneuolentiam comparandam duci posse, quæ plerunque longa ducuntur. Eiusmodi principium est Ciceronis in Seruilium Rullum ad populum. nec mirum: quia rationi paret ars, vt optimæ duci. In hoc genere non multum sanè sæpe narrandũ est, quia narratio est præteritarum rerum aut præsentium, suasio autem futurarum. Quintilianus & hæc interpretatur. Narrationem, inquit, nun

quam exiget priuata deliberatio eius duntaxat rei, de qua dicenda sententia est: quia nemo ignorat id de quo consulit. Extrinsecus possunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus sæpe est etiam illa quæ ordinem rei docet, necessaria: & affectus, vt quæque maximè postulabit. Hac sentētia Quintilianus duplicem facit narrationem. Vnā eius rei de qua dicenda sententia est, quam Cicero voluit hic accipi. Ea in priuata deliberatione minime necessaria, in cōcione sæpe texēda. Exponimus enim & quid factū sit, & quid fiat, & quid sit futurum: quæ omnia in Rullum facilè reperies. Narratio tamen propriè dicitur esse præteritarum rerum aut præsentium. Dicet aliquis, verba Ciceronis quibus dicit non multum sæpe narrandum esse, intelliguntur de propositione, non de narratione: quia nulla potest esse narratio sententiæ de futuro. Cur igitur non dicit nunquam esse narrandum, sed non multum sæpe? Cur Quintilianus id refert ad priuatam deliberationem, non ad publicam, nisi quòd publica narratio fieri potest, & sæpe fit propter eos qui rem de qua agitur, ignorant? Propositio frequens est: sed & narratio rei de qua dicenda est sententia. Ad hæc Cicero digerit ordinem partium: propositio non est pars rhetoricæ. Iam quid vetat narrare, quæ hostili more faciat Antonius, si dicenda sententia est, vt is declaretur hostis patriæ? nam debilis est hæc ratio. Sententiæ de futuro narratio nō texitur. Nō dicimus narrari sententiā, sed rē de qua sententia dicēda est: sicut non dicimus narrari iudiciū, sed id de quo iudicandum est. Non ita Cicero intellexit quum dixit, Suasio est rerum futurarum: sed sensit esse posse multas suasiones, quæ nihil habeant neque præteriti, neque præsentis, & illis non opus fore narratione: aliis, quæ aliquid petant, aut præsens, aut præteritum, conuenire narrationem.

LATOMVS. Principia vel non longa.) Hic denique fit mentio partium orationis, quia infinita quæstio sola confirmatione, exornatio sola expositione constat. In deliberationibus & iudiciis principia & perorationes: sæpe etiam narrationes sunt necessariæ. In deliberatione igitur principia non longa sunt, vt pro lege Manilia, & Philip. 2.3.4.5.9.11. Nulla, vt Philip. 1.6.7.8.10.12.14. Est tamen longum principium in Orat. contra Rullum, quia causa id postulabat, cùm contra legem Agrariam apud populum diceretur. Nec multum sanè sæpe narrandum.) Narratio est enim aliqua extra causam, ad eam tamen pertinens, vt pro Pompeio de rebus gestis Luculli. propria nulla est in hoc genere, quia id de quo deliberatur, semper futuri est temporis, vt bellum Pompeio esse mandandum. Quare & ad fidem & ad motum.) Hoc quo modo, & quo ordine faciendum sit, explicabitur infrà, cùm ad quæstionem & ad causam deliberatiuam ventum erit.

LEODEGARIVS. Principia.) Quædam deliberationes sunt publicæ, quales fiunt in Senatu aut concionibus apud populum: quædam sunt priuatæ. Priuatæ non egent prooemio, quale est in iudicialibus (hoc est quod artificiose beneuolentiam captet) quia conciliatus est ei quisque quem consulit: initium tamen quodcunque debet habere aliquam prooemij speciem. In senatu vtique, & in concionibus, eadem ratio quæ apud iudices, adquirendæ sibi plerunq; eorum apud quos dicendum sit beneuolentiæ. Nec mirum, cùm etiam in panegyricis petatur audiētium fauor, vbi emolumentum non vtilitate aliqua, sed in sola laude consistit: vt vult Quintilianus libro tertio cap. 10. Nec multum.) Non dicit non esse narrandum, sed dicit non multū narrandum: deinde non loquitur de narratione causæ, sed de narratione rerum ad causam pertinentium, quæ quidem pertinet ad priuatam deliberationem. Quare.) Si in suasione principia vel nulla, vel non longa sunt, et non est multum sæpe narrandum, sanè conuertenda est nostra oratio ad confirmationem, in qua est fides, & ad conclusionem, in qua est motus.

IOAN. A FOSSA. Principia vel non.) An sit & quantum sit, paucis respondet. Non sunt longa, vt pro lege Manilia: Nulla, vt Philip. 1.6.7.8. Sunt enim ad audiendum.) Ratio hæc subiicit operosa non esse exordia, & ad docilitatem intentionémque potius quàm beneuolentiam contendere. Narratio propria nulla, nisi quæ ordinem rei doceat: est autem pertinentium rerum. Quare & ad fidem & ad motum.) Frequentiores partes, confirmatio & conclusio.

COMMENTARIVS. Quid in deliberatione.) Hoc in genere de partium agit collocatione, quod in demonstratiuo genere non fecit, quia in eo satis est exordium qualecunque, & perpetua rerum explicatio cum amplificationibus. At in hoc genere quædam partes sunt ne-

cessariæ, quædam prætermittuntur, ita vt de parium dispositione fuerit agendum. Principia.) Fabius existimat publicam deliberationem exordium habere causis forensibus propè simile. Sunt quidem deliberationes publicæ, vt quæ fiunt in Senatu, & in concione ad populum. At priuatæ deliberationes exordium tale non habent, sed initium qualecunque, exordio simile. Igitur principia accipere debemus pro exordiis, quæ operose benevolentiam conciliant, qualia non sunt in priuata deliberatione. Nec multum.) Duplex est narratio apud Fabium: Altera ipsius rei, altera rerum ad causam pertinentium. Posterior esse potest tam in publica quàm in priuata deliberatione: Prior duntaxat in publica. Quanquam narrabitur duntaxat quod in præterito factum est, aut in præsenti fit. Nec multum sanè narrandum est.) Sed narrationis loco ponenda propositio, quæ complectitur summam suasionis. Quare.) Ait igitur omissa narratione vtendum esse confirmatione & conclusione. Nam confirmatio desiderat fidem potissimum, cui tamen admiscetur motus. Conclusio autem in primis flagitat motum.

C.F. Quid? in iudiciis quæ est collocatio? C.P. Non eadem accusatoris, & rei: quòd accusator rerum ordinem prosequitur, & singula argumenta quasi hasta in manu collocata vehementer proponit, concludit acriter: confirmat tabulis, decretis, testimoniis, accuratiúsque in singulis commoratur: perorationísque præceptis, quæ ad incitandos animos valent, & in reliqua oratione paululum digrediens de cursu dicendi, vtitur, & vehementius in perorando. Est enim propositum, vt ira tum efficiat iudicem.

STREBAEVS. De genere iudiciali, postremo loco tandem plurima. Nunc de collocatione. Ea duplex est, vna accusatoris, altera rei, id est eius qui vocatus est in ius. Accusator rerum ordinem prosequitur: quod ipse facit in Verrem, vt exponat quæ commiserit Quæstor, quid Legatus, deinde Prætor Vrbanus, tandem Siciliæ prætor. In rerum gradibus singula argumenta, quasi hasta in manu collocata, vehementer proponit. Nõ debet in acie confertim densque sua argumenta collocare, sed fusè & sparsim porrigere, vt singula aduersarium superare videantur. Proposita concludet acriter: vt tanquam secunda substruatur acies, nunc è simplici complexione, nunc ex enumeratione multorũ: sic enim acerbitas exasperatur, quòd plus colligamus, quàm quod efficiatur argumentis, & misceamus affectus. Extendet argumenta, id est, singulorum factorum probationes, si immoretur, multúmque loci capiat. Immorabitur, si non modo ratione vique argumentãdi à rebus internis siue in re ipsa positis contentus fuerit, sed etiã extrinsecus assumpserit aut tabulas, id est literas, quales subinde producit in Verrem: aut decreta, vt Senatusconsulta ciuitatum Siciliæ in eundẽ: aut testimonia: aut si fieri potest, vniuersa. Iam duo sunt ordines. Vnus temporum tanquam legionum vniuersarum. Alter singulorum quæ reprehenduntur, velut cuiusque cohortis in exercitu. Tertius est subsidiorum auxiliorúmque. Is est ordo potentissimus affectuum. Hos in acie vult collocari post singulos quosque grauiores locos, vt hinc ad affectum egre diatur & erumpat impetus. In quo proponenda singula, deinde grauiter exponenda latéque firmanda, tandem colligenda. Subsequitur affectus, quo in reum accusator inuehitur, velut ira grauiore percitus. Exempla multò prolixiora sunt, quàm quæ scribi debeant. Lege actiones in Verrem: hunc ordinem scitè collocatum reperies. Rerum ordinem prosequi, est res eo quo gestæ sunt ordine explicare. Singula argumenta dicuntur probationes singulatim collocatæ. Argumenta aut singula ponuntur, aut conferta & conglobata, vt milites aut singuli, aut collecti atque cõiuncti. Conferuntur hastæ, quoniam illis vt hastis petitur aduersarius. Vehementer proponere, est proferre cum amplificatione & affectu. Cõcludere acriter, colligere quæ confecta sunt, exponendo narrandóque cum motu & auxesi.

LATOMVS. Quòd accusator rerum ordinem persequitur.) Ordinem vel temporum intelligit, vt in criminibus in Verrem: vel quem ipse sibi fingit orator distributione aliqua, vt in eundem de prætura Siciliensi, quam in quatuor partes distributam ipse eodem ordine prosequitur, vt in iurisdictionem, rem frumentariam, signa, supplicia. In his autem ita se geret accusator, vt obiectis criminibus argumenta in promptu habeat, quibus singula probet, concludat acriter, vrgẽdo quod efficitur: tabulis, decretis, testibus, si possit, confirmet. Tum in singulis ita commoretur, vt paulum digressus à proposito commoueat iudices, idque cùm in confirmatione tractanda, tum in reliqua oratione faciat, sed maximè in peroratione. Exempla multa ab ipso in Verrem expressa sunt. Itaque in Lampsaceno crimine exposita re ita proponit, Quæro ex te circumsessúne sis Lampsaci. Deinde concludit, Cùm igitur quæ causa illius tumultus fuerit, testes à nobis producti dixerint, ipse tacuerit: nónne causam hanc quam nos proposuimus, tum illorum testimonia, tum istius taciturnitas confirmat? Deinde commoratur eodem in loco, & instigat iudices, Huic homini parcetis igitur iudices? & quæ sequuntur act. 3. Quasi hasta in manu.) Similitudo est à pugnantibus, quibus tela suppeditantur, vt apud Virg. Suggere tela mihi.

LEODEGARIVS. Singula.) Vt hostis in hostem non vno impetu simul vniuersas hastas amentatas contorquet, sed singulas vibrat, sic actor in reum non congerit omnia in vnum fascem argumenta vt iaculetur: sed singulis impetit. Tabulis.) Iurisconsulti solent vsurpare tabulas pro testamentis. vnde sunt bonorum possessiones secundum tabulas, & contra tabulas. Sed hoc loco paulò latius Cicero vsurpauit pro omni genere instrumentorũ & scriptorum, qualia sunt chirographa, syngrapha, codicilli, testamenta, diplomata. Decretis.) Decreta volunt quidam esse specialia, Consulta autem generalia. Vehementius in perorando.) Summa concitandi affectus actori in hoc est, vt id quod obiecerit, aut quàm atrocissimum, aut etiam (si fieri potest) quàm maximè miserabile esse videatur. Atrocitas crescit ex his, quid factum sit, à quo, in quem, quo tempore, quo loco, quo modo: quæ omnia infinitos anfractus habent. Caterum ideo Cicero ait esse concitandos vehementius affectus in peroratione, vel quia memores esse solemus maximè eorum quæ nouissimo loco dicũtur, vel quia iudex dimittitur, nec vllum (cum peroraris) relinquitur auxilium.

IOANNES A FOSSA. Quid? in iudiciis.) Actor & patronus contrarios habent fines, ille sæuitiam, hic clementiam iudicis. Proinde non eadem collocatio. Hasta in manu.) Metaphora à re bellica ad forensem. Vehementia est cum venit, Acrimonia cum hæret telum. Tabulis, decretis, testibus.) Iudicij propria sunt hæc. Aristoteles 1. Rhetor. Ad benevolentiam sumuntur exordia ethica & morata, aliàs etiam quæ παθητικά.

COMMENT. Non eadem.) Non meminit petitionis & repulsionis, quæ etiam partes sunt generis iudicialis, vel quia possunt intelligi ex analogia accusationis & defensionis, vel quia rationem præceptorum in difficilioribus experimur. Est adnotandum præter hæc tria causarum genera ab Aristotele adiici quartum in rhetorica ad Alexandrum, quod appellat ἐξετασιῆν. Fabius exquisitinum interpretatur. Attamen referri poterit ad genus iudiciale, vt ex Fabio apparet. Quòd accusator.) Quanquam hoc potissimùm ad gradus temporis referri videtur, tamen etiam referri potest ad gradus criminum, illúmque ordinem quo à minoribus ascendimus ad maiora, vt dictum est in demonstratione. Quasi hasta.) Tota accusatoris oratio acris esse & vehemens debet, ac sæpenumero adhibet δεινωσιν, qua maiorem criminum inuidiam efficit. est autem metaphora vsus, cùm hastam dixit. Alibi vocat hastas amentatas. Amentum funiculus est alligatus hastæ, quo digiti adhibiti hastæ acriter vibrant hastam.

Vehementer proponit.) Proponere vehementer argumenta est, cum amplificatione & anhelitu proferre. Concludere acriter est, colligere acriter quæ conficta sunt, exponendo narrãdoque cum motu & auxesi. Concludit acriter.) Hoc intellige de particularibus argumentis. Confirmat tabulis.) Meminit potissimùm hoc loco inartificialium locorum, propterea quòd argumenta ab illis posita firmiora sunt quàm quæ ducuntur ab artificialibus. Per tabulas autem complectitur quæcunque instrumenta & scripta, vt sunt syngrapha, & testamenta, diplomata. Accuratiusque.) Significat vtendum esse commoratione, quæ dicitur ἐπιμονή. Huic est locus in firmissimis causæ argumentis, cuiuscemodi sunt inartificialia quæ enumerauit. In reliqua oratione.) Accusator cùm rem exposuit atrocem, solet vti procursu, vt ait Fabius. Est autem procursus,

excursio in affectus: anumeratúrq; digressioni. Aliis etiam digressionum generibus vti solet accusator ad affectum. Et vehementius in perorando.) Nam peroratio admittit omnes affectus, habétque maiores faces perturbationum, quàm reliquæ partes, quia tum dimittitur iudex, neque superest vllum auxilium.

Dispositio defensoris.

C. F. Quid faciendum est contrà reo? C. H. Omnia longè secus. Sumenda principia ad beneuolentiam conciliandam. Narrationes aut amputandæ, quæ lædunt: aut relinquendæ, si totæ sunt molestæ. Firmamenta ad fidem posita, aut per se diluenda, aut obscuranda, aut digressionibus obruenda: perorationes autem ad misericordiam conferendæ.

STREBAEVS. Hæc statuuntur de collocatione patroni siue defensoris. Sit in acie prima principium ad beneuolentiam comparatum, quia audítores exasperauit accusator. Narratio, si tota pro nobis, ordine secundo ponetur. Si tota contra nos, relinquetur, ne intromissa fundat aciem. Si partim pro nobis erit, partim contra nos, id quod proderit, instruendum: quod nocebit, arcendum. Succedet acies argumentorum, quæ quidem argumentis aduersarij conferuntur. Ea firmamenta vocat, quòd illis caussa confirmatur. Aduersarij probationes aut superari possunt, aut inuictæ constant. Vt vincantur per se, id est ipsa ratione firmamenti, initio tentandum est. si nequeunt expugnari, aut obscurandæ, aut digressionibus obruendæ. Obscurantur, si multa dicendo faciamus ne virtus earum splendescat: & eludendo verbis, vim omnem obtundamus, & lucem. Adulter est, inficiari non potest. Non respondeo, inquit, ad omnia maledicta quæ inimicus excogitauit, nec si quid est commune magnorum virorum, & frequenter eorum qui cæteros accusant: quorum si vitam, si libidines, si adulteria requiramus, metuo ne penè omnibus periculum creetur. Condonemus aliquid voluptati, quod citra Reipub. perniciem fiat: aut omnes quicunque peccauerint ciues, exterminemus. His & similibus res obscuratur, vt Cælij incontinentia. At sunt quæ obscurare non possis. Sint, vt vis: hæc præceptio cadit in ea quæ obscurari queunt. Plus autem est obruere quàm obscurare. Obscura videri possunt: obruta non possunt. Seditiosus quis fuit? Exponendum magnificè præclaras illius egregiásque virtutes. Hac digressione consequêris, vt vnius facti memoria deleatur, si non in perpetuum, tamen in iudicium præsens. Peroratio subsidebit, veluti cum triariis. In ea collocabuntur affectus mitiores, quibus iudex iratus mitigetur. de quibus aliàs suo loco dicetur.

LATOMVS. Sumẽda principia.) Hic igitur principiis opus est ad placãdum animũ irati iudicis. Narrationes amputandæ sunt, hoc est, circũcidendæ, ablatis iis quæ contra nos sunt: aut si totæ noceant, relinquendæ. de quo diligenter præcipit Fabius. Firmamenta ad fidem posita.) Firmamenta propria sunt accusatoris, tametsi defensoris etiam firmissimæ rationes firmamenta appellantur: quæ si desint in causa, nulla est controuersia. Itaque contra Milonem firmamenta sunt, lex Cornelia, decretum senatus, rogatio Pompeij. Pro defensione eiusdem, insidiæ Clodij. Reipub. vtilitas. Hæc aut per se diluenda sunt, aut obscuranda, aut digressionibus obruenda. Diluuntur quæ ficta, aut falsa sunt. Ficta, vt Roscium filium exhæredare voluisse. Falsa, Oppianicum innocentem fuisse. Obscurantur quæ negari non possunt, sed duobus modis, vel quia verisimilia sumpta sunt pro certis, vt sperasse aliquem impunitatem delicti: vel etiam si certa sint, tamen non efficiunt quod intenditur, vt pecuniã in iudicio Oppianici versatam fuisse. Hoc enim quauis certum esset, tamen non confirmaret iudicium à Cluentio corruptum fuisse, cum à reo etiam pecunia proficisci potuerit, sicut in eadem causa docet Cicero. Obscuratur igitur, hoc est, obscurum incertúmq; esse ostenditur. Et hoc est quod ipse gloriatur alicubi se in Cluentiana causa iudicibus caliginem offudisse. Digressionibus obruuntur, quæ nec diluí, nec obscurari possunt, sed compensantur opposita re aliqua vel in causam, vel in personam aduersarij, qua amplificata auertatur animus iudicis ab eo quod obiectum est, & in contrariam partem auferatur. Itaque ip-

se pro Murena authoritatem Catonis, quæ valde premebatur reus, hilaritate orationis obruit, illudendo in Stoicos, & seueritatem iudicij risu dissoluendo. Pro Cælio autem mentionem veneni, quod Cælius in seruo expertus fuerat, discutit commiseratione Q. Metelli, cuius interitum deplorando iudices à proposita re auertit.

LEODEGARIVS. Longe secus.) Actor vulnus inflixit, patronus vulneri medetur: quantum autem elaborauit ille vt reo iudicem infestum faceret, tantundem conabitur hic vt conciliatum reddat. Relinquendæ.) Hic locus habet hunc sensum, vt narrationem relinquamus, quæ tota contra nos est, etenim si eam repeteremus, illud esset refricare cicatricem: sed vice illius narrationis vtemur contraria, quæ tota pro nobis erit. Alioqui si nihil narremus, equidem silentio fatebimur causam esse non bonam, & tanquam non agendo, eam prodemus. nisi forte tam hebes futurus est iudex, vt secundum id pronuntiet, quod sciet te narrare noluisse. de qua re vide Quintilianum libro quarto, capite secundo. Digressionibus.) Egressiones plurimum valent vt fucum faciamus, & in errorem abducamus.

IOAN. A FOSSA. Relinquendæ, si totæ sunt molestæ.) Quintilianus putat & probat narrandum esse, sed adhibenda remedia. Diluuntur perspicuè falsa & ficta. Obscurantur quæ dilui non possunt, vt vis lateat. Obruuntur & quasi terra iniecta infodiuntur, quæ non facile obscuraris, id fit digressionibus, ita Cicero gloriatur se iudicibus tenebras offudisse in Cluentiana. ἀποπλάνησις dicitur.

COMMENTARIVS. Sumenda principia.) Nam quia accusator iratum fecit iudicem, necessarium est vt reus iudicis animum placet, eúmque sibi cõciliet: alioqui iudex respuet defensionem. Narrationem.) Cùm narratio est partim pro nobis, partim contra nos, auocandus est & auertendus iudicis animus à parte molesta ad partem nobis commodam, atque ita partem molestam amputabimus. Veruntamen Cicero nihil videtur præcepisse de illis narrationibus, quæ sunt totæ pro nobis, quia nimirum earum est facilis ratio, víxque reo tales contingere solent. Aut inquirendæ.) Cùm tota narratio est contra nos, etiam tum narrandum Fabius necessariò existimat, sed quibusdam tamen detractis, quibusdam immutatis, adiectis etiam aliis causis. Nec tamen diu est immorandum: & ita verius erit propositio quàm narratio: vel si narratio erit, molestia aberit, fiétque nobis vtilis, cùm multa mutauerimus. Aut obscuranda.) Quæ dilui non possunt, sunt obscuranda, vt minor videatur eorum vis & verisimilitudo. Quæ nec dilui nec obscurari possunt, sunt obruenda copia verborum & digressionum, auocato ab his iudicis animo. Hæc est illa quæ dicitur ἀποπλάνησις à Rhetoribus, id est abductio in errorem, qua est vsus Cicero pro Cluentio. Gloriabatur enim se offudisse tenebras oculis iudicum.

C.F. Sempérne igitur ordinem collocandi quem volumus, tenere possumus? C.P. Non sané. Nam auditorum aures moderatur oratori prudenti, & prouido: & quod respuit, immutandum est.

Qui modus in disponendo.

STREBAEVS. Animaduertenda præceptio, & consilium tenendum. Dispositio frequenter cum seruat ordinem, quem antè per genera describit. Tamen vtilitas causæ, persona, tempus, locus, plurima commutat. Hinc ante narrationem refutatio est pro Milone. Hinc interruptiones narrationum pro Cluentio. Verum igitur quod Quintilianus iudicat, Mutantur, inquit, pleraque causis, temporibus, necessitate, occasione. Atque ideo res in oratione præcipua, consilium est: quia variè, & ad rerum momenta conuertitur. Et paulò pòst. Neque rogationibus, plebísue scitis sancta sunt ista præcepta, sed hoc quicquid est, vtilitas excogitauit. Aures auditorum moderari oratori prudenti & prouido, est, oratorem circumspectum auribus auditorum se accommodare.

LATOMVS. Immutandus est.) Vt pro Milone, vbi confutatio ante narrationem locatur. Et pro Sylla, vbi extremo loco de vita Syllæ dicitur.

LEODEGARIVS. Nam auditorum.) Oratoris est dicere cum assensione audi-

tum quoad eius fieri potest, sed nō potest habere adstipulatores, nisi eorum voluntatem intueatur, & ad eorum arbitrium & nutum sese fingat: igitur sic accōmodare se ad eos debet, vt si quid respuant, immutet. vt etiam ait in Oratore ad Brutum.

COMMENTARIVS. Sēpēne igitur.) Duplex est dispositio. Altera enim ex artis præceptis, de qua hactenus est dictum. Altera contra artis præcepta, quam orator consilio atque iudicio vsus, pro causæ conditione cæterisque circunstantiis innouat. Sic Cicero pro Cluentio sæpius narrauit: pro Milone ante narrationē quædam refutauit. Nā auditorum.) Vt si animus iudicis auersus erit à defensione rei propter firmissima quædam adiumēta accusatoris, antequam orator causam constituat, in narratione & diuisione quædam adiumenta refellet, sine quorum sublatione constitui defensio non possit. Agricola libro tertio capite sexto tradit tres dispositiones, naturalem, arbitrariam, & artificialem.

Dispositio accusatoris.

C.F Expone deinceps quæ ipsius orationis, verborumque præcepta sunt. C.P. Vnum igitur genus est eloquendi sua sponte fusum: alterum versum, atque mutatum. Prima vis est in simplicibus verbis: in coniunctis secunda. Simplicia inuenienda sunt: coniuncta collocada sunt. Et simplicia verba partim natiua sunt, partim reperta. Natiua ea, quæ significata sunt sensu: reperta, quæ ex his facta sunt. Et nouata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione verborum.

Quatuor genera verborum nouatorum.

STREBAEVS. Vis oratoris in quinque rebus posita est, ex quibus exposuit inuentionem atque dispositionem: nunc ordine persequitur elocutionem, quam vocat orationem: quoniam pars illa est vnde nomen duxit eloquentia, vnde rhetores & oratores nominati. Non absurdè igitur nomine totius appellatur. Et ne maneret ambiguitas, orationem interpretatus est præcepta verborum. Id sic explicat in Oratore, Quanquam, inquit, omnis locutio oratio est, tamen vnius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est. Diuiditur eloquēdi genus in sua sponte fusum, & in versum atque mutatum. Genus versum atque mutatum est, quod verba aut orationem in plura dilatat, aut contrahit, vel orationis ordinem commutat. Quod vt intelligas, ea tibi legenda sunt quæ paulò post ascribit de conuersa oratione atque mutata. Genus sua sponte fusum est, quod ipso naturæ impetu, id est, trita loquendi consuetudine, quæ est velut altera natura, occursante proiicitur, per se numero ac lege componendi solutum: quod perraro (nisi sponte fluant numeri) bonus vsurpat orator. Proponitur tamen ab authore, quia quum sit in cogitatione primum, arte perficitur, haud aliter quàm lapides & materia quæ natura parit, expoliuntur artificis industria, & ædibus aptantur. Proponamus exemplum quod rudiores velint. Nusquam enim longius aberrant à via multi professores, quàm quum elocutionis iter rectà sequendum est. Milo occidit Clodium in via Appia. Sermo naturalis, & sponte fusus. rectus enim antecedit, verbum subsequitur, verbo sui casus apponuntur: nec aut conuersione, aut mutatione variatur. Hoc sermone non vtetur orator, quia posterior syllaba verbi primi cum prima sequentis intersistit, vastúmque reddit sonitum. Eodem modo tertium verbum cum quarto, quintum cum sexto dissentiunt: quódque peius est, nullus est cursus orationis, vtpote quæ claudicat, hiulca, aspera, insuauis atque suspensa. Quid igitur? verte, muta, vt ex sponte fusō cōponatur illud versum atq; mutatum. Casus est à Milone Clodius in via maiorum suorum. Omnia vitia sustulisti. Ergo si quod genus sua sponte fusum est, proprium verbis, numero decorum, nihil immutabis. Si verò non respondeant aut impropria verba, aut sonus orationis, aut figura dicendi, quærendum genus illud versum atque mutatum. Erunt qui dissentient, studiosi redarguēdi, dicentque genus sponte fusum non temere proiectum, sed numeris vinctum, consecutione verborum copulatum, verbis non coactis, sed sponte occurrentibus dictum. Illis oppono verba Ciceronis. In coniunctis autem

verbis (inquit) triplex adhiberi potest commutatio, non verborum, sed ordinis tantummodo: vt quum semel dictum sit directè sicut natura ipsa tulerit, inuertatur ordo, & idem quasi sursum versus retrósque dicatur: deinde idem intercisè atque permistè. Eloquendi autem exercitatio maximè in hoc toto conuertendi genere versatur. Si ordinis commutatio pertinet ad genus versum, nónne erit sponte fusum, quod ordinem non mutauerit? Vt igitur adstringes numeris, nisi venias ad ordinis commutationem? Nisi numerus sponte fluit, illigari nequit eisdem verbis, quin ordo verborum mutetur. Quid aliud Cicero dicit his verbis, Eloquendi exercitatio maximè in hoc toto conuertendi genere versatur, nisi genus versum esse oratorium, sponte fusum non item, nisi sponte fluat numerus & compositio? Itaque rectè dicimus hoc genus esse directum quasi naturale, neque versum, neque immutatum: cui si virtutē dat orator, in altero genere versatur. At huc Cicero refert numeros & consecutionem. Certé. Aut enim sponte occurrūt, & huc pertinent: aut arte nectuntur, & tum genus sponte fusum mutant. Genus sua sponte fusum duas habet virtutes. vnam in simplicibus verbis, in coniunctis alteram. quas vbi confeceris, persæpe fiet illud genus immutatum, quod est natura posterius. Simplicia inuenienda sunt ab Oratore, quibus optimè res exprimatur, quibúsque vis ea perferatur ad aures, quam mens antè concepit: cuiusmodi est istud Ciceronianum, Importuni gladiatoris amentia, pro Antonio crudeli. Quanto verba sunt ad significandum vehementiora? In verbis quæritur sensus, vis significandi, & figura. Coniuncta collocanda sunt, vt numerose cadant cū decenti conformatione: vt pro Cælio, Etenim semper magno ingenio adolescentes refrenandi potius à gloria, q̄ incitandi fuerunt. Tolle orationis cōpositionē, Etenim adolescentes ingenio magno fuerūt semper refrenādi potius à gloria, q̄ incitādi: periit virtus illa cōiungēdi, vt aures optimè iudicāt. Ergo prima vis in simplicibus verbis, in cōiūctis secunda. Simplicia verba partim natiua sunt, partim reperta. Natiua, ea quæ significata sunt sensu. Reperta, quæ ex his facta sunt. Natiua & reperta dico, quæ primitiua & deriuatiua grāmatici vocant. Quid porrò est aliud verbum natiuū, quàm primitiuum, & id quod est primæ positionis? cuius originem si quæras, non referes ad aliud verbum, quia nullum est, sed ad sensum, id est intelligendi facultatem. Sensus enim qui vellet expectorare quod intelligendo concepisset, inuenit signa. ea sunt verba, rerum notæ, quæ ore promūtur. Verba significata igitur sunt signa rerum, facta sensu, id est hominum conceptione, qui loqui vellent. Si quæritur vnde sit verbum intelligentia, referemus ad participium intelligēs: hoc rursus ad verbum intelligo: hoc deinceps ad verbum lego: hoc postremum, siue Græcum est λέγω, siue Latinum, referetur ad sensum. Constat igitur infinita esse quæ reperta dicantur, vt denominatiua, vt possessiua, vt verbalia, vt verba & aduerbia permulta, vt participia: quæ si ad sensum referri possunt vt primam omnium causam, tamen propiorem habent fontem vnde deriuantur. Quamobrem Quintilianus natiua dixit significata primo sensu: quia secundo reperta facta sunt. Quæ dicuntur hic nouata verba, capi possunt duobus modis: aut enim reperta intelliguntur ea quæ à natiuis facta sunt ab antiquis: aut facta à posterioribus, quæ nobis propriè noua dicuntur. De his Cicero 3. de Oratore, Nouantur, inquit, verba, quæ ab eo qui dicit ipso gignuntur ac fiunt, vel coniungendis verbis, vel sæpe sine coniunctione. Hæc itaque sunt distincta temporibus, & in repertis sunt vtraque nouata. Nouantur autem quatuor modis, similitudine, imitatione, inflexione, adiunctione verborum. Similitudinem tertio de Oratore vocat metaphoram, quā hic accipere non possumus: quia eodem loco nouatum distinguit à translato, & iam ponet ea quæ transferuntur. Accipimus analogiam: de qua Quintilianus in quinto, Analogiam quidam à simili separauerunt: nos eam huic generi subiectam putamus. Analogiam appellat hic similitudinem. Eius hæc vis est (vt eiusdem verbis vtar) vt id quod dubium est, ad aliquid simile de quo non quæritur, referat, vt incerta certis probet: qua ratione infinita propè verba nascūtur, vt Somnolentia, sicut vinolentia: Curuitas, vt prauitas: Pœnitendus, vt pudendus: Rapturio, vt parturio: Detonsare, vt desponsare: Considerātè, vt docté. Sedenim, vt atenim. Hæc & similia ad inflexionem pertinere possunt: tamen alia est ratio similitudinis, alia inflexionis. Inflexio deriuationis est sine vlla comparatione, vt sit nomen finitimus in hoc genere primum, cui poterat comparari antequam reperta essent legitimus, æditimus, & consimilia. Quàm multa sunt quæ nulli comparātur? Laberius Mimus inflexit à bibo bibosum: simile non reperies. A detero inflexum deterius, sine consorte. A credo credibile: nullum simile à ludo, cado, & reliquis id genus. A pede & tento, pedetentim. A fido fiducia,

producit enim primam. A puero puſio. A poſt & limine poſtliminium. Ergo inflexio frequenter eſt ſine analogia, quamobrem non ſine cauſa diuiduntur. Analogia ſi vera eſt, quærit ſimile genus, ſimilem finem, ſimile declinamentum, quæ non ſpectat inflexio. Analogia comparat, inflexio deriuat. Imitatio de ſono verba trahit: tinnio, rugio, vagio, balo, rudentes, murmur, clangor, baubator. In his Latinorum minima fœlicitas. Adiũctio verborum eſt compoſitio, Incuruicerui cum pecus, velinolum mare, velificari, aræ thuricremæ, barbigeræ, capellæ, apri bidentes, belligena puella. Hic Græci fœliciores, καλλιπάρηος, καλλιπλόκαμος, ἐυδόδακτυλος.

LATOMVS. Vnum igitur genus.) Sponte fuſum eſt ſimplex & rectum dicendi genus, cum vnũquodque ſicut fert natura, ſemel & recto ordine dicitur, hoc modo: Cn. Pompeius paucis diebus piratas toto mari expulit. Verſum genus immutatum eſt tractatione oratoria, & latius anguſtiúsve dictum, quàm fert ſermonis natura, aut etiam ordine ipſo cõmutatum: vt, Cn. Pompeius lumen & decus Romani imperij, prædones maritimos, hoſtes omnium gentium, non longo difficilique bello, ſed ſexaginta dierum ſpatio vicit, expulit, profligauit: non ex vna aliqua regione oráve maritima, ſed ex omnibus portubus, fretis, inſulis, terris, littoribus, quantum à Gadibus fretóque Herculeo, per ingentem mediterranei maris tractum, vſq; ad intimas Ciliciæ anguſtias porrectum eſt. hos, inquam, maritimos latrones, omnium portuum littorũmque vexatores, ſubegit, domuit, expugnauit victor gentium, populi Romani lumen & gloria Cn. Pompeius. Vtrunque genus conſtat propriis, tranſlatis, priſcis, nouatis verbis: & in vtroque numerus ineſt ex pedibus & temporum interuallis, ſed in conuerſa oratione etiam numerus conficitur ex formæ & concinnitate verborũ, de quo ſuo loco admonebimus. Illud ignorandum non eſt, hæc quanuis præceptis diſtincta ſint, tamen in dicendo miſceri, & confundi in vnum corpus elocutionis, vt ſponte quidem fuſa oratio ſeparata eſſe poſſit, quales ſunt epiſtolæ Ciceronis, & inuectiua in Salluſtium: conuerſa nunquam ferè extra ſpõte fuſum reperiatur. Prima vis eſt in ſimplicibus verbis.) Vtrunque genus & ſimplicibus & coniunctis verbis conſtare dicit, itaque primò ſimplicia, deinde coniuncta exponit. Natiua, ea quæ ſignificata ſunt ſenſu.) Significata ſenſu dicit, quæ per ſe cognita ſunt loquentibus, non ab oratore profecta, qualia ſunt prima ac propria rerum vocabula, quæ ſenſu primæ impoſitionis, vel eo qui in locum eius ſucceſſit, conſtant, ſiue ea primitiua ſint apud grammaticos, ſiue deriuatiua, cum vtroque genere primum loquentes vſi ſint. Hæc inquam ſignificata, hoc eſt, notificata ſunt loquentibus, non induſtria oratoris, ſed ſuopte ſenſu, ex quo per ſe nata quodammodo, & originem à ſeipſis traxiſſe videntur. Reperta facta ſunt ex natiuis per induſtriã oratoris, qui ea ſibi fabricat quotidie tũ ſignificandi, tũ ornandi cauſa. vt verbi gratia, vrbs, rus, ager, ago, ruſticus, agreſtis, natiua ſunt, quia ſic dicta primum, & à loquentibus primo ſenſu vſurpata fuerunt. Reperta autem, vrbanus & vrbanitas temporibus Ciceronis: nũc etiã ſuburbanitas, & perurbanus, ſubagreſtis, ſubruſticus, peragreſtis, quæ ſignificãdi cauſa facta ſunt, & tum inflexione, tũ adiunctione nouata. Illud ignorãdum non eſt, non omnia nouata quondam, nunc etiam noua & oratoria eſſe, ſed multa ex his communia & vulgaria facta, quædam etiam obſoleta, vt fauor, agricola, vrbanus, noua quondam, poſtea vſitata, vt etiam in locum natiuorum ſucceſſiſſe videantur. At multa ſunt in Apuleio, & apud alios quoſdã nouatores, quæ quanuis poſtea nata ſint, tamen quia nemo iis libenter vſus eſt, ſtatim obſoleuerunt.

Et nouata aut ſimilitudine.) Similitudo hic eſt, quam Græci ἀναλογίαν vocãt, cùm verbum aliquod ad ſimilitudinem alterius effingitur: vt, Et picis in morem ad digitos lenteſcit habẽdo, & Ignéſcunt iræ. & apud Horatium, Lætis iuueneſcit herbis: quæ ſunt ſicut feruéſcit. Et in nominibus, perſpicientia apud Ciceronem, ſicut ſapientia: fratricida, ſororicida, ſicut parricida: commilito apud Cæſarem, ſicut Gnato: obſequium apud Terent. ſicut colloquium, quorum illud adhuc nouum eſt, quia rarius: alterum vſitatum, ſicut & parricida vſitatum, fratricida, ſororicida, noua. Verbi enim nouitas non tam ex tempore, quàm ex vſu ſpectatur, quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi. Aut imitatione.) Imitatio eſt cum in effingendo verbo rei naturam imitamur, quam Græci ὀνοματοποιίαν vocant, vt hinnire, balare, clamórque virũm, clangórque tubarum. & taratantara ex Ennio apud Virgilium. Sic bombos, fremitus, ſtridores, tumultus dicimus. quorum primum adhuc nouum eſt, cætera vſitata. Bombarda etiam noſtro ferè nata ſeculo, & campana multò antè audita, ex eadem origine nomen habent. Aut inflexione.) Hæc inclinatio verbi eſt, ſiue deriuatio, nõ quòd omnis deriuatio noua ſit, aut quondã fuerit,

sed quod inflectendo verbum, atque aliud ex alio deriuãdo, nouum facere liceat, id quod tunc denique fit, cùm inflectendo ab vsitata forma recedimus, vt beatitas pro beatitudine, necessitudo apud Sallustiũ pro necessitate, mœstitudo & mœstitia pro mœrore, plãgor pro plãctu, sanctimonia pro sanctitate, curatura pro cura apud Terentium, & apud Ouidium curuatura pro curuitate, quæ duo etiam ἀναλογίαν habent. sunt enim sicut cultura. Etenim in his quoque analogia seruanda est. Sed hoc interest, quòd hic natiuum vel factum verbum nouè inflectitur sine mutato: analogia prorsus nouum facit ad natiui similitudinem. Sic in verbis, assentior est pro assentio, reuertor pro reuerto, quæ iam vsu recepta sunt: item, populátque ingentem farris aceruum, pro populatur. multáque alia. Et in aduerbiis singulatim, singulatè, casim, membratim, circunscriptim, & membratè, circunscriptè: in quibus vtrum nouius sit haud facilè dixeris, cùm vtroque vtatur Cicero, nec dubito quin εὐφωνία causa mutandi fuerit. Fit etiam in casibus nominum, vt penus, huius penus, & peni, & penoris: item huius fici & ficus, ficis pluraliter & ficubus, quæ aliquando nouè inflexa fuerunt, nunc indifferenter vtimur. & in verbis, parci, peperci, à parco: explicui & explicauì: item liui & leui à lino, sanxi, sancìui à sancio: omnia haud dubiè nouata aliquando commoditatis causa, sed pariter ferè in vsum recepta. Hodie casus nouare non licet, quædam de integro formare licebit nouitatis vel vtilitatis gratia: sed id quoque parcè, ne noui sermonis authores esse videamur. Aut adiunctione.) Adiunctione nouantur verba, cùm aliis adiunctis noua procudunturvt expectorare, & versutiloqua malitia, quæ ponuntur à Cicerone in tertio de Oratore. Item ignipotens, armipotens, & vndisonum, horrisonum mare, quæ poëtica sunt omnia. Oratoria autem, circumretitum, interclusum, contrucidatum, compransores, collusores, combibones, administri libidinum, percrepare, perstingere, personare, perpusillus, grandiloquus, infinitáque alia, quæ adhuc habentur noua.

HEGENDORPHINVS. Vnum igitur genus eloquendi, &c.) Duo sunt elocutionis genera.

Simplex	*consistit in verbis*	*Simplicibus*
Versum seu mutatum		*Coniunctis.*

Versum.) tropis scilicet. Est enim tropus, verbi vel sermonis à propria in aliam significationem mutatio: vt in illo,

Omnio nunc rident, nunc omnis parturit arbos.

Mutatum.) figuris scilicet. Ex est enim figura confirmatio quædam vel dictionis vel orationis, à simplici & in promptu posito dicendi modo commutata. Et sic vel mutatur compositio: vt, Transtra per & remos, apud Virgilium. aut mutatur eloquendi forma: vt, Eloquar, an sileam?

Natiua.) Id est, verba propria & certa, quasi vocabula rerũ penè vnà nata cũ rebus ipsis. Reperta ex his, id est propriis facta: vt ab homo, homũcio, homunculus, &c. Nouata.) Id est ab eo qui dicit, genita & facta, quale est illud Ennij: sapientiã mihi omnem ex animo expectorat. Vide Ciceronem lib. 3. de perfecto oratore. Aut imitatione rei alicuius: vt Taratantara pro cantu tubæ, sibilus, murmur, mugitus. Aut inflexione, cùm eadem voce modicè deflexa, varietatis nonnihil conciliatur: vt edax edo, bibo bibosus bibax. vide Erasmum in commentario de Copia verborum. Aut adiunctione verborum: vt in illo Ennij, Tum pauor mihi sapientiam omnem ex animo expectorat. Num non vis huius me versutiloquas malitias. Videtis enim & versutiloquas & expectorat, ex coniunctione facta esse verba, non nata. ita Cicero libro tertio de perfecto oratore.

LEODEGARIVS. Prima vis est in simplicibus.) Vt medici considerant naturam simplicium pharmacorum seorsum, deinde eorundem compositionem: Sic oratores verba seorsum considerant, & in compositione. Nouata.) Vide Institut. orat. Quintil. Et artem poeticam Horatij, & librum tertium de oratore sub finẽ. Consonãtiora.) In quibus vocalitas inest, quæ euphonia dicitur: vt vult Quintilianus libro primo cap. de virtutibus & vitiis orationis.

IOANNES A FOSSA. Expone deinceps.) Ars elocutionis in hisce partitionibus subtilius traditur, quàm in omnibus aliis operibus. Cæterum pleraque ab Aristotele manarunt, vt ex secundo ad Theodectem. Orationis dixit, propter verba continuata: Verborum, propter simplicia. ex partibus totum intelligas, videlicet elocutionem. Vnum igitur ge-

nus est.) *Aristoteles ponit, vt Trapezun. interpretatur, orationem pendentem & conuolutam, ἀεραμένην καὶ τῷ σωδεσμῷ μίαν, ἢ κατεσταμμένην λέξιν. Cicero melius vertit fusam & conuersam. Genus sua sponte fusum. Poëma, inquit Fabius 9. nemo dubitarit imperito quodam initio fusum, & aurium mensura, & similiter decurrentium spatiorum obseruatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Haud aliter procedente tempore studiosi dicendi dixerunt illi quidem siccè & integrè, sed sic vt esset magis tolerabilis q̃ admirabilis oratio. Prisci enim tanquam ἀνὸ χειδιάσματα effundebãt, & quæ ab aliis bonitate naturæ & ingenij germano lumine præclarè dicebantur, alij obseruabãt atq; annotabãt, posteritas admirata voluit imitari, & quæ est improbitas humani ingenij, conata est vincere: cœpit mutare, fundere latius, breuiare. Tractabili & sequace materia eloquentia creuit adoleuitque, & alius super alios adiicientibus, ad summam perducta est. Fusa est, quæ recto ordine fluit, nec per se terminatur, donec ad finem rei venerit, qualis est oratio Herodoti Thurij. Conuersa, quæ in circuitus dirigitur, aut modo & quantitate sententias versat, aut ordinem mutat, & loco dictiones mouet. πιπλασμένον καὶ πτυκτὸς etiam videtur nominare. Inuenire dixit suo more, αὐτὶ τοῦ eligere. E medio enim sumuntur. Natiua sunt (Cicero de Oratore 3.) propria & certa rerum vocabula, quasi cum rebus ipsis nata. Reperta nõ tam cum rebus quàm ex vocabulis ipsis nata. Illa dicit significata sensu, hoc est intellectu & apprehẽsione impositorũ. Reperta, quæ ex iis facta sunt, & nouata lege, sine intermissione. Similitudo est similium similis deriuatio & cõparatio, vt interpretatur Fab. lib. 1. Cuius generis sunt, audientia, perspicientia, innumerabilitas, admirabilitas. ἀναλογίαν Cicero de Vniuers. similitudinem, proportionem, comparationem. Tamen sunt grammatici qui parum tribuunt analogiæ, multum Etymologiæ. Imitatio est fictio nominis sine ὀνοματοποιΐα, vt Pipire, papare. Inflexio, deriuatio est sine exemplo, vt Beatitudo & Beatitas. Cicero 1. de Natura deorum. Adiunctio verborum est magis Græcis concessa. Fabius 1. & 8.*

COMMENTARIVS. Expone deinceps.) Orationis dixit & verborum, propterea quòd elocutio (vt postea dicet) constat aut simplicibus verbis aut collocatis. Ita per partes intelligit elocutionem totam. Vnum igitur.) Primum orationis præcepta proponit, complectitur deinde verborum. Hoc autem est ab Aristotele mutuatus. Aristoteles enim, vt verbis interpretis vtar, ponit orationem pendentem & orationem conuolutam. Cicero autem melius vertit fusam & conuersam. Fusa est (inquit Aristoteles) quæ recto ordine fluit, neque per se terminatur, nisi ad finem rei venerit. talis est oratio Herodoti. Conuersa est, quæ dirigitur in circuitus. Cicero latius explicat quod Aristoteles dixit angustius. Conuersam enim appellat, quæ orationem dilatat, aut contrahit, aut dictionum ordinem naturalem mutat. Versum.) Λέξιν ἀεραμένην, fusam & conuersam ab Aristotele. Mutatum.) Quo sæpenumero vtuntur oratores.

Prima vis.) Quod nũc de verbis ait, pertinet ad vtranque orationem, fusam & versam. quod autem ait verba esse inuenienda, more suo dixit, cùm eligenda significet. verba autem sumuntur è medio & eliguntur, non inueniuntur. Simplicibus verbis.) Appellat verba simplicia dictiones per se positas: coniuncta, quæ cum simplicibus coniunguntur. Natiua ea.) Cicero libro tertio de Oratore sic definit verba natiua, propria & certa rerum vocabula penè cum ipsis rebus nata. Ea dixit significata sensu, quia intellectu impositorum signata sunt, vt rem certam significarent nobis, quæ ab illis deinceps per manus sunt tradita. Sic verbũ dictio est natiua, verbigerare apud Apuleium dictio est reperta & nouata. Aut similitudine.) Analogiam nũc interpretatur similitudinem. In libro de vniuersitate interpretatur nunc proportionem, nunc comparationem. Ea est similium similis deriuatio, inflexio & comparatio. Alij tamen in grammatica non multum analogiæ tribuunt, referuntque omnia ad αὐτομαλίαν, quæ contraria est analogiæ. Imitatione.) Ea est nominis fictio, quæ dicitur ὀνοματοποιΐα, quæ sonos imitatur: ob quod imitatio dicitur. Attamen Fabio teste vix permittitur Latinis quicquam innouare contra hanc figuram, cùm Græcis maximè liceat. Imitatio est, vt cucurire de gallo, glocitare de gallina.

Inflexione.) Inflexio, deriuatio est: quæ tamen non habet rationem analogiæ. vt à beato dixit Cicero beatitudo & beatitas. siquidem à mœsto dixit mœstitudinem. Adiunctione.) Hac in re liberiores sunt Græci quàm Latini, vt quibus licet ex multis dictionibus vnam conflare. Latinis vix permittitur, nisi ex duabus. Itaque ridetur illud Pacuuij, rependi rostrum, incurucicuicum pecus.

Atque etiam est hæc distinctio in verbis, altera natura, tractatione altera. Natura, vt sint alia consonantiora, grauiora, leuiora, & quodammodo nitidiora: alia contrà. Tractatione autem, cùm aut propria sumuntur rerum vocabula, aut addita ad nomen, aut noua, aut prisca, aut ab oratore modificata & inflexa quodammodo: qualia sunt ea quæ transferuntur, aut immutantur, aut ea quibus tanquam abutimur, aut ea quæ obscuramus, quæ incredibiliter tollimus, quæq; mirabilius quàm sermonis consuetudo patitur, ornamus.

Verba quæ tractatione vim capiunt.

STREBAEVS. Tertia est verborum partitio, natiuis repertisque communis. Altera natura sunt præstantiora, deteriorave, quum ipsa per se considerantur, non habita ratione tractandi. Altera tractatione sunt talia. Ex iis quæ synonyma vulgo dicuntur, natura quædam sunt consonantiora, vt tempestas quàm tempus, modcratio quàm modestia, concertare quàm confligere, frequenter quàm frequens, quanquam quàm etsi. Quædam grandiora, vt illud Virgilianum, Regnatorem Asiæ: grandius quàm si regem Asiæ dixisset. Et illud Ciceronianum, In tuis illis immanibus poculis, quàm magnis poculis. Crandiora bene legebantur, sed immutarunt imperiti in grauiora, quia leuiora sequebantur, non animaduertentes auditorem non oppositisse contraria, sed postremo dixisse pro contrariis, alia contrà. Quædam leuiora, hoc est vitiis infirmiora, vt amor quàm charitas, comedere quàm vorare, tangere quàm percutere, niti quàm conari, ire quàm vadere. Quædam nitidiora: quæ sunt splendentiora, sordidis aduersa, vt Quintilianus dicit in 8. vt boues pro vaccis, sus pro porco, minus humilia sunt. Nec orator vsurpabit Epigrammaticorum pudenda verba, & Satyricorum: sed pro decoro nitidiora inueniet. Quæ de verbis antè dicta sunt, quodam quasi naturali sensu iudicantur: quanquam & de illis nonnulla præcepta reperiuntur: & artificis est nosse materiam, non tantum eligere atque coniungere. In tractatione verò est quod adificet orator, & in quo maiorem adiungat artem. Vbi verborum copiam sibi comparauerit, ac diligenter exploraverit eorum naturam, tum pro rei dignitate, quæ conuenientiora videbuntur, aptabit orationi. Hæc enim tractandi lex est & ratio, vt ex multis ea legamus, quæ res de qua agitur, & orationis poscet ornatus. Quemadmodũ architectus haud omnem, sed aptiorem substructioni materiam legit, & collocat: hoc modo collocabit orator aut propria rerum vocabula, aut addita ad nomẽ, aut noua, aut prisca, &c. Addita ad nomen, sunt epitheta, præcipuè quæ sensu dicuntur adiectiua, vt pater, mater, frater, lictor, Africanus, quæ cadunt in antonomasiam. Sunt alia quoque interim apponenda, quæ dicuntur adiectiua voce, vt, homo improbus vexauit Asiam. Interim omittenda, vt vaga quæ dicuntur. Igitur vtẽdum erit aliquando proprio, & proprium nonnunquam proprio mutabitur, quod est additum ad nomen, Sassia fuit Cluentij mater. Hic propriis vtendum fuit: quia prima rei expositio est, nec vlla alia vis desideratur. Post hæc si dixeris, Oppugnat Cluentium Sassia, imperitè dixeris. Quid igitur? Intromitte addita ad nomen, Oppugnat filium mater. Hinc duplex virtus. Et molestia repetendi vitatur, & res dicitur grauius, quia in matre & filio est aliquid cur oppugnatio impia sit, quod non erat in propriis. De eadem Cicero, Nubit genero socrus, quanto melius est quàm istud, Nubit Melino Sassia? Nam priora causas habent, cur impias nuptias fieri non oportuerit. Est etiam quando prisca nouis, nouáque priscis anteponantur. Res est grauis animus permotus, natura de verbo non ita multum solicita est. Tum prisca longè optima. Virgilius, Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi. Idem in decimo, Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo. Conuenient item sermonibus priscis, & fictionibus personarum: vt rebar, opinabar, effari, soboles, prosapia, actutum, olli: ex quibus loco positis grandior atque antiquior oratio sæpe videri solet. Noua contrà in rebus floridis, & amœnitatibus, locisque iucundioribus non temere conuenient, vt plurifariam, cohibilis: qualia innumerabilia fecit Apuleius, & recentiorum puerilis

affectatio. Cicero, Terra diffundit & elicit herbescentem ex eo viriditatem. Idem, Quæ ex fici tantulo grano. Idem, Ne sylvescat sarmentis, & permulta consimilia, vbi naturæ voluptates, verborum incunditate, gratiáque nouitatis efficit amœniores, quibus in foro & in concionibus multo verecundius vtebatur. Alia sunt ab oratore modificata & inflexa quodammodo, tropi nominãtur: quæ figura est verbi uel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio. Quibus addi possunt & reliquæ figuræ verborum. Sed quæ sequuntur exempla, tropos maximè capiendos esse demonstrant, nisi per ea quæ mirabilius quàm sermonis consuetudo patitur, ornamus, significamus omnes verborum figuras. Cur autem eo modo immutata verba, modificata & inflexa dicat, in dubium venire potest. Sanè vltra modum mensurámque propriam fusius extendantur, quadam prioris intellectus seruata dimensione, vt metaphoræ. A qua modificatione & competentia (vt cum Gellio dicam) modificata dici posse existimauit. Nisi forte sit hoc proprium omnium figurarum, nouam quandam accipere formam, quæ alia velut lineamenta ostentet: propterea dici figuras & conformationes, quas quidem in modum quendam cadere scimus. inflectuntur autem ab eo quod rectum, quódque proprium est, ad aliud propter virtutem & ornatum. Prima sunt, quæ transferuntur: ea vulgò metaphorica dicũtur: vt, concionum procellæ, eloquentiæ flumina, gloriæ seges, os roseum, feruet æstu pelagus, eloquentiæ tympana, exemplorum sylua. Eorum frequentissimus est vsus Oratori, quia sæpe proprius aut virtute potentiora sunt, aut iucundiora. Immutantur autem per metonymiam dicta, quod ostendit de Oratore libro tertio. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet, sed in oratione. Hic immutatio est hypallage. Eiusdẽ rei nomẽ est metonymia, qua (vt ait) proprium proprio commutatur: vt Africa pro Afris, id quod continet pro eo quod continetur. Mars pro bello, inuentor est pro re inuenta. Campus pro comitiis, locus est pro illo quod fit in loco. Neptunus pro mari, possessor est pro re possessa. Toga pro pace: signum est pro signato. Arma pro bello, instrumentum pro re quæ efficitur. Scelus pro scelerato, res pro persona cui cõuenit. Hoc modo distinguuntur septem metonymiæ species, quarum pleræque sunt amiciores poetis quàm oratoribus. Ea quibus tanquam abutimur, rationem seruant translationis, κατα χρησιν dicuntur, hoc est per abusum vsurpata, quæ necessitas genuit inopia coacta & angustiis, post autem delectatio voluptásque celebrauit: vt, gemmat vitis, luxuriatur herba, læta est seges, equitat in asino, inhorrescit mare, tenebræ conduplicantur, grando præcipitatur. Hæc tria posteriora sunt incunditatis, nõ inopiæ: sicut minutus animus pro parvo, grãdis oratio pro magna. Hæ sunt translationes paulò audaciores. Ea quæ obscuramus, sunt ænigmatica. Quintilianus, Hæc allegoria quæ est obscurior, ænigma dicitur, id est obscurus sermo: in quo multa sunt obscuriora prouerbia, vt, Similes habent labra lactucas. multæ sententiæ, Coronam ne carpseris. multæ parabolæ, Bos lassus fortius figit pedem. imagines quædam, Quid tu? porrigis assem elephanto? Cicero vtitur pro Sexto Roscio, Te pugna Camenisis acusatorem sat bonum facit. Ibidem, Nihil mali est canes ibi quamplurimos esse, vbi permulti obseruandi, multáque obseruanda sunt. Quæ incredibiliter tollimus, sunt hyperbolica, Ferit æthera clamor. Frigidius glacie pectus amantis erat. Tu nive candidior, Veneris tu clarior astro. Cice. Philippica secunda de bonis Pompeij, Quæ charybdis tam vorax? Charybdin dico! Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse. Quæ mirabilius quàm sermonis consuetudo patitur, ornamus: non videntur esse tantùm quæ circumlocutione enunciantur. Nam cur potius hæc quàm gradationes, repetitiones, coacerusationes, paria, contraria, & splendidiores verborum figuræ? Hæc enim tam mirabiliter ornant quàm periphrasis: qualis est hæc, Candida venit auis longis inuisa colubris. Aliquot tropos antè posuerat, nunc vno genere reliquas verborum conformationes videtur amplecti.

LATOMVS. Atque etiam est hæc distinctio.) Prior diuisio ad originẽ verborum, hæc ad qualitatem eorum pertinet. Qualitas enim est tum in natura eorum, quatenus auribus accidunt: tum in tractatione, quæ est in vsu ipso oratoris. Consonantiora igitur sunt, vocaliora, hoc est, acutius, clarius, melius sonantia, non singula tantùm, sed etiam coniuncta, quod in vocalibus syllabarúmque natura positum est. V, enim & i, cum quibusdam literis acutius sonant. a, & o, præsertim longæ, grauius. e verò lenitatem quandam & temperamentum habet. Sed hæc mutantur aliarum literarum accessione, & cùm vocales breues aut longæ fiunt. Ergo, Oculis mi

cat acribus ignis:&, Vos enim Albani tumuli:&, Tu tu Antoni, acuta & consonantia sunt. Ductores Danaûm:&, In tuis illis immanibus poculis, grauia & magis plena. Lenia autem & temperata, Nisæque Spióque Thaliáque Cynodoceque, Cæsariem effuse nitidam per candida colla. Contraria his sunt surda quodãmodo & hebetiora, quæ fiunt vocalibus coeuntibus: vt, vaccæ aneæ. Exilia, vt exiguus mus. Aspera, vt Stabat acerba fremens, Hæc te lacerat, hæc te cruentat oratio. Itaq; in hoc ipso versu, Stabat acerba fremens maternis sæuus in armis, priora aspera sunt, & irato conuenientia: posteriora, sonantia & iucunda, quibus pulchritudo in armis exprimitur. Tractatione autem.) *Tractatione verba differunt, quibus orator aliter atque aliter vtitur. Itaque fit aliud quodammodo, & aliud genus verborum. Vtitur autem orator modò propriè verbo aliquo, modò addit ad nomen quod per se poni poterat, modò profert nouum, aut priscum reuocat, modò quod proprium erat modificat ratione aliqua, & in alium sensum inflectit. Itaque quinque fiunt genera, proprium, additum ad nomen, nouum, priscum, modificatum. Propria sunt, vt imperator vincit, luget agricola. Addita ad nomen, quæ vocantur ἐπίθετα: vt fortis imperator, bonus agricola: quæ etiam per se ponuntur, vt fortes creantur fortibus & bonis. Noua, id est, nuper nata, vel certè nondum frequentata loquentibus, quibus nouè vtimur, vt Lucifugus, agripeta, ruricola. Agricola autem quanuis aliquando nouatum sit, tamen nouum non est, quia postea vsitatum. Aliud est enim nouũ, aliud nouatum esse, sicut suprà admonui, cùm hoc sit originis, illud vsus & tractationis. Itaque nouata sunt apud Ciceronem fratricida, soroicida, quæ & noua, quia rarior eorum vsus. At parricida nouatũ quidem est, nouum dicere non possis, quia loquentibus & fuit postea in vsu, & hodie est peruulgatũ. Prisca nouis sunt contraria, vt quæ veteribus fuerunt in vsu, & vsque inde repetuntur: vt, Illius ergò venimus. &, Extáque falsos porricit in fluctus. Et Cicero, Mulctam irrogarat, actionem perduellionis intenderat. Et apud Liuium, Lex horrẽdi carminis erat, Duumuiri perduellionem iudicanto, caput obnubito, infelici arbori suspẽdito, verberato intra pomœrium, vel extra. Modificata translata sunt secundum Aristotelem, cùm verbum à proprio in alium sensum inflectitur. Itaque μεταφορὰς ille vocat, Cicero hic modificationem, quem Græci τρόπον appellant. Quinque eius modos ponit Cicero: per translationem, quam propriè metaphoram vocant, per immutationem, per abusionem, per obscurationem, per amplificationem. Translatio est, cùm per similitudinem sensus verbi inflectitur, vel necessitatis causa, vt, Gemmant in palmite vites: vel significandi, vt si telum manu fugit: vel ornandi, vt, Magno inflammatus amore. Sub hac etiam allegoria comprehenditur, quæ est perpetua quædam metaphora: vt, nauim perforare in qua ipse nauiges, id est, Rempublicã perdere, in qua ciuis sis. hæc si obscurior est, αἴνιγμα vocatur. Immutatio μετωνυμία est apud grammaticos, apud rhetores ὑπαλλαγὴ, cùm citra similitudinem ex propinquo verbum immutatur, vt Dissiliit mucro. ferrum in manu est, Lucretia. & cum Cererem pro frugibus, Bacchum pro vino dicimus. Abusionem κατάχρησιν vocant Græci, vt Sperare pro timere apud poëtam, parricida pro fratris interfectore, piscina in qua lauamus, etiam si careat piscibus. O mea semper frustra auguria, pro prædictionibus in Republica. & Auguriis agimur diuòm, pro oraculis. Obscuratio in iis est, quæ αἰνίγματα vocantur: vt, Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Treis pateat cæli spacium non amplius vlnas? & quæ sequuntur. Fit, vt placet Aristoteli, cùm res minimè inter se conueniunt, vt terram aliquam esse, nec amplius in ea cælum quàm tres vlnas patere. Itaq; inflectuntur verba, sed citra similitudinẽ. Alij vocant ænigma omnem obscurã translationẽ, qualia sunt illa Pythagorica, Ignẽ gladio ne fodias, Abstineto ab iis quibus atra est cauda: Cõtra solẽ ne meias, à fabis abstineas. Amplificamus bifariã, vel incredibiliter tollendo rem, quam ὑπερβολὴν vocant: vt, Saxa voce respondent, bestiæ cantu flectuntur. & pro Marcello, Parietes medius fidius tibi gratias agere gestiunt. & in Antonium, Quæ Charybdis tam vorax, & quæ sequuntur. Vel mirabilius quàm consuetudo patitur ornãdo, sed non supra fidem, vt de Pompeio, cuius in viri vita nitebatur salus ciuitatis. & de eodem, qui ea virtute ac sapiẽtia est, vt ea semper potuerit, quæ nemo præter illum. Nõ enim hæc ipsa vera sunt, sed tamen magna intelliguntur, neque ea impossibilia, sed sic dicitur humanitate quadam principis viri ornandi gratia. Qui putat figuras sententiarum hic comprehendi, multũ fallitur, sicut res ipsa arguit.*

HEGENDORPH. Natura.) *Magis sonora, vt apud Virgilium in prima Ægloga: Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum, &c. Item: Quadrupedante putrem sonitu*

quatit vngula terram. *Grauiora.*) *Illum expirantem transfixo pectore flammas. Virgilius. Sic illud Ciceronis in oratione pro lege Manilia, Consilio explicauit.* *Leuiora.*) *Atque humiles habitare casas, & figere ceruos, &c. Virgilius.* *Tractatione.*) *Id est compositione: vt, Ag. ridet, damnum dedit, iniuriam dedit non item. Aut prisca: vt duellum pro bello. Cicero libro Officiorum primo. Hostire pro pensare. Inde illud Plautinum in Asinaria: Opera hostimentum pro pecunia est. Ab oratore modificata:*) *Quid si legatur mollificata? id est, vsu mollia facta verba.*

LEODECARIVS. Propria, &c.) *Propria rerum vocabula sunt, quæ significant sine metaphora id ad quod denominata sunt.* *Noua.*) *pro non vsitatis capi hinc colligis, quòd nouitatem pro infrequentia & raritate cepit Cicero in Topicis, quando ait se fugere nouitatem, veriloquij, verbi non satis apti.*

IOANNES A FOSSA. Natura vt sint.) *Fabius libro octauo in synonymia hæc considerandà indicat, vbi dicit vocalia pro sonantibus: sublimia pro grãdibus. grauē autem omne verbum esse debet. Leniora lege, quòd contraria inter se non collocat, tum quòd infirma viribus non sunt virtutis. grandia implent aures, lenia penetrant. Partim aures feriunt, partim mentem magis. Nitidius est, si bouem dicas pro vacca: si suem pro porco.* *Alia contrà.*) *Obtusa sono, exilia, aspera & sordida, quorum tamen est vsus, si aptè inserantur, & non inuocata compareant.* *Propria rerum vocabula.*) *Certa, & vsitata, non tamen abiecta.* *Addita ad nomen.*) *Epithetō pro ipso ponitur nomine etiam seorsum, vt cùm per antonomasiam Oratorem dicis, significans Ciceronem. Adiectiua etiam dicit, vt fortis imperator. Noua primùm ab oratore procuduntur. Nouata possunt esse in vsu. Priscis verbis oratio grandior & sanctior efficitur. Fabius in 8.* Τρόπος, *Latinè modus redditur tertio de Oratore. Clarissimi etiam Latinorum motum appellant. Fabius libro octauo. Est enim migratio proprij, mutuatio alieni. Proinde dixit Cicero modificata & inflexa modo quodam.* *Quæ transferuntur.*) *Metaphora, Metonymia, Catachresis, Allegoria (cuius ænigma species est) Tropi à rhetoribus numerantur. Incredibiliter tollimus) hyperbolicōs.* *Quæq; mirabilius.*) *Amplificatio non videtur intelligi, quando hic de verborum tractatione agit. Porrò cùm dicit sermonis, significat virtutes contentionis insigniores & illustriores. Sunt qui verborum figuras exaudiant.*

COMMENTARIVS. Atque etiam.) *Hæc diuisio pertinet ad verborum ornatum. Est enim ornatus duplex, alter positus in simplicibus verbis, alter in coniunctis. Agit igitur de ornatu simplicium.* *Natura, vt sint alia.*) *Fabius hunc locum sic interpretatur, vt in synonymia verba sint alia aliis honestiora, sublimiora, iucundiora, nitidiora, vocaliora. Talia autem sunt verba propter sonum vocalium & consonantium. Igitur quæ Cicero dicit consonantiora, Fabius appellauit vocaliora, id est, acutius & grauius sonantia, quæ Fabius sublimiora. Quidam pro grauiora, grandiora legendum putant.* *Alia contrà.*) *Nec tamen hæc vituperantur: sed si optime expendantur, suum habent in oratione locum, vt testatur Fabius. Denique addendum est illud quod à Fabio præcipitur, vt aptè dicamur.* *Leuiora.*) *Alij legunt leniora. Prius esse poterit figurarum ordo, posterius troporum. Sunt enim figuræ cōformationes & modificationes, id est schemata.* *Aut addita.*) *Epitheto solent vbi poëta liberius: satis enim est illis, modò conueniat. Oratores epithetum non adhibent, nisi vim aliquam habeat, ita vt epithetis demptis minus esse dictum videatur. Sic dicit poëta, liquidum vinum: Orator, execrandū scelus, abominandam libidinem.* *Noua.*) *Quæ primùm ab oratore innouantur. Differunt autem à nouatis, quia nouata possunt esse in vsu: at noua primùm producuntur, eáque primus vsurpat orator.* *Prisca.*) *Fabius ait priscis verbis grandiorem effici orationem & sanctiorem, nec tamen illa esse repetenda ab vltima antiquitate, vt à libris pontificum & versibus Saliorum, sed vel à Graccho, vel à Catone, vel ab Ennio.* *Modificata.*) Τρόπος *apud Græcos modum significat, præterea que continet vertēdi mutandique significationem. Ad hæc igitur allusisse videtur, modificata & inflexa. Poterimus etiam comprehendere figurarum concinnitates, quibus modulata & modificata oratio efficitur.* *Aut immutantur.*) *Ea est Hypallage, quam vertere solent submutationē: vt, sine Cerere & Baccho friget Venus: vt, sine pane & vino nulla est libido. Dicitur autem ab* ὑπὸ, *id est sub, &* ἀλλάττω, *id est muto.* *Ea quæ obscuramus.*) *Videtur significare allegoriā, quam Fabius vertit inuersionem. Nisi forte intelligere velis Aenigma.*

Sic enim appellatur obscurior allegoria, quæ tamen raro locum habet in oratione, si credimus Fabio. Quæq; mirabilius) Hunc locum quidam referunt ad speciem amplificationis: Ego tamen putem potius intelligi figuras quæ solent immutare aliquid à communi loquendi consuetudine. Et alioqui hæc interpretatio magis pertinet ad verborum tractationem.

C.F. Habeo de simplicibus verbis: nunc de coniunctione quæro. C.P. Numeri quidam sunt in coniunctione seruandi, consecutióque verborum. Numeros aures ipsæ metiuntur, ne aut non compleas verbis quod proposueris, aut redundes. Consecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus perturbetur oratio. Nam vt in simplicibus verbis quod non est latinum, sic in coniunctis quod non est consequens, vituperandum est.

Quid in verborum cõiunctione seruandum.

STREBAEVS. Ex simplicibus verbis, quæ natura vel tractatione valent, coagmentatur & coalescit oratio: huic igitur secundus assignatur locus. In coniunctione verborum duo seruanda, numerus, & consecutio. Numerus est ἐυθμὸς, id est quædam orationis musica, quæ pro rei natura de qua agitur, lõgarum breuiúmque spacio decurrit ad aurium dimensionem. Numerus tempora metitur. Nam breues syllabæ orationem præcipitant celerem: vt, Stolidus homo fuit, qui sophismata legere voluerit. Longæ, constantem tardámque reddunt: Vtebatur tanta grauitate sententiarum, tanta verborum dignitate, vt illum iure suorum lumen, regni firmamentum existimarent. Mistæ, temperatum faciunt cursum: Animaduerti Iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. A breuibus ad lõgas durius insurgimus: Num te pudet? Quid hic agis? scelerate fugis hinc? A longis ad breues molliore via & expeditiore cursu delabimur: Ex eius ore melle dulcior fluebat oratio. Ergo prius id videndum, quibus vtare pedibus: quos ideo reliquit, quòd in aliis artibus ea de re grauiter & copiosè disseruit. Pedes autem ratione atque arte, non auribus iudicantur. Non secludo iudicium aurium, sed dico pedum rationes in artem cadere & grammaticorum, & rhetorum. Cursus orationis de quo hic facit mentionem, non aliud quàm aurium iudicium habere potest. Cursus erit, si neque asperè intersistat, neque subsultet, neque suspendatur oratio. Hæc est insuauis: Vita improborum vrget illos, dat spem aliquam, postea sperantes perdit. Alia sunt numeris absoluta: vt, Domuisti gẽtes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea vicisti, quæ naturam & conditionem vt vinci possent, habebãt. Quod vt sentias, modulatione quadam velut cantico periodos enunciare ac propè cantare profuerit, sed in primis aures exercitatas habere. Alia non implent verbis id quod propositum est, hoc est, minus quàm par erat decurrunt: vt, Si nihil est virtute præstantius, si morum dignitate nihil optabilius, bene viuendum est. Clausula est ex tribus membris: duo priora non indecenter monebantur, tertium multo breuius est, quàm quod æquare superiora possit. Corrigamus, Si nihil est virtute præstantius, si morum dignitate nihil optabilius, earum rerum seruata ratione viuendum est. Alia redundant: Nulla est tanta vis, tanta copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit: verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum deo iudico. Hæc oratio pulcherrima, numeris absolutissima redundabit, si quid adiicias hoc modo, sed simillimum deo iudico, nec fallor. Exempla multa proferre in mediũ possum, quibus scatent imperiti. Sed quid opus est tantulum famæ, si quid habent, obscurare? Ego quidem non vbique numerum compleo, neque semper est necesse, neque Cicero multis in locis perficit: quia non optimis quibusque semper vtendum. Consecutio dicitur ἀκόλουθον: vitium contrarium ἀνακόλουθον, de quo Donatus ali-

quoties in Terentium. Nec tam Cicero præcipit de Solœcismo (quanquam vitandus est) quàm de consecutione, quæ digerit orationem. Quid enim attinebat inferre prima infantium rudimenta, postea quam de numero & compositione præcepisset? Est igitur ἀνακόλουθον, quod orationem generibus perturbat: vt, vastabat agros, regionem populabatur, oppugnabat vrbes, multique mortales ab eo cædebantur. Rectè dictum putes, sed verbi genus est immutatum. Rectum est igitur, Multósque mortales trucidabat. Quod idem exemplum est de numerorum perturbatione, quale est istuc, Interimit bonos, mali relinquuntur. Innocentes damnat, nocentes absoluuntur. De temporibus, Terentius in Andria: Principio amicum filio restitueris, Illi generum firmum, & filia inuenies virum. Restitueris & inuenies, ἀνακόλουθα. De personis: Persius, Secuit Lucilius vrbem, Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis. De casu, Cluentius fuit pater huiusce Iudices, huic homini municipium fuit Larinum, ab eo filia nubilis relicta. Quid hac oratione cõtortius? dicendum igitur, Cluentius fuit pater huiusce Iudices, homo municipij Larinatis, is reliquit filium grandem, & nubilem filiam. Si complectaris & Solœcismum, (per me quidem licebit) suppeditabunt exempla grammatici. Ego certè de recto contexendi filo dictum puto.

LATOMVS. Numeri quidam sunt in coniunctione seruandi.) De structura orationis loquitur, quæ pedibus constat, sed ita vt ne versus efficiatur, néve aut longius procurrat oratio quàm aures postulant, aut breuius subsistat: de quo diligentissime ipse in Bruto disputat. Consecutio est cõgruitas orationis, cui opponitur Solœcismus, sicut barbarismus latinitati in simplicibus verbis. Sunt enim hæc vitia, alterum inconsequentis, alterum illatiuæ orationis.

HEGENDORPH. Compleas.) ne quid desit: vt, Quò tandem tu nebulo? Aut redundes.) vt, Multa mala, & non bona accepimus. Perturbetur oratio.) Solœcismum intelligit, de quo Gellius lib. 6. cap. 21.

LEODEGARIVS. Numeros.) Non magis permulcent nostras aures moduli musici, quàm numeri oratorij, cum sint orationis musica: de quibus si voles plura, vide quæ scripta sunt à Cicerone sub finem oratoris ad Brutum. Aures metiuntur.) Nam vt ait in Oratore ad Brutum, aurium iudicium seuerissimum & verissimum est.

IOANNES A FOSSA. In coniunctione.) Id est, in pluribus siue continuatis verbis. Numerus ῥυθμὸς est temporis, ex longitudine & breuitate syllabarũ. Cantus μέλος est qualitatis ex acumine & grauitate atque flexu. In his duobus flumen est orationis, cum tanquam fluctus attolluntur in cælum & præcipitant, cúmque decumani sunt & longi aut breues. aures ipsæ metiuntur numeros, percussiones verò digitorum, versus. Ne aut non compleas.) πρότασις debet competere ἀποδόσει, etiam numero sæpe syllabarum, quatenus iudicium non respuit. Consecutióque verborũ.) Tria sunt vitia quæ orationem fœdant: Barbarismus in simplicibus: Solœcismus in cõiunctis: Improprium in sensu. Consecutio sane ἀκόλουθον significare potest, vt digestus ordo sit: tamen virtutem potius putem significare, quæ Solœcismo opponatur.

COMMENTARIVS. Habeo de simplicibus.) Fabius vult orationem esse emendatam, collocatam, & figuratam. Sed de figuris suprà egit Cicero, ac posterius etiam loquetur: Nunc autem agit de oratione emendata, quam appellamus congruam: cui opponitur solœcismus. Numeros.) Fabius præter consecutionem obseruàdam esse ait redditionem, iunctuam, & numeros. Cicero de numeris duntaxat agit, cùm præcepta breuiter complectatur. & tamen ordinem & collocationem sub numero complecti poterimus, cùm sine his numerus esse non possit. Est autem numerus, suauitas compositionis, quæ pedibus efficitur. neque tamen metrum esse debet: in quo non solùm sunt certi pedes, verùm etiam certo ordine collocati. Numerus potissimùm obseruatur in clausula, mox in principio: Media dum aptè fluant, satis est. Nam vt in simplicibus.) Fortè est ita loquutus Cicero, quia (vt ait Gellius) nondum eius temporibus à Latinis vsurpabatur barbarismus & solœcismus.

Figuræ orationis quinque.

De oratione dilucida.

Communia autem simplicium coniunctorúmque sunt hæc quinque quasi lumina, dilucidum, breue, probabile, illustre, suaue. Dilucidum fit vsitatis verbis, propriis, dispositis, aut cir-

cunscriptione conclusa, aut intermissione, aut concisione verborum. Obscurum autem, aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione atque immutatione verborum. *De oratione obscura.*

STREBAEVS. Singulorum quædam virtutes & vitia, deinde cõiunctorum, tandem simplicium coniunctorúmque communia sunt hæc quinque quasi lumina, dilucidum, breue, probabile, illustre, suaue. Tria solent assignari narrationi, quæ sunt etiam totius orationis, dilucidum, breue, probabile. Antonius secundo de Oratore, Iam verò narrationem quòd iubent verisimilem esse, & apertam, & breuem, rectè nos admonent. Quòd hæc narationis magis putant esse propria, quàm totius orationis, valde mihi videntur errare. Duo posteriora illustre & suaue, ad illam magnificentiorem splendidiorémq; pertinent orationem, qualis adhibetur locis communibus & generi demonstrationis, vbi verborum voluptatibus, & iucundè fluentibus numeris indulget orator. Adhibentur etiam quibusdam narrationibus, quibus res omnis sic exponitur, vt non audiri modò, sed etiam geri videatur. Adhibentur & aliis partibus, quum res ipsa postulat. Sit oratio dilucida, quò facilius intelligatur. Breuis, ne grauet memoriam, tædiúmque pariat. Probabilis, vt mereatur fidem. Illustris, vt digna sit oratore, magnísque rebus: vt rémque ponat sub oculos. Suauis, vt animum delectet. An hæc quinque cadunt in omnem orationem? nihil est necesse. non omnis oratio probabilis suauis est, & illustris. Vt sunt hæc communia simplicium atque coniunctorum? Vtrorumque habenda ratio est, vt fulgeant hæc lumina. Quomodo se habent ad tria genera dicendi, subtile, graue, intermedium? In horum nullum non veniunt. Dilucidum genus orandi vbique ferè locum obtinet, sed præcipuè rebus exponendis: quod optima ratio persuasit. Nam si vitiosum est obscurè loqui, & abdità narrare, contrarium est virtus. Inusitata verba, vt Casnar. Impropria, vt ferre pedem. Indigesta, siue de loco in locum malè reiecta, confundunt orationem: vt, Pedem Casnar in templum labans ferebat tarde. Quid igitur? vsitatum, senex: proprium, ire: dispositum, quod bene & ordine coniunctum est: vt, Senex infirmus tardus ibat in templum. Poëtæ sunt obscuri, quòd improprijs, inusitatis, permistísque verbis id quod volunt, enunciant: nec intelliguntur sermonis affectatores, quoniam placuerunt illis vitia obscuritatis. Cicero contrà facilis est captu: verba ponit vsitata, propria, digesta. Proprium & vsitatum est in simplicibus: in coniunctis obseruanda ratio componendi. Ea triplex. Alia est clausula, quæ est periodos numero conclusa. Aliud membrum, velut à corpore suo diductum. Aliud incisum, κόμμα dicitur. Dicendum aliquando membratim, aliquando cæsim, aliquando plena continuatione. Periodon appellat conclusam circumscriptionem, hoc est, numeris orbéque circumductam comprehensionem. Membrum vocat intermissionem, quia deflectentes à periodo, perfectam illam continuationem vt inuidiosam intermittimus, hoc est deserimus: quod ait ipse in Oratore. Sin membratim, inquit, volumus dicere, insistimus: idq; cum opus est, ab isto cursu inuidioso facilè nos & sæpe disiungimus. Verborum concisionem, dicit incisum. Ponit exemplum in Oratore, Domus tibi deerat? at habebas pecunia superabat? at ægrebas. Hæc incisè dicta sunt quatuor: at membratim quæ sequuntur duo, Incurristi amens in columnas, in alienos insanus inuasisti. Deinde apponitur circunscriptio conclusa, Deprissam, cæcam, iacentem domum, pluris quàm te, quàm fortunas tuas æstimasti. Hæc tria sunt, non alia genera dispositionis, quibus vtuntur ij qui sua præclarè atque varè disponunt: ex qua collocatione ac dispositione verborum, lux affertur orationi, & perlucunda varietas. At periodus, membrum, & incisum, aliis etiam figuris formísque dicendi conueniunt. Sanè: sed propria fiunt luminis dilucidi, quando verbis vsitatis, propriis, dispositis formantur. Non refero intermissionem & concisionem ad verba singula, quia nihil faciunt eiusmodi verba ad orationis claritatem. Intermissio membrum dici potest facta collatione cum periodo. Periodus cursum continuat, hinc continuatio vocatur, membrum non ita continuat, sed intermittit & interrumpit. Cur potius intermissionem concisionémque verborum dicit, quàm orationis? Sic dicimus circunscriptionem verborum, quemadmodum intermissionem: quia verborum compositione quadam numerus inuectitur. Ergo obliquus ille casus verborum ad tria refer

tur. Obscurum genus dilucido contrarium, quale Cicero damnat in Rullum. Vnum erat, inquit, quod mihi vitiosum videbatur, quòd tanta ex frequentia inueniri nemo potuit, qui intelligere posset quid diceret. Ex quo facile cognoscas hoc traditum genus potius ad euitandum, quàm insequendum. Nisi fortè locus obscuritatis aliqua ratione quaeretur: vt quum mores hominum occultius insectamur, aut tenebras vltro offundimus, vsi contecto quodam genere dicendi. Orationis autem longitudo parit obscuritatem: cuius rei permulta sunt exempla etiam doctissimorum virorum: qui continuantes ambitum verborũ, vix tandem sententiam perficiunt. Plura sunt imperitorum, qui mediis verbis inserentes ter quatérque parenthesin, duabus clausulis absoluunt epistolam etiam longam. Exempla proferre nihil est necesse. Orationis contractio longitudini opponitur: de qua notum est Horatij praeceptum, Breuis esse laboro, Obscurus fio. In quo genere multus Sallustius, & Suetonius, & Valerius Maximus. In eo frequentiores poëtae latini, qui fabulas & historias attigisse contenti, palbabilem propemodum euaporauerunt caliginem. Virgilius, Manet alta mẽte repostum Iudicium Paridis, spretaeq; iniuria formae, Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores. Quàm multa breuiter amplexus est? Ambiguitas est duplex: in singulis, & cõiunctis. In singulis, vt, Rem praeclarè gessit in Gallia. In coniunctis, Ego pacis alumnus. an qui pacem aluit, anne potius quem pax aluit? Sic iniuria viri, mulieris amor, beneficium patris. Inflexionem accipe immutationem. Nam catera diuisit, haec autem coniunxit, quòd prioris esset interpretamentum secundum. Per vtrumque, verborum figuras obscuriores accipimus, quia paulò antè figurata dixit ab oratore modificata & inflexa quodammodo, hoc est, immutata ab illa propria significandi natura, ad id quod improprium est quidem, sed ratione quadam proximum. Nemini autem dubium est, quin si propriis verbis dilucida constat oratio, quod paulò antè dixit, eadem obscura reddatur impropriis atque figuratis. Persius,

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit.

Dilucidum magis erat, Ianus à tergo subsannãtem videt. Nec dicas inflexionem esse derinationem. hoc enim modo, si obscurius est verbum, id fit quòd sit inusitatum, non quòd aliunde deducatur. Sunt qui per immutationem verborum significari volunt ordinis inuersionem contrariam consecutioni. Non repugno. In ambiguis variae sunt opiniones. Sed talis immutatio non semper est obscura: & siqua est, nomine obscurioris figurae continetur.

LATOMVS. Cõmunia autẽ simpliciũ coniunctorúmque verborum sunt.) Communia dicit non in altero tantùm, sed in vtroque genere verborum. Lumina ornamenta elocutionis appellat, quae eminent in dicendo, & insignem orationem efficiunt. Multae enim verborum sententiarúmque figurae in his quinque comprehenduntur. Itaque tria illa, sublime, medium, subtile, magnam ornatus partem hinc sumunt, cùm in sublimi genere, illustrium medio, suaui: in subtili, dilucida, & breui, & probabili oratione vtamur. Dilucidum fit vsitatis verbis.) Vsitata verba sunt, quibus vtuntur omnes. Propria, sua rerum vocabula, non translata. Disposita, structa recto ordine, nõ perturbata, nec lõgè traiecta. Perturbata enim sunt, Treis Notus abreptas in saxa latentia torquet, Saxa vocant Itali, mediisque in fluctibus aras. Traiiciuntur quorum sententia longè suspenditur, vt Act. 7. non argentum, non aurum, non vestem: deinde longè pòst redditur, Est hic Stenius, & quae sequuntur. Circunscriptio conclusa, periodus est aptè finita sententia. Intermissio fit membris: Concisio articulis, quibus omnibus utimur hoc modo: Tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium diis penatibus os illud importunissimum ostendere? quae membratim dicta sunt. Deinde instituitur periodus duobus membris, Quàm domum aliquando nemo aspicere poterat, nemo sine lachrymis praeterire. Concludit, Hac te in domo tam diu diuersari non pudet? Et altera conclusio, In qua quanuis nihil sapias, tamen nihil potest tibi esse iucundum. Deinde caesim dicitur, An tu illa vestibula, rostra, spolia, cum respexisti? Iterum membratim, Domum tuam te introire putas? Fieri non potest. Sequitur conclusio tum intermissa, tum caesa: Quanuis enim sine mente sis, vt es, tamen & te, & tua, & tuos nosti. Obscurum autem.) Obscurum dilucido contrarium est, quare ei subiicitur. Longitudo orationis est in hyperbatis, quibus suspenditur sentẽtia traiectis longè verbis, vt, Non argentum, non aurum, non vestem, vt suprà. Contractio fraudat intellectum auditoris: ambiguitas distrahit: inflexio & immutatio obscurant sensum orationis. Contractum genus notatur ab Horatio, Breuis esse laboro, obscurus fio. Ambiguum est, Aio te Aeacida Romanos vincere

posse. Inflexum, hoc est, translatum, vt, Vxorem Antonij populo Romano pensionem tertiam debere. Immutatum, vt, Periuræ mœnia Troiæ, propter periuria Laomedontis, qui Neptuno & Apollini promissa non soluerat.

HECENDORPHINVS. Circunscriptione.) vt, ars dicendi pro rhetorica, sapientiæ studiosus pro philosopho. Aut intermissione.) vt,

Quò mihi fortuna, si non conceditur vti? Horatius.

Concisione verborum) Vt explicicuit pro explicuit, fabrûm pro fabrorum, apud Ciceronem in epistolis. Duplicata.) vt,

Me me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum.

LEODEGARIVS. Communia.) Agens de figuris Cicero, videtur figuratè loquutus per rerũ inuersionem seu hypallagen, vt intelligamus verba simplicia & coniuncta esse propria luminum: non autem lumina esse propria simplicium verborum: nec enim vllum verbum simplex est probabile. Nec præterea ad rem pertinet an sit vnius syllabæ an multarum.

IOANNES A FOSSA. Communia autem.) Cum tria sint officia oratoris, Perspicuitas, Breuitas, Probabilitas ad docendũ pertinent. Euidentia siue illustratio ad mouendum. Suauitas ad conciliandum. Dilucidum fit vsitatis.) Alia perspicuitas orationis ex rebus ipsis quæ inuentionis dicitur. Hic intellige sitã in verbis, partim singulis, partim cõiunctis. Dispositis.) Verba debent aptè construi, ne incidamus in hyperbaton traiectione verborũ. Circunscriptio, ad verbum περιγραφή, est continuatio sententiæ donec compleatur. Cõclusa autem, quòd periodi prolixæ κοινοτατῶς molestæ sint. Intermissio, membrum, κῶλον Græcis, quòd ad periodon non peruenit. Concisio, incisum, κόμμα, tanquam pars à membro tracta. Obscurum autem.) Contrarium adfert docendi gratia, sed inuertit ordinem, cùm prius de cõiunctis agat quàm simplicibus. Nam longitudo circunscriptioni, Contractio intermissioni opponitur: Inflexio, remotio à proprio vsu, vt per obscuras verborum figuras.

COMMENTARIVS. Communia.) Tria priora dicuntur esse narrationis propria: non quòd etiam non fiant in reliqua oratione, sed quòd maximè præstanda sint in ipsa narratione. Iam illud suaue additum fuit à Theophrasto, vt meminit Cicero in Oratore ad Brutum. Sunt autem hæc verborum simplicium: vt si dicas de homine valde irato, ardere oculos, illud ardere est illustre. Hæc omnia præter dilucidum subiicere videtur Fabius ornatui. Dispositis.) Verba aptè disponi debent & construi, ne incidamus in hyperbaton, quod fit traiectione verborum & transpositione. Circunscriptione conclusa.) Id ait propter quasdam periodos, quæ prolixissimæ sunt, quas appellãt Græci κοινοτατῶς. Dãnat quoq; Aristoteles periodos pendẽtes, propter prolixitatem. Erit autem optimè conclusa periodus, si duobus, tribus, quatuor, aut ad summum quinque membris comprehendetur. Attamen prolixioribus nonnunquam vtimur in amplificationibus. Intermissione.) Intermissionem appellat membrum. Sic autem appellatur, quòd ex paucioribus verbis quàm periodus aliquid absolutè efficit. Est autem interdum periodi pars, sed nunc seorsum accipitur. At concisio, id est comma, paucioribus verbis continetur quàm membrum. Membratim enim aut cæsim dicere solemus, quum aliquẽ premere volumus: sic enim pũctim ferire solemus. Obscurum autem.) Fabius sic hunc locum interpretatur. Sunt (inquit) nonnulli qui superuacua loquacitate scatent, omniáque circunloquuntur: quo fit vt prolixissimas efficiant periodos & obscuras. Alij studio breuitatis verba orationi necessaria subtrahunt. vtrique sunt in vitio. Ambiguitate.) Ambiguitas est in oratione homonymia, id est dictione multa significante. Hæc res vtraque efficit obscuritatẽ, vt ait Fabius capite de perspicuitate.

Breuitas autem conficitur simplicibus verbis semel vnaquaque re dicenda, nulli rei nisi vt dilucidè dicas, seruiendo. *De oratione breui.*

STREBAEVS. Breuitate commendatur historia, narratio quoque, & omnis illa tenuis & nuda ratio loquendi, in qua ferè totus est Cæsar in Commẽtariis. Conficitur autem verbis simplicibus, detractis epithetis, circũlocutione & aggeratione summota. Cicero Latinæ facun-

diæ parens, causas forenses & iudiciales egit. Brevius istuc, Cicero causas egit. Ratio disserendi, & dicendi facultas, & illa vis oratoria, multitudini legibus & magistratibus constitutæ perquam necessaria est, Circunlocutio est: expeditius istud, Rhetorice ciuitati necessaria. Dilatat etiã verborum multitudo. Cicero Antoniana septima, Equidem non deero, monebo, prædicabo, denunciabo, & testabor deos homineſque quid sentiam. satis erat ad explicãdum, denunciabo quid sentiam. Breuitas etiam fit semel vnaquaque re dicẽda, nulla facta commoratione, nulla geminata repetitione. Proponatur illud Catonis apud Gellium, Succidias humanas facis, decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis. Quater dixit idem: breuitas vnum modò collocasset. Breuitas etiam conficitur, si nulli rei, nisi vt dilucide dicas, seruies, hoc est, vtèris propriis verbis, vsitatis, & dispositis. Quantum voles exemplorum suppeditabit Cæsar. Si non solum dilucide, sed etiam ornate, copiose, graviter agere voles, crescet oratio: vt si commentaria Cæsaris magnificentius ornare contendas, authoris seruata breuitate, non poteris.

LATOMVS. Breuitas autem.) Breue genus dicẽdi fit, cùm amputatis non necessariis verbis, soli perspicuitati seruitur, quod συνόμον appellant, qualis fuit vetus Atticorum dictio, quam expressit Sallustius, & quo genere ipse in narrationibus ferè & in disputationibus subtilioribus vtitur. Sed est etiam alterum genus velociter ponendi rem, vt, Veni, vidi, vici. Effertur, imus, in ignem posita est, fletur, quam βραχυλογίαν vocant. vtrumque oratoris est proprium, & hoc priori adiungitur. Sed cum in conuersõ dicendi genere assumpta verba remouẽtur, non fit hoc genus, sed verba verbis commutantur, de quo infrà docebitur.

LEODEGARIVS. Breuitas.) Eam hoc loco intelligit breuitatem, quæ nihil habet superflui.

IOAN. A FOSSA. Simplicibus verbis.) Simplicia verba non sunt singula, vt prius, sed nuda, sine epithetis, siue simplicia sint, siue composita. Aristoteles enim tertio Rhetor. tradit breuitatis esse compositionem, vt compransor.

COMMENTARIVS. Breuitas.) Sic locum hunc explicat Fabius, laudabilem esse integram breuitatem, non eam quidem cui quidpiam desit, sed eam in qua nihil redundat. Breuitati opponitur perissologia, tautologia, macrologia. Iam hic breuitas accipi non debet pro brachylogia, vt testatur Fabius libro octauo. Simplicibus verbis.) Verba simplicia vocat, quæ propriè & rectè citra ambitum circunlocutionemque rem significant. Semel vnaquaque re dicenda.) Ita tollit repetitiones, geminationes, commorationes, & expolitiones. Breuitas est, cùm simpliciter rem enunciamus citra circunlocutionem.

De oratione probabili.

Probabile autem genus est orationis, si nõ nimis est cõptum, atque expolitum: si est authoritas & põdus in verbis: si sententiæ graues, vel aptæ opinionibus hominum, & moribus.

STREBAEVS. Sæpenumero oratio eadem brevis est, probabilis, & dilucida, siue narratio est, siue confirmatio, siue alia pars orationis. Sed istorum ratio diuersa est. Non est probabilis ille nimius ornatus, & eloquentia, vt ait Fabius, libidinosa, & resupina voluptate molliter effœminata, vbi rerum gravitas negligitur, vnum quæritur lenocinium verborum. Contrà probabilis est oratio compta quidem, & expolita. nec enim sordes patitur, sed robusta, virilis, ma scula, minimè fucata. quo genere semper vtetur orator, & in quo (nequid desideretur exempli) Cicero totus est. Vbi figura dicendi recta fuerit, & proba, quæretur pondus in verbis, gravitas in sententiis. his enim duobus omnis constat oratio. Cicero pro Cluentio, Tum verò illa egregia ac præclara mater palàm exultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit, victrix filiæ, non libidinis. Itaque diutius suspicionibus obscuris lædi famam suam noluit. Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari & sterni, expulsa atque extur bata filia, iubet. Nubit genero socrus, nullis auspiciis, nullis authoribus, funestis omnibus omnũ. Quid hac authoritate verborum gravius? quæ sententiæ graviores esse possunt? Pondus est gra-

uitas. grauitas autem, significandi vis multa. contraria leuitas & verborum & sententiarum. Probabile genus est & illud, quod interserit argumenta valida, aut argumentorum seminaria, & quod aptum est atque consentaneum hominum apud quos agitur opinionibus. Facile enim probant quod esse verum opinantur, quódque respondet moribus: vt quod loquitur parasitus apud Terentium, parasitorum moribus aptissimum est.

LATOMVS. Probabile genus orationis est.) Probabile, id est, credibile, non argumentis, sed ipso genere elocutionis, quod in verbis positum est. Non nimis comptum & expolitum est, quod caret eo ornatu, qui ad voluptatem aurium adhibetur, & demonstratui generis fere proprius est: vt ex contrario pariter relatis, duplicatis verbis, iteratis, comparibus, similiter desinentibus, agnominatis, quæ paulò pòst explanabuntur. Authoritas & pondus est in verbis, quæ significant grauitatem, sanctitatem, prudentiam dicentis, vt, Quò vobis mentes, quondam quæ fiare solebant Antehac, præcipiti sese flexêre ruina? Et Cicero, Quæ malum est ista voluntaria seruitus, fuerit aliqua necessaria. Et pro Sex. Roscio, Quid tam est commune, quàm spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuãtibus, littus eiectis? & quæ sequuntur de parricidarũ supplicio. Item illa pro Cluentio, Vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. Sententia grauis est, Mortem nec forti viro turpem, nec miseram sapienti, nec immaturam consulari accidere posse. Aptæ opinioni hominum & moribus, Fecerunt serui Milonis, quod quisque in tali re seruos suos facere voluisset. Item, Oderunt quem metuunt. Nihil est quod pecunia expugnari non possit.

LEODEGARIVS. Non nimis comptum.) Semper ars suspecta est iudicibus. Itaque tantò erit oratio probabilior, & plenior artificij, quanto magis artificiũ latebit: solent enim iudices nõ minus sibi præcauere à lenocinio oratoris, quàm aues à tendiculis aucupũ.

IOAN. A FOS. Probabile.) Probabile explicat Fab. lib. 8. quod non plus minúsve est q̃ decet: non quia Cicero nolit comi expoliríq; sed quia vitiũ est vbiq; quod nimium est. Comi expoliríque his metaphoris notat elocutionem versicolorem & tralucidam. Sententiæ duplices: graues, vt viro forti præter culpam nihil dolendum accidere potest: & populares, vt fecerũt serui Milonis quod quisque in periculo vellet seruos facere. Aristoteles ad Theodectem, χαίρουσι γὰρ οἱ ἀκροαταὶ ἐάν τι καθ' ὅλου λέγων, &c

COMMENTARIVS Probabile autem.) Aliter dicitur narratio probabilis, aliter oratio. Nam probabilis dicitur narratio, quæ admixtas habet suspiciones & semina argumentorum. Et probabilis hic oratio dicitur, quæ ipso compositionis & elocutionis filo præ se fert credibilitatem. Sic probabile explicat Fabius, quod neque est nimis neque plus quàm decet. Non quòd Cicero comi & expoliri orationem nolit, sed quia putet quod nimium sit, esse vitiosum.

Probabile autem.) Probabilitas efficitur rebus & verbis: rebus, vt cum graues sunt sententiæ: verbis, vt cum oratio superuacaneis caret ornamentis, estq; ita accommoda, vt ex rebus nata videatur: nam hæc oratio suopte filo auditori videtur esse credibilis. Hunc locum interpretatur Fabius libro octauo, in capite de ornatu. Si non nimis est comptum.) Sic etiam Fabius præcipit in ornatu esse debere mediocritatem, libro octauo. Sententiæ graues.) Sententiæ philosophicæ sæpenumero dissentiunt ab opinione vulgi, quales sunt p'eraque Stoicorum. Eas tamen vsurpare solet orator, & plerasque sumptas ex mora'i ph. losophia. Sunt aliæ quæ consentiunt cũ vulgi persuasione & hominum, quæ maximè probabilem efficiunt orationem. Aptæ opinionibus.) Nihil magis probabilem efficit orationem, quàm cùm verba rebus aptantur. Si igitur sententiæ erunt graues, verba quoque grauia esse oportebit, atque in aliis generibus proportio erit seruanda. Itaque mihi præcepisse Cicero videtur de meliore genere, aut de meliore parte.

Illustris autem oratio est, si & verba grauitate delecta ponuntur, ac translata, & superlata, & ad nomen adiuncta, & duplicata, & idem significantia, atque ab ipsa actione atque imitatione rerum non abhorrentia. Est enim hæc pars orationis, quæ rem constituat pene ante oculos. Is enim maxime lenius attingitur, *De oratione illustri.*

sed cæteri tamen, & maximè mens ipsa moueri potest. Sed quę dicta sunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illustrę omnia. Est enim plus aliquanto illustre, quàm illud dilucidum. altero fit vt intelligamus: altero verò, vt videre videamur.

STREBAEVS. Illustre genus, vt ipse definit, pars est orationis quæ rem constituit penè ante oculos. Fertur & alios sensus, vt aurem, mouetque mentem. Sed oculos dicimus, quia is maximè sensus attingitur. Id confirmat Aristoteles libro de sensu, & iis quæ sentiuntur: αὐτῶν δὲ τόπων πρὸς μὲν τὰ ἀναγκαῖα κρείττων ἡ ὄψις. id est, Ex his sensibus visus ad necessaria præstantissimus. Vsus generis huius est, vt non modò intelligamus, sed vt videre videamur. quæ dicitur ὑποτύπωσις & ἐνάργεια, & repræsentatio, & euidentia. Virgilius octauo de Cyclopibus,

Ocyus incubuêre omnes, paritérque laborem
Sortiti: fluit æs riuis, auríque metallum:
Vulnificúsque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, vnum omnia contra
Tela Latinorum: septenósque orbibus orbes
Impediunt: alij ventosis follibus auras
Accipiunt, reddúntque: alij stridentia tingunt
AEra lacu: gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versántque tenaci forcipe massam.

In hoc genere illustri verba grauitate delecta ponuntur: vt, ocyus incubuêre, vasta fornace, ingentem clypeum informant, tollunt in numerum. neque enim significantiora, neque meliora inueniri possunt. Ponuntur & superlata, vnum esse clypeum omnia contra tela Latinorum. septenos orbibus orbes impediri. Sunt ad nomen adiuncta, quæ dicuntur adiectiua. Sonitus autem ab imitatione rerum non abhorret, vel hoc maximè, stridentia tingunt ęra lacu. & Illi inter sese magna vi brachia tollunt In numerum. qui versus laborat pedũ tarditate, vt conatus ille grauior ostendatur. Quid multis? Sic omnia sunt illustria, vt rem & audire & videre videamur. Cicero in Philippica secunda de bonis Pompeij, Oceanus mediusfidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distãtibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatũ, nihil obscriptum. Apothecæ totæ nequissimis hominibus condonabantur: alia mimi rapiebant, alia mimæ. domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum, totos dies potabatur, atque id locis pluribus. Suggerebantur etiam sæpe. non enim semper iste fœlix, damna aleatoria. Conchyliatis Cn. Pompeij peristromatis seruorum in cellis lectos stratos videres. Hic superlata, hoc est hyperbolica, hic verba delecta, verba duplicata, ad nomen adiuncta, idem significantia: quæ pluribus ostenderem, nisi breuitati studerem, & res ipsa per se intelligeretur. Itaq; illustris oratio est & probabilis, & dilucida, & plus aliquanto quàm dilucida. Dilucida vult intelligi: illustris & intelligi, & propè videri, hoc est, tam signatè describi, vt videatur esse sub oculos.

LATOMVS. Illustris oratio est, si & verba.) Illustre est, quo res ita exprimitur, vt penè ante oculos constitui videatur: vt in Verrem, Ipse inflammatus scelere & furore in forum venit, ardebãt oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes quò tandem progressurus aut quidnam acturus esset, cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet: & quæ sequuntur. Verba grauitate delecta sunt, quæ vim & δέινωσιν habent, vt scelere & furore, & crudelitas eminebat: item proripi, deligari: quæ omnia grauiora sunt, quàm si iratum Verrem, hominem productum & ligatum diceret. Translata, vt inflammatus scelere, ardebant oculi. Superlata, quæ fidem excedunt, vt in Antonium, Is frustis esculentis, vinum redolentibus, totum tribunal impleuit. Ad nomen adiuncta, vt hæc ipsa, Frustis esculentis, vinum redolentibus. quæ euidentiora sunt, quàm si frustis tantum dixisset.

Duplicata, vt, Aspicite, aspicite iudices squalorem sordesque fororum. Idem significantia: vt, hæc tanta virtus expelletur, exterminabitur, eiicietur. Abiit, excessit, euasit, erupit: quæ non so

lùm demonstrant rem, sed etiam vim addunt orationi. Ab actione ipsa atque ab imitatione rerum non abhorrentia) vt in Verrem, Inter dolorem crepitúmque plagarum : in quibus verbera ipsa sonare videntur. Et apud Virgilium, Sonat icta bipennibus ilex. Item turris illa cadens, Et lapsa repēte ruinam Cum sonitu trahit: quæ simili sensu aures feriunt, & coram geri videntur. Ergo hoc totum genus verborum non mentem tantum, sed etiam sensus mouet, & maximè oculos, qui sunt cæteris sensibus acriores, vtuntúrque eo præclarè cum poetæ, tum oratores, & quicunque res gestas describunt.

LEODEGARIVS. Is enim sensus maximè attingitur.) Huc referri debet quod est apud Horatium, Segnius irritant animos demissa per aurem, Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

IOANNES A FOSSA. Illustris autem.) Huc confer tropos, vt metaphoram & epitheton, quod est antonomasiæ. Confer & figuras verborum, vt epanodon & epanalepsin. Atque ab ipsa actione.) Per onomatopœiam, atque etiam sine ea. Quæ rem constituat.) Tertio de oratore nominat subiectionem sub oculos, alij repræsentationem, Græci hypotyposin & enargeian. Is enim maxime.) Ratio quamobrem cum oculis conferat. Plato in Phædro. Mens ipsa.) Metastasis, imaginatio est ex temporum translatione, vt cùm quod præteriit sistitur menti tanquam præsens. Illustre se ostendit, Dilucidum tantum patet: illud tanquam sol in oculos incurrit, hoc segnius est, nec extorquet, sed precariò petit. Illud in rem præsentem perducit: hoc intelligendum dat.

COMMENTARIVS. Illustris autem.) Illustris est oratio, quæ auditorum oculis rem penè subiicit. Ea appellatur etiam repræsentatio siue euidentia. Dicitur etiam energia, & hypotypôsis. Eam subiicit ornatui Fabius. Superlata.) Cicero vertere solet hyperbolen, superlationem: at Fabius superiectionem interpretatur. Atque ab ipsa actione atque imitatione.) Maximè illustrant ea verba, quæ res imitantur: vt si dicas tecta ruere, cùm conflagrare intelligas. Atque hoc in loco multum valere potest ὀνοματοποιία, quia res imitari solet : quanquam sine ea actionis poterit esse imitatio. Penè ante oculos.) Hac de causa Cicero in Oratore ad Quintum fratrem appellauit subiectionem sub oculos, hypotyposin: quia efficit vt rem videamus.

Suaue autem genus erit dicendi, primùm elegantia & iucunditate verborum sonantium & lenium : deinde coniunctione, quæ neque asperos habeat concursus, neque disiunctos atque hiantes: & sit circunscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto : habeátque similitudinem æqualitatemque verborum: tum ex contrariis sumpta verbis, crebra crebris, paria paribus respondeant: relatáque ad idem verbum, & geminata, atque duplicata, vel etiam sæpius iterata ponantur: constructióque verborum tum coniunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur. Fit etiam suauis oratio, cùm aliquid aut inuisum, aut inauditum, aut nouum dicas. Delectat enim quicquid est admirabile, maximeque mouet ea quæ motu aliquem animi miscet oratio, quæque significat oratoris ipsius amabiles mores: qui exprimuntur aut significando iudicio ipsius ex animo humano ac liberali : aut inflexione sermonis, cum aut au-

De oratione suaui.

Suauis oratio ex rebus.

gendi alterius, aut minuendi sui causa, alia dici ab oratore, alia existimari videntur, idque comitate fieri magis quam vanitate. Sed multa sunt suauitatis præcepta, quæ orationem aut magis obscuram, aut minus probabilem faciunt. Itaque etiam hoc loco nobis est ipsis, quid causa postulet, iudicandum.

STREBAEVS. *Suaue dicendi genus ex tribus conficitur: ex elegantia & iucunditate verborum sonantium, & lenium: ex suauitate collocationis & numeri: ex bonitate figurarum. Elegantia & iucunda verba sunt, non affectata, non illa minus vsitata, magnisque laboribus à vetustis rerum scriptoribus pueriliter emendicata: sed omnia sonantia & lenia & suauibus literis, in quibus verbis est præclara significandi vis, sine obscœnitate: vt elegantia, iucunditas, modulatio, florere, magnopere, festiue. Coniunctio iunctura à Quintiliano dicitur: quæ si proximè cohæret, vt lapides coagmentati, fœdos & asperos fugit concursus priorum sequentiumque verborum, vt cæca caligine, clara Roma, tuba bona, mors turpis, lex Sanctia. Euitat etiam disiunctos hiatus, vt ama omnes, Arma AEneæ, seditio exoritur, frugi homo. In Oratore Cicero concursionem vocalium dicit: quamobrem concursus asperos ad vocales, hiatus ad consonantes referre possis. Ad suauitatem facit & circunscriptio, quæ est absoluta numeris, & aurium iudicio comprehensa periodus. pro lege Manilia, Statui Quirites, vestram voluntatem, & Reipub. dignitatem, & salutem prouinciarum atque sociorum, meis omnibus cõmodis & rationibus præferri oportere. Decurrit hæc oratio cum suauitate, nec anfractu lõgo, id est circunductione longè producta spiritum vocémque debilitat. Nec satis est orationem bene cohærere, si non habet similitudinẽ æqualitatémq; verborum. Nec enim si minuti lapides grandioribus saxis in muro cohærent, pulcherrimam faciunt structuram, sed potius inæqualem, aspectúque deformem. sic in oratione suauiori quærenda verborum similitudo. Ponamus inæqualia, & improbanda: Ferebatur ea volubilitate linguæ, eáque dicendi celeritate, vt nihil esset leue magis. Quinque posteriora verba cæteris multo minora sunt. æquiparemus hoc pacto: Ferebatur ea volubilitate linguæ, eáque dicendi celeritate, vt nihil omnium volubilius accelerari & expediri possit. In quo syllabas haudquaquam metimur, sed discordiam magnitudinum repudiamus. Sunt qui similitudinem referunt ad similiter desinentia cadentiáque, æqualitatem ad paria membra. Quia de paribus membris postea facit mentionem, & similitudo pro similiter cadentibus atque desinentibus longè petitur, malo stare priore sententia, & similitudinem referre ad concordiã verborum, æqualitatem ad parem vel ferè parem magnitudinem. Sunt & figuræ iucũdiores, quum crebra crebris, paria paribus relata respondent: Cicero pro Milone, Est igitur Iudices non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus. Hic paribus numeris comprehensa crebrò conferuntur. Contraria relata sunt in eadem oratione, Quem cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impunè non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, cũ periculo capitis nõ dubitauit occidere? Relata ad idem verbum, Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit. Relata ad verbum non capio epiphoram, qua in idẽ verbum coniiciuntur clausulæ, quoniam epiphora nomine sæpius iteratorum melius comprehenditur. Geminata atque duplicata accipimus eadem. Quintilianus, Nam & verba geminãtur, vt Occidi, occidi. Ab Corydon, Corydon. Cicero Philip. 2. Bona (miserum me, cõsumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeij acerbissimæ voci subiecta praeconis. Sæpius iterata sunt, Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos iudicastis. Coniunctionibus copulãtur hæc pro lege Manilia, Asia tam opima est & fertilis, vt & vbertate agrorũ, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat. ἀσωδέτον in celeritate, πολυσυνδέτον in tarditate melius est. vtrunque suo loco suaue atque iucundum. Dissolutionibus hæc relaxantur, hoc est sine coniunctione ponuntur, in octaua Antoniana, At verò erecti, incitati, parati, armati animis iam esse*

debemus. Vtemur autem suaui genere dicendi, quando voluptatem afferre cupiemus, vt in laudationibus: aut motus animorum componere, aut admiratione retinere mentes. Suauis oratio conficitur verbis, vt antè dictum est, & rebus, de quibus nunc agitur. Res numero quinque sunt. Inuisum, id est, non antè visum, Inauditum, Nouum, Affectus, & Oratoris amabiles mores. Delectant hæc omnia, suscitant attentionem, animúmque pascunt: ea de re suauia dicuntur. Inuisum & inauditum differre sciunt omnes. Res gestas priscorum non vidimus, sed audiuimus. hoc ad aurem, illud ad oculum pertinet. Verùm ab his duobus noua quantum differant, haud forte cuique notum est, quia inuisa & inaudita videtur esse noua. Nouum, temporis est: inauditum & inuisum, ignorationis, & rei quæ non venit in sensum. Tamen aliquando confunduntur. Cicero in Academicis, In rebus inusitatis vtamur verbis interdum inauditis. Et paulò pòst de re eadem, Noua sunt rerum nouarum facienda nomina. Hic inaudita verba & noua dixit eadẽ. Hoc itaque mihi videtur, Ciceronem duos præcipuè facere sensus, aspectum, & auditum, quibus orator multa cognoscat: reliquos oratori non ita sæpe considerandos existimare. Deinde inuisa & inaudita non accipere, quæ nemo vnquam vel viderit, aut audierit (hoc enim modo noua essent omnia) sed quæ nemo eorum qui veluti nouitate capiuntur. Præterea noua appellare, quæcũque recenter acta sunt. Laudauit poëtas Cicero in oratione pro Archia poëta, hoc nouum fuit in iudicio Romano. Vtar, inquit, vestra benignitate, quoniam me in hoc nouo genere dicendi diligenter attẽditis. Sassia Cluentij mater, filia diuortium fecit, nupsit genero suo Melino. Hoc Romæ dicit inauditum. O mulieris, inquit, scelus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditũ. Octauius Cæsar penè puer exercitũ sua spõte comparauerat in Marcum Antoniũ. Hoc inuisum & inauditum Cicero ponit Philippica quarta. Laudo, laudo vos Quirites, cùm gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potius. Sunt enim facta eius immortalitatis, non ætatis. Multa memini, multa audiui, multa legi: nihil ex omnium seculorum memoriæ tale cognoui. Suauis oratio, multúmque popularis. Iam quæris orationem quæ motũ aliquem animi commiscet. In perorationibus frequẽter inuenies, & in aliis partibus actionum: sed multo pulcherrima est tertia actione in Verrem de casu Philodami: at longior est quàm quæ commentariis inseri debeat. Amabiles mores ostẽdit orator aut commendatione virtutum, aut insectatione vitiorum, aut indicio animi liberalis, & ad officia subeunda prompti. Multa sunt exempla in Seruilium Rullum, & in Verrem: & hoc pro Cluentio, Abs te peto Oppianice, vt me inuitum de patris tui causa dicere existimes, adductum fide atque officio defensionis. Sermonis inflexio nõ est apostrophe, vt quidam fabulatur, sed velut egressio, quum deflectit orator à cursu, aut augendi alterius, aut minuendi sui causa. Cicero pro Cornelio Balbo, Ei succedo orationi, quæ non præteuecta sit aures vestras: sed in animis omnium penitus insederit, vt plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quàm non modò ex mea, sed ex cuiusquam oratione capere possitis. Hic se comitate & benignitate quadam imminuit, vt Pompeium Crassúmque, qui pro Cornelio antè dixerant, augere possit. Nec id facit per ironiam atque dissimulationem, sed, vt ipse dicit, per comitatem. Postea videamus quæ suauitatis præcepta magis obscurã, minúsque probabilem faciunt orationem. Elegantia verborum, atque iucunditas persæpe figurata, deinde compositio quæ trãsgressione sæpe vtitur, hoc est verba de loco in locum traducit, & figuræ comptiores, & sermonis inflexiones, non semper quidem, sed plerunque orationem aut magis obscuram, aut minus probabilem faciunt. Obscuram, quòd ab vsitata vulgaríque ratione dicendi recedunt, quiddam ornatius quærunt. Minus probabilem, quia probabile, vt paulò antè dixit, nõ nimis est comptum atque expolitum, sed habet pondus in verbis, in sentẽtis authoritatem. Quamobrem suauitati non vtique dabitur locus, sed nobis est ipsis quid causa postulet, iudicandum.

LATOMVS. Suaue autem genus erit dicendi.) Hoc genere maximè vtimur in laudando. Sed sicut laudatio frequenter in cætera quoque genera incidit, ita & suauitas in eisdem versatur, nempe in deliberationibus & iudiciis, in quibus exempla obseruare licebit. Elegantia est lenium ac nitidorum verborum, iucunditas sonantium, quæ suprà notata sunt. Lenia enim sunt, vt, Nisæe, Spióque, Thaliáque, Cymodocéque Cæsariem effusa nitidam per candida colla. Sonantia & iucunda, Dulces ante omnia Musæ. &, Os humerósque deo similis. Item illa pro Marcello, Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum

in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac penè diuinam tacitus nullo modo præterire possum: quæ non solum per se iucunda, sed apta etiam & molliter iuncta sunt. Asperos autem concursus habent, Sola mihi tales casus Cassandra canebat. &, Bactra premunt. Hiantia sunt, cum vocales concurrunt, vel cum eisdem m litera, vt, Aeria aues tantum audent. Itaque altera eliditur apud poetas, vt Multum ille & terris. Circunscripta oratio est periodica, quæ non longo anfractu circunducenda est, ne lædat spiritum oratoris, & hoc ipso auditori molesta sit. Similitudinem habent agnominata verba, quam παρονομασίαν vocant, vt, Non ex vrbe emissus, sed in vrbem immissus: Ex oratore arator factus: In gremiis meretricum mentum mentémque deponere. Item similiter desinentia & cadentia, vt, Abiit, excessit, euasit, erupit. Omnia audienti, magna metuēti, nonnulla etiā credēti. hæc ὁμοιόπτωτα, illa ὁμοιοτέλευτα vocāt. A Æqualitatem habent, quæ in membris sunt comparia, ἰσόκωλα dicuntur, vt, Non minus nunc in iudicio cederet Sexti Ebutij impudentiæ, quàm tum in vi facienda cessit audaciæ. Item, Domus tibi deerat? at habebas. pecunia supererat? at egebas. Similitudo enim in voce est, æqualitas in numero verborum. Contraria crebro sumpta, & pariter respondentia sunt in antithetis, vt, Est hæc nō scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam nō docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Relata ad idem verbum: vt, vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, quam ζεῦγμα Grammatici, author ad Herennium adiunctionem vocat. Geminata atque duplicata penè eadem sunt. Geminata tamen, Me me, adsum qui feci: Tu tu Antoni: &, Iam iam minimè miror. Duplicata, Occidi occidi. Confiteretur, confiteretur inquam: vt hæc plurium syllabarum sint, illa monosyllaba. Iterata sunt ex interuallo repetita, vt, Nihilne te nocturnum præsidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, in Catili. Copulata, vt, Et nomen pacis dulce est, & res ipsa salutaris. Item illa, Nisæe, Spióque, Thaliaq;, Cymodoceq;. Dissoluta, Expelletur, exterminabitur, eiicietur. Vestibula, rostra, spolia. Inuisum, est non ante oculis usurpatum. In quo in, priuat, non auget. sicut in inuideo. Itaque verbo vsitato nouè vtitur. Inuisum igitur est, Elephantos vel leones ad currum iunctos fuisse. Inauditum, Socrum expulsa filia genero nupsisse. Nouum, Antonium nuper Brundusij Centuriones occidisse. Motum aliquem miscet oratio, quæ vnà cum re affectum significat: vt, Illi me comitē & cōsanguinitate propinquum Pauper in arma pater primis huc misit ab annis. Et, Cui me moribundam deseris hospes? Hoc quoniam solum nomen de coniuge restat. Et ipse in Verrem, Grandis natu parens adductus ad supplicium, ex altera parte filius, flebat vterque non de suo supplicio, sed pater de filij morte, de patris, filius. Itē Terent. Filiū habeo: ah quid dixi habere me? immò habui Chreme. Fit enim frequēter non solum cum propriè hoc agimus, sed etiā cū argumētamur vel narramus. Amabiles mores exprimuntur ex animo humano ac liberali, non cum hæc dicūtur verbis, sed cum vltro ex vi & colore orationis intelliguntur: vt, Patria, quæ mihi vita ipsa charior est. in Catil. Et in Antonium, Hæreditatem negasti mihi venire. Vtinam hoc tuum crimē verum esset, plures amici mei & necessarij viuerēt. Et pro Milone, Qui possum putare me restitutum, si distrahor ab iis per quos sum restitutus? quæ exempla vbique sunt obuia. Inflexio sermonis suprà declarata est, cum de simplicibus verbis loqueremur. Fit enim cum admirabilius aliquid quàm patitur sermonis consuetudo ornamus, idq; vel augēdi alterius causa, vt, P. Lentulus deus ac parens vitæ nostræ. Vel sui minuēdi, vt, Ad me vnum hominem fractum ac dissipatum restituendum venirent. Fractum & dissipatum dicit, exilium suum significans, in senat. post reditum suum. Hæc præcepta consilio moderanda sunt, ne vel obscurent orationem, vel minus probabilem efficiant, si omnia suauitatis momenta sine delectu consectemur. Itaque adhibendum est iudicium, & non solum voluptati, sed etiam vtilitati seruiendum.

HECENDORPH. Habeátque similitudinē,) Id est, verba quæ eiusdē sunt qualitatis, & modi, & formæ. A Æqualitatem. i. parium penè syllabarum: vt, illi fortuna dedit fœlicitatem, huic industria virtutem comparauit. quod alioqui compar graue appellatur: author Cicero libro ad Herennium 4. Relata ad idem.) vt, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia: Cicero. Geminata.) Id est bis repetita: vt, Scipio Numantiam sustulit, Scipio Carthaginem deleuit. Coniunctionibus copuletur.) Polysyndeton intelligit: vt, Ignémque horribilémque feram, fluuiúmque liquentem. In 4. Georg. Tum dissolutionibus relaxetur.) Dissolutum

intelligit, cùm multa sine coniunctione cohærent: vt,

Ferte citi flammas, date vela, impellite remos. apud Virgilium.

Ex animo humano, id est more hominum.

LEODEGARIVS. Neque asperos habeat, &c.) Cicero in oratore ad Brutum, Ex vsu dicunt, & è Repub. quòd in altero vocalis excipiebatur in altero esset asperitas, &c. Ad spiritum vocis apto.) Periodus non debet esse longior, quàm vt spiritus possit vno ductu proferre: turpe enim est resorbere anhelitum in medio periodi: quãquam non negarim dari posse periodum, quæ duobus spiritibus egeat. Fit.) Noua, inaudita, inuisa, magna, admirabilia placent: igitur adhibenda sunt ad orationem suauem, quoniam oratio suauis pertinet ad delectationem.

Inflexione, &c.) Sermonis inflexio (vt Amerbachius ait) non est apostropha, aut digressio propriè, sed id quod ipse dicit comitas, id est, à vero quædam iucunda & non reprehendenda recessio.

IOAN. A FOSSA. Suaue autem genus.) Suauitas orationis fit tum verbis, tum rebus. Verborum partim simplicia, quæ sonantia sunt & lenia: partim coniuncta, si careant hiatu vocalium, & concursu asperarum consonantium. Cõcursus tamen, vt in Bruto, habet aliquid molle & suaue. σνδρομὴ ἢ διαξυκτικὴ, quia oratio laborat & intersistit. Anfractus opponitur compendio. Similitudo est paronomasia, homœoptotum & homœoteleuton. Æqualitas est in numero, vt sunt ἰσόκωλα. forte legas membrorum. Per contraria intelligit antitheton, quæ cõtentio etiam dicitur. Relata ad idem verbum sunt zeugmatis, Vicit pudorem libido, timorem audacia. Geminatio duabus syllabis, Tu, tu Antoni. Duplicatio pluribus, Occidi, occidi. Iteratio est per epanalepsin. Nihilne te nocturnum? Coniunctionibus.) Ex syndesmo magis propria est appellatio coniunctionis. Dissolutiones.) Λύσεις, ἀσυνδέτα, Articuli. Fit etiam suauis.) Suauitas quoque fit rebus. Quæq; significat oratoris amabiles mores.) Aristoteli hoc debetur, ὥσπερ φαίνεσθαι τὸν λέγοντα χρηστόν. Inflexione sermonis.) Egressionem alij putant. Quidam figuras capiunt in simulatione positas & ironia tectiore, ne appareat ambitio. Alia dici ab oratore) vt si se laudet ironicòs. Alioqui iudicarem negationem esse præfigendam hoc modo, non alia dici. Sed multa sunt.) Iam tertium mentionem fecit iudicij. Virtutes omnes non vbique æquè decent.

COMMENTARIVS. Suaue autẽ.) Hoc suaue genus dicendi maximè versatur in medio charactere, quo sæpenumero vtimur in laudationibus. Itaque sophistæ, qui in epidictico & panegyrico genere versantur, potissimum hoc suaui genere vtuntur, quo delectare volunt.

Coniunctione.) Suauis oratio fit rebus & verbis. Verbis simplicibus, si sonantia sunt & lenia: coniunctis, si hiatu vocalium & concursu asperiorum consonantium careant. Præterea si figuræ illæ adhibeantur, quæ maximè solent exornare. Quæ neque asperos.) In iunctura vitanda sunt ista duo vitia, vt præcipit Fabius. Hiatus appellat, quòd cùm vocales ore cauo pronuncientur, necesse est, quando concurrunt, vt multò magis os nostrum hiet. Dixit disiunctos concursus, quia in hiatu oratio intersistit & laborat, vt ait Fabius. Attamen ait Cicero concursum vocalium nonnunquam aliquid habere molle atque suaue. Et sit circunscripta, &c.) Cicero (vt ait Fabius) metitur magnitudinem periodorũ aut quatuor senariis versibus, aut vnius spiritus mensura. Habeátque.) Initio enumerat eas figuras, quæ apertissimam habent concinnitatem: ideóque suauem efficiunt orationem. His sophistæ, qui versantur in genere suaui, nimiũ vtebantur, ut ait Fabius: quod licet apud Isocratem obseruare. Æqualitatémque.) Ita intelligit isocolum, quod fit membris periodi exæquatis: & παρίσον, quod fit cùm membra periodi non sunt prorsus æqualia, sed propemodum. Crebra crebris.) Ita significant antitheton, id est contrapositum. ab aliis vocatur contentio, propter pugnam contrariorum. Respondent crebra crebris, cùm ponuntur in oratione multa contraria, & singula singulis statim è regione respondent. Respondent paria paribus, cùm contraria multa simul opponuntur. Relatáque ad idem verbum.) Sunt relata ad idem verbum, cùm membra duo aut plura vnum duntaxat habent verbum. Zeugma appellant. Súntque eius tres species, in medio, fine, & principio. Fit etiam suauis.) Suauitas nõ solùm petitur à verbis, sed etiam à rebus. De verbis suprà, de rebus nunc agit. Cùm autem suauitas orationis comparetur ad delectationem auditoris, ea erunt inuestiganda, quibus delectetur auditor. Sic enim suauis efficietur oratio. Aut nouum dicas.) Potest ali-

quid antiquum esse inuisum & inauditum: vt si hoc tempore apud Barbaros de lupa Romuli verba faceres: ideóque nouum adiecit. Maximéque mouet.) Videtur intelligere duos motus ad affectum conducere, attamen ἦθος, id est affectus lenior, magis ad delectationem & suauitatem facit, quam etiam efficere pathos, dum nimium inflammentur. Inflexione sermonis.) Per inflexionem sermonis nonnulli digressionem intelligunt: alij metaphoras ornatiores: alij apostrophen. Quid si accipiamus figuras quasdam in simulatione positas, quae sermonem inflectunt? Ac certè illa inflexio aperta nimis esse non debet, ne videatur esse hominis vani, sed latens atque modesta, vt insit comitas. Cùm aut augendi.) Quod aliquando figuratè sentit orator, aliquem laudat, & interim auditor aliter accipit, quasi orator laudare nolit. Iam se modestè solet extenuare interdum: sed ita extenuationem accipit, vt putet summopere laudandum oratorem.

Magis obscuram.) Suauitas efficit nonnunquam orationem obscuram, propter inflexionem & immutationem verborum, aliásque figuras paulò obscuriores, quas orator nonnunquam adhibet. Efficit minus probabilem, propter nimia ornamenta. non est igitur vbique suaui oratione vtendum.

De oratione mutata.

Duæ species commutandæ orationis in verbo.

C. F. Reliquum est igitur, vt dicas de conuersa oratione atque mutata. C. P. Est itaque id genus totum situm in commutatione verborum: quæ simplicibus in verbis ita tractatur, vt aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio. Ex verbo, cùm aut proprium, aut idem significans, aut factum verbum in plura verba deducitur. Ex contractione, cùm aut definitio ad vnum verbum reuocatur, aut assumpta verba remouentur, aut in circuitus diriguntur, aut in coniunctione fit vnum verbum ex duobus.

STREBAEVS. Diuisio facta est orationis. Genus est, inquit, vnum eloquendi sua sponte fusum, alterum versum atque mutatum. nunc de conuersa oratione precipit, atque mutata, in cuius non dicã interpretatione, sed inuersione, interpres ille Georgius frustra laborauit: doctus quidem bene tradita in improbum sensum conuertere atque mutare. Vidit Cicero proprius & simplicibus verbis, & oratione sponte fusa atque naturali non semper vtendum: quòd neque iucundum sit, neque varium, neque vehemens, vno semper vti genere dicendi. voluit igitur & verba singula, & coniuncta aliquando mutari: vt plus varietatis, plus iucunditatis, plus cuiusdam virtutis esset in oratione. Est itaque id genus totum situm in commutatione verborum. Commutatio duplex. Altera verba de loco mutat in locum, aptius ordinandi gratia: altera dilatat aut cõtrahit verba, aut ad petendam varietatem, aut ad significandi vim ampliorem. In qua mutatione plurimũ versatur orator. Hinc illud infrà, Eloquendi, inquit, exercitatio maximè in hoc toto conuertendi genere versatur. Nam (quod antè dixi) genere sponte fuso perraro vti possumus, propterea quòd ordo naturalis vt est multo optimus quando respondet, ita totũ eloquentiæ non sæpe respondet. Quòd si antea de commutatione verborum facta mentio videtur, quum de numeris, de consecutione, de quinque generibus orationis est dictum, nihil est quod mirere. Id factum est duabus de causis. Aliquãdo sponte fiunt ista, sæpe arte innectuntur generi sponte fuso, verbis assumptis idem quod primùm occurrentia notantibus ordine non mutato. si mutant ordinem, ad genus versum pertinent. habent igitur aliquid commune, propter quod ad vtrunque genus referri possunt. Iam de mutatione. Verba dilatantur, oratio in pauciora quædam contrahitur, vel etiam in vnum verbum. Proprium est verbum, bellum. Idem significans assumpta figura, Mars. neque enim dicit idem significantia, synonyma, quæ & ipsa propria sunt: sed in figuris vsurpata loco propriorum. Factum, id est compositum, de quo maximè fit hic mentio, (quanuis quatuor modis verba fiant) vt armipotens. Bellum ducitur in plura, vt motus armorum in ho-

stili discordia. Quid tum? hoc & illo sic vtemur, vt res ipsa persuadebit. Bello vicit Aphros, honesto marte superauit Asiaticos, & in hoc armorum motu ac hostili discordia nũquam cessit rebus aduersis. Hoc modo & copia, & varietas, & iucunda verborum compositio miscetur. Armipotens dicitur à poëtis, nec enim omnia succedunt, neque tot membris separantur. Experiare licet similem variandi legem. Cicero non dicit vbique rhetoricen, sed etiam oratoris artem, orandi facultatem, rationem disserendi, bene dicendi scientiam, dicendi facundiam: dices tamen non quod primum venerit in buccam (sic faciunt imperiti) sed quod optimè prioribus ac posterioribus cohærebit, quod ipse facit libro de Oratore. Definitio ad vnum verbum reuocatur: hoc modo rem finit orator: deinde quod pluribus intelligendum proposuit, vno complectitur verbo: quæ ratio dicendi sit amplior & grauior, quàm si quid ieiunè atque siccè verbo tantum notetur: quod quando sit vsurpandum, res ipsa monstrabit. Cicero, Nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia, sedesque populi Romani, penates, aras, focos, sepulcha maiorum, nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus. Partibus definit patriam, deinde verbo comprehendit, partesque toto complectitur. Dicet quispiam, hic verbum in plura verba diducitur. Fatebor quidem: sed aliud est progredientem ab vno ad plura peruenire, aliud à pluribus ad vnum. Referuntur hæc, dilatatio, & contractio: idéoque in contrariũ ducuntur. Tale est illud Virgilij, Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, Carthago. Nã descriptio Carthaginis reuocatur ad verbum. Assumpta verba remouentur per negationem, non per correctionem, quæ nihil remouet, sed magis idoneum subiungit. Etenim Quintilianus appellat argumentũ à remotione, cuius vna pars plureſve negando tolluntur. De correctione sit hoc exẽplum, ex actione tertia in Verrem, Non enim furem, sed ereptorem: nõ adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumq; non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuiũ sociorũmque, in vestrum iudicium adduximus. Hæc ita remouẽtur, vt in breuius non contrahantur. Quæ de re non idoneum sit exemplum, sed ea causa positum, ne quis arbitretur eiusmodi remotiones ab authore signari. In breuius contrahuntur hoc modo: Errauit imprudens, sensu lapsus est, existimauit esse Pompilium, qui esset Octauius. Sceleri non adiecit animum. Nihil est istorũ. Quid igitur? Occidit inimicum. Priora tollũtur, vt apertius conficiatur hoc extremum, quæ rei totius est summa. Circuitus autem comprehensio est, siue circunscriptio longioribus numeris comprehensa, quæ dicitur à Græcis Periodos: de qua Cicero in Oratore, Quintilianus in nono permulta dixerunt. Difficilius istuc expedire, quid circuitus ad orationis contractionem omnino faciat. Ego quidem sic existimo, esse plurima quæ dicẽdo ab Oratore longè latéque fundunturr: tandem vna periodo angustius omnia contrahuntur: vt fit in peroratione frequentissimè, quando repetuntur argumenta. Nec in peroratione solum, sed in omni quæstione, si quid fusius sparsum parit obscuritatem, id circunscribimus, vnóque circuitu comprehendimus, vt quid sit effectum, manifestius ostẽdamus. Et ne tædium afferamus in longioribus exemplis, ponamus hoc nostrum, Irritæ sunt apud te preces amicorum: nulla te mouet necessitudo: non te reddit exorabilem affinitas, nihil te flectunt propinquorum voces, nulla parentum mouet te charitas. Quid est igitur quod ipsi sperare possimus? Hæc membra sex breuiter in circuitum dirigentur, hoc modo: Si neque preces amicorum, neque necessariorum, neque affinium, neque propinquorũ, neque etiam parentum te mouent, quid est quod ipsi sperare possimus? Vnde constat illum circuitum, quo frequenter vtuntur historici, plurimum iuuare breuitatem, ac dissipata dispersáque in vnum congregare, atque etiam leuare tædium audientis, si forsan immorandũ est, vnúmque & idem sæpius alio & alio modo enunciandum, aut si repetitione priorum argumentum colligendum. In coniunctione, hoc est in compositione verborum, fit vnum verbum ex duobus, vt, patrem occidit parricida. Potest omnia fortuna omnipotens. Salutem feret salutifer exercitus.

LATOMVS. Reliquum est igitur vt dicas de conuersa oratione.) Quæ sit spõte fusa, quæ conuersa oratio, suprà dictum est, vbi illud etiam admonuimus, sponte fusam separatè fieri, conuersam nunquam extra illam, sed contexi cum eadem, & misceri in vnum corpus elocutionis. Non enim idcirco conuersa dicitur, quòd omnibus in verbis, totóque cursu dicendi mutata sit: sed cùm natura omnis simplex & recta sit oratio, hæc ipsa tunc cõuersa dicitur, cùm artificio dicẽdi modò dilatatur ex verbo aliquo, modò rursus ad naturã suã, & ad simplicem dicẽdi formã reuocatur. Vt aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio.) Ergo omnis simpli-

cium verborum conuersio in dilatando & contrahendo posita est, non quòd dilatatio omnis & contractio vertat orationem, sed tum denique, cum hæc fiunt verbis, nõ rebus, in oratione, hoc est, cum verborum, non rerum gratia adhibentur, versantúrque in eloquẽdi, non inueniendi ratione. Oratoriæ enim facultatis est, rem quanuis modò latè, modò angustè dicere, & commutare verba, præsertim in magno & ornato genere dicendi, vt non solùm vberius ac speciosius dicãtur ea quæ ornanda sunt, sed augeatur etiam voluptas auditoris, & magna atque affluens oratio admirabilior efficiatur. Cum aut proprium, aut idem significans, aut factum verbum in plura verba deducitur.) Quæ sint propria, quæ facta verba, suprà dictum est. Idem significans intelligitur, quod loco proprij positum tantundem valet, vt, Thalamo quæ fixa reliquit Impius, pro Æneæ. Sic consul, imperator, dictator, pro Cæsare: Sector Pompeij, pro Antonio: Iám ne sentis bellua? nunc aude ô furia, pro Pisone: quæ per antonomasiam & translationem dicta sunt. Hæc in plura deducuntur dupliciter, vel idem dicendo commutatis verbis, vel eadem de re dicendo. Idem dicitur definiendo, interpretando, attollendo, multiplicando, idque tum simplicibus, tum coniunctis verbis. Definitio intelligitur, quæuis rei vel personæ descriptio, qua quid latius quàm verbo simplici exprimitur. Ea additur verbo, vel etiam in locum verbi assumitur, tum simplex, tum frequẽs & conglobata. Simplex, vt Cn. Pompeius lumen & decus populi Romani: P. Lentulus deus ac parens vitæ nostræ. Ille gurges atque helluo, natus abdomini suo, non laudi atque gloriæ, pro Cabinio: vbi in locum verbi definitio subiicitur. Frequens & conglobata est, P. Lentulus vltor sceleris illius, propugnator senatus, defensor vestræ voluntatis, patronus illius publici consilij, restitutor salutis meæ. Item, Verres ille vetus proditor consulis, translator quæsturæ, auersor pecuniæ publicæ. Et de curia incensa in funere Clodij, Vidimus templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, cõsilij publici, caput vrbis, aram sociorũ, portum omnium gẽtium, sedem ab vniuerso populo Romano concessam vni ordini, inflammari, excindi, funestari. Interpretationem vocamus, cum id quod semel dictum est, verbis idem valentibus, aut etiam eundem sensum efficientibus, iteratur. Quod fit tum singulis, tum coniunctis. Singulis hoc modo, vt in Verrem, Tibi fauebo, te inquam adiuuabo. Quid cum ignes ardentésque laminæ admouebantur? Si te illius acerba imploratio, & vox miserabilis non inhibebat. Item, Hic locus vnus est, hic portus, hæc arx, hæc ara sociorum. Coniunctis, Hac se cõmemoratione ciuitatis omnia verbera depulsurum, cruciatúmque à corpore deiecturum arbitrabatur. ead. act. 7. Item Rempub. radicitus euertisti, ciuitatem funditus deleuisti: quam propriè interpretationem vocat author ad Herẽnium, eodémque exemplo vtitur. Nos verbum latius extẽdimus, atque hanc etiam interpretationem vocamus: Verrésne tibi tanti fuit, vt eius libidinem hominum innocentium sanguine lui velles? idcircóne exercitum atque hostem relinquebas, vt tua vi & crudelitate istius hominis improbissimi pericula subleuares? Item Philip. 3. Qui nisi in hac Repub. natus esset, Rempub scelere Antonij nullã haberemus. sic enim perspicio, sic iudico, nisi vnus adolescens illius furẽtis impetus crudelissimósque conatus cohibuisset, Rempublicam funditus interituram fuisse. Et Philip. 2. Tu ingredi in illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium diis penatibus os illud importunissimum ostẽdere? quo in loco duorum verborum ter commutatio facta est inuehendo, cum in priori interptatio affirmauerit. Attollẽdo cõmutantur verba, cũ assumũtur grauiora in eandẽ rem, & maxime gradatim ascendentia. Itaq; fit collatione verborũ, correctione, & gradatione. Collatione, Non furem, sed ereptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionúmque: non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorúmque in vestrum iudicium adduximus. vbi leuiora grauioribus commutantur. Correctione, Quas illæ leges, si modò leges nominandæ sunt, ac non faces vrbis & pestes Reipub. Item, Cuius autem qui in eo numero fuisset, nomen occultatum? occultatum dico, cuius non statim diuulgatum? Et in Verrem, O clementiam populi Romani, seu potius patientiam miram ac singularem. Gradatione, Abiit, excessit, euasit, erupit. Item, Instãmari, excindi, funestari: quæ simplicia & breuiter absoluta sunt. Suspensa autem longius & postea conclusa, Si quis rex, si qua ciuitas exterarum gentium, si qua natio fecisset aliquid in ciuem Romanum, nónne publicè vindicaremus? nónne bello persequeremur? possemus hanc iniuriam ignominiámque nominis Rom. inultam impunitámque dimittere? in quibus posterioribus interpretatio est, in prioribus incrementũ. Quod sequitur, pluribus gradibus ascendit. Si hæc non ad ciues Rom. non ad aliquos amicos nostræ ciuitatis, non

ad eos qui populi Rom. nomen audissent, si non ad homines, verùm ad bestias: aut etiam, vt longius progrediar, si in aliqua deserta solitudine ad saxa & adscopulos hæc conqueri & deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima, tanta & tam indigna rerum atrocitate commoueren tur. quæ omnia in altum excurrunt. Sed ab inferiori etiam repetuntur, vt, Facinus est vincire ciuem Rom. scelus verberare, propè parricidiũ necare: quid dicam in crucem tollere? Et in Verrem, Scelus est accipere ab reo, quanto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius ab vtroque? Quomodo etiam exaggerantur quæ in re, non in verbis tantum sunt posita, vt in Antonium, Sororem tuam eiecisti, alia conditione quæsita, & antè perspecta non est satis, probri insimulasti pudicissimam fœminam: quid est quod addi possit? contentus eo non fuisti, frequentissimo senatu Calend. Ian. sedente patruo tuo, hanc tibi esse cum Dolabella odij causam ausus es dicere, quòd ab eo sorori & vxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses, quis interpretari potest impudentiórne qui in senatu, &c. Philip. 2. quæ nõ sunt huius loci, sed ad simplicẽ augendi rationẽ pertinent: quia nõ verbis aßũptis, sed re ipsa attollũtur. Multiplicãdo cõmutatur oratio, cum nõ augẽdi neq; interpretãdi gratia assumũtur verba, sed frequentãtur in eo quod dicitur, vt non vnũ, sed multa dici videãtur. Fit tum idem valẽtibus verbis, tũ diuersis: & ex his, aliis vt partibus totius, aliis vt adiunctis vel consequentibus, aliis vt penitus diuersis. Idem valentia sumuntur quasi interpretando, vt pro Marcello, Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamq; clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac penè diũinam tacitus nullo modo præterire possum. quæ quanus interpretantur etiam quod subiectum est, tamen non tam hoc agitur, quàm congeruntur multa in eandem rem, vt tot dici videantur. Idem fit pro Ligario, Quid enim Tubero tuus ille in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis erat sensus armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? quam congeriem vocat Quintilianus, non rerum, sed verborum mente vnius multiplicationem. Assumptis partibus multiplicamus hoc modo: Horum flagitiorum ille vestigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impreßit. Et in Pisonem, Oculi, supercilia, frons, vultus denique totus. Adiuncta sunt accidentia, vel quæ consequuntur rem aliquem: vt, Ego eadem, incendia, rapinas, vastitatem à tectis huius vrbis, & à capitibus vestris depuli. pro coniurationis periculo. Sic è cõtrario, vbertatem agrorum, frugum copiam, otium, tranquillitatem, iudicia, leges, pro pace dicimus, quòd hæc eam consequantur. Diuersa congeruntur & commutant orationem, non cùm in re sunt, sed cùm multiplicandi, hoc est, augendi ornandique causa assumuntur: vt, Quid est in Antonio præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? nihil est in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Et in Verrem, Huius furta, rapinas, cupiditatem, crudelitatem, superbiam, scelus, audaciam imperatoriis laudibus tegere conaris? Quæ etiam in totidem alia distribui possunt: vt, Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, auaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset. Et in describendo, Personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pauimenta vino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matresfamiliàs versabantur. Ergo his quatuor modis eandem rem cõmutatè dicimus. Quòd si cui plures esse videbũtur, sciat genera quatuor esse, species fortasse plures, quæ tamẽ eodem referũtur. Illud ignorandum non est, misceri hæc interim inter se, & vnũ genus in alterum incidere: vt, Tantene Verres libidines tuæ erunt, vt eas non prouinciæ populi Romani, non exteræ nationes capere possint? Túne quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum præsto fuerit, nisi libidini cupiditatique tuæ paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? ciuitates non modò pacatæ, verùm etiam sociorum atque amicorum ad vim atque ad arma confugient, vt ab se, atque ab liberis suis legati populi Romani scelus atque libidinem propulsare possint? Quæ comprehensiones duæ sunt, quarum posterior priorem interpretatur, sed incrementum interim, & rursus interpretatio, item congeries in eadem versantur. De eadem re cõmutatis verbis dicitur, cùm id quod simpliciter dici poterat, explanatur pluribus verbis, & in hanc vel illam partem versando dilatatur. Commorationem vocat Cicero in tertio de Oratore: author ad Herennium expolitionem. Constat ratione, contrario, sententia, simili, exemplo: quæ cùm in vnum quasi corpus conferuntur, id quod plerunque fit, non semper, tunc initio additur propositio, & conclusio in fine, qua totus locus absoluitur. Ratione fit hoc modo, Etsi turpe est in-

dices pro fortissimo viro dicere incipientē timere, & quæ sequuntur. Deinde ratio: Hæc enim noua iudicij forma terret oculos, qui quæcunque inciderint, veterem consuetudinem fori minimè videt. Eadem interim duplicatur, vt, Me quidem miseret parietum ipsorũ, atque tectorũ. Ratio, Quid enim vnquam domus illa viderat nisi pudicum, nisi ex optimo more, & sanctissima disciplina? Cui altera subtexitur: Fuit enim ille vir P.C. sicut scitis, cùm foris clarus, tum domi admirãdus: neque rebus exteris magis laudandus, quàm institutis domesticis. Priorem ἐξεργασίαν, posteriorem ἐπεξεργασίαν Græci rhetores vocant, hoc est, probationem, & probationis repetitionem, vt Fabius appellat. Contraria assumuntur hoc modo: Fidem sanctissimam in vita qui putat, potest ei non inimicus esse, qui quæstor consulem suum consiliis commissis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, spoliare, relinquere, prodere, oppugnare ausus sit? Pudorem & pudicitiam qui colit, potest animo æquo istius quotidiana adulteria, meretriciam disciplinam, domesticũ lenocinium videre? Qui religiones deorum immortalium retinere vult, ei qui fana spoliarit omnia, qui ex thensarum orbitis prædari sit ausus, inimicus non esse qui potest? & quæ sequuntur Act. 5. cuius totum illud principium in hoc genere cõmutationis versatur. Sententia, est vox vniuersalis, vt ait Fabius, quæ etiam citra cõplexum causæ possit esse laudabilis, vt pro Ligario, Nihil est tam populare quàm bonitas. item, Nihil habet Cæsar nec fortuna tua maius, quàm vt possis, nec natura melius, quàm vt velis seruare quàm plurimos. Etiam duplicatur, vt, Obsequium amicos, veritas odium parit. Sed hæc pluribus explicãtur à Fabio. Illud obseruandum est, sententiam modò per se poni ornandi causa, modò rationem efficere, quòd natura ad id apta sit, vt in illo ipso exordio, quod paulò antè citauimus. Omnes qui alterum, iudices, nullis impulsi inimicitiis, nulla priuatim læsi iniuria, &c. Deinde ratio, quæ & sententia, Legem enim sibi ipsi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutúmque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt, atque eo magis, si id, vt antè dixi, faciunt nulla re commoti alia, nisi vtilitate cõmuni. Superaddit ἐπεξεργασίαν: Nam qui sibi hoc sumpsit, vt corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officij declinarit? Similia in explanando magnam vim habent, & illustrant orationem, quibus ipse sic vtitur in Antonium, Vt igitur in seminibus causa est arborum & stirpium, sic huius luctuosissimi belli semẽ tu fuisti. Et paulò post, Vt Helena Troianis, sic iste Reipub. causa belli, causa pestis atque exitij fuit. Et in Verrem, Versabatur in Sicilia lõgo interuallo alter non Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos, & crudeles tyrannos) sed quoddam nouum monstrum, ex vetere illa immanitate, quæ in eisdem locis versata esse dicitur. Non enim Charybdim tam infestam, neque Scyllam nautis, quàm istum in eodem freto fuisse arbitror. Exempla eiusdem generis sunt, nisi quod ex factis ducuntur, & ad imitandam ferè fugiendúmve pertinent, vt, Quod nos vitium in priuatis sæpe tulimus, id maiores nostri ne in rege quidem ferre potuerunt. Iunius Brutus regem superbum non tulit: D. Brutus sceleratum atque impium regnare patietur Antonium? Et in Catilinam, P. Scipio Tyberium Gracchum Rempub. mediocriter labefactantem priuatus interemit: L. Catilinam orbem terrarum cæde atque incendiis vastare cupientem, nos Consules perferemus? Hæc cum sumuntur probandi causa, non sunt huius loci, sed cùm ornant, & immutatione verborum explanant orationem. Idem de superioribus omnibus est iudicandum. Cum enim necessaria sunt, non vertunt elocutionem, sed cum ornãdi causa adhibentur. Ex oratione, cum aut definitio ad vnum verbum reuocatur.) Ex oratione contrahitur oratio, cum quæ ad dilatandum valent, remouentur. Est enim contraria dilatationi contractio. Itaque definitio reuocatur ad vnum verbum, cùm ea omissa verbo solo vtimur: vt si pro eo qui Carthaginem & Numantiam deleuit, Scipionem: pro eo qui de Mithridate, Africa & Hispania triumphauit, Pompeium dicas. Assumpta verba quomodo remoueantur, ex interpretandi, augendi, & multiplicandi ratione intelligitur, nẽpe detrahendo ea quæ ornandi causa adiuncta fuerũt: vt, Est hæc nõ scripta, sed nata lex: hoc simplex est. Additur interpretatio, Quam non didicimus, accepimus, legimus, expressimus: & quæ sequuntur. Quæ si remoueris, contractam orationem efficies. Sed videndum erit in hoc toto opere, ne contrahas quæ dilatanda erunt, aut contrà dilates quæ simpliciter dicta plus essent approbationis habitura: quod quidem erit primum ex causis ipsis, deinde in singulis elocutionis partibus, ex rebus, personis, locis, temporibus iudicandum. In circuitum diriguntur verba, quæ cum membratim ac solutè dici, vel extrà addi possunt, in periodum includuntur. quod fit non solùm in

cōcludenda sentētia, sed etiā in reliquo cursu orationis. Est enim circuitus omnis breuior natura quàm soluta oratio, non quòd paucicra verba contineat, sed cum ex eisdem ferè verbis constet, orationem tamen velut in orbem inclusam certo principio ac fine determinet. vt statim pro Milone, ne quis longè exempla quærat: Etsi vereor, iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere. Hæc instituta periodus est: sequitur interpretatio assumpta ornandi causa, & in eundem circuitum directa, Miniméque deceat, cum T. Annius Milo ipse magis de Reipub. salute quàm de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinē afferre non posse. Deinde redditur altera pars sententiæ: Tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos, qui quocunque inciderint, veterem cōsuetudinem fori & pristinum morem iudiciorum minimè vident. Hæc sic dicta contractiorem orationem efficiunt, quàm si exempta interpretatio extra circuitum addita esset, hoc modo: Etsi vereor iudices ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere, tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos: qui quocunque inciderint, veterem cōsuetudinem fori & pristinū morem iudiciorum minime vident. Etenim minime decet, cum T. Annius Milo ipse magis de Reip. salute quàm de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse, tamen. Idem fiet si hæc eadem membratim dicantur, sine circuitu, hoc modo: Vereor iudices ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere. Enimuero minimè decet T. Annium Milonē ipsum magis de Reipub. salute quàm de sua perturbari, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse. Veruntamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos, qui quocunque inciderint, veterem consuetudinem fori & pristinum morem iudiciorum minimè vident. Vtrunque latius dictum est, quàm priori modo, quia circuitus cogit orationem & in vnum contrahit, soluta dictio effundit se latius, etiamsi nihil assumpserit. Sed omnia plena exemplorum sunt, præsertim in amplo ornatóque dicendi genere, vt pro Milone, pro Sestio, pro Domo sua. Itaque pro Sestio est: Denique cum omnia semper ad dignitatem retulissem, nec sine ea quicquam expetendū esse homini in vita putassem, mortem, quam etiam virgines Athenis, regis opinor Erechthei filiæ, pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis tantis rebus gestis timerem? Vbi interpretatio & exemplum breuiter comprehenduntur. quæ si remoueas, erit contractior, sed iam simplex & sponte fusa oratio, hoc modo: Denique cum omnia semper ad dignitatem retulissem, mortem ego vir consularis tātis rebus gestis timerē? Sed adduntur priora ornādi causa, quæ si extra circuitū adderētur, dilatarent orationem: nunc cùm periodo inclusa sint, contrahunt eandem, & diuersum mutandi genus efficiunt. In cōiunctione fit vnum verbum ex duobus, cum nouantur adiunctione verba & componuntur, vt parricida pro patris interfectore, plebicola pro cultore plebis, circumretitus pro vndique capto & implicato.

HEGENDORPH. Ex verbo proprium, in plura verba, &c.) Ridet, cachinnat, risu diffluit, risu prosequitur, deridet, subsannat, deludit, naso suspendit. Ex contractione.) Vt studium sapientiæ ad vnum verbum reuocantis, nempe philosophiam. Assumpta remouentur.) Intelligit correctionem, quæ remouet verbū quod assumptum est, supponens aliud magis idoneum: vt theologus, immò cacologus, &c. Aut in circuitus diriguntur.) Periphrasin intellige: sic, Troiani belli scriptorem maxime Lolli, pro Homero dixit Horat. Vnum verbum ex duobus.) vt floccifacere, naucifacere. Inuertatur ordo.) Vt qua de re confabularis, intelligit τὸν ἀνάστροφον. Sursum versus, nam vt dico, qua de re, ita quoque dico, de qua re. Intercise atque permixtè, vt maximopere, operæpretium.

IOANNES A FOSSA. Reliquum est igitur,) Defusa oratione nihil præcepit seorsum. Nam quæ verborum præcepta fuerunt, ea communia fusæ cum versa. At cum eloquentis propria sit commutatio, separatim agit. Velim porrò ne ignores, Ciceronem aliis in operibus non meminisse huius traditionis, sed nec tam liberaliter elocutionis præcepta esse cōplexum. Existimo hanc doctrinam decerpsisse ex Aristotelis libris, vt ex poetice, vt ex Rhetoricis ad Theodectem tertio, κατεγραμμένη. In commutatione verborum.) In simplicibus & coniunctis verbis cōsideratur. Vt aut ex verbo dilatetur.) Aristoteles tertio. εἰς ὄγκον τε τῆς λέξεως συμβάλλεται τόδε, τῷ λόγῳ χρῆσθαι ἀντὶ ὀνόματος. Cicero transfert, Definitione loco verbi vtendum. Porrò rationem copiæ & vbertatis require apud Rodolphum lib. 3. & Erasmū de Copia. Contractionis præcepta ex contrario intelliguntur. Ex verbo dilatatur oratio, verbi gratia, Princeps ille parens rerum fabricatórque mundi, idem conditor, conditorúmque custos ac vindex optimus,

qui rectè hominum gaudet conscientia, facinorosorum autem lacera atque multiformi offenditur, (Deus:) Si quos diuini numinis contemptores, si quos imperij magnitudine, solis, cæli, signorumque motibus immotos videt: si quos libidine, superbia, scelere, audacia, temere huc atque illuc ruentes conspiciat (Impios:) cùm numine destituit suo, tum damnis, calamitatibus, morbis, cruciatibus, omni denique genere mortis iustissime afficit, (auersatur.) Ex oratione cõtrahitur oratio, vt decrescat iis remotis, quibus assumptis crescit: sed ea demum vera est contractio, quæ virtutem & euidentiam habet. Circuitus siue periodos licet pauciora complectatur verba, tamen quia dicentis spiritus non requiescit, nec audientis intentio, ideo natura est breuior oratione membris & incisis distincta. Huc facit quòd perfecta quæ sunt, appellamus rotunda. Videas talia initia apud Ciceronem, vbi vitur Quanquam, aut, Etsi vereor iudices ne turpe sit, &c. Aristoteles quoque tertio, vult circunscriptiones conclusas. Coniunctione fit vnum ex duobus.) Aristoteles de syntoma, compransor.

COMMENTARIVS. Est itaque.) De oratione fusa propè nihil præcepit, quòd ea minus oratoria videatur. cum autem oratio conuersa maximè ad oratorem pertineat, idcirco pluribus de ea agit: Ac (quod mirum est) aliis in libris nihil huius meminit. Neque, quod sciam, quicquam reperitur apud alios authores, nisi quòd apud Aristotelem subsunt quædam huius rei semina. Huc pertinere possunt præcepta copiæ & breuitatis, quibus dilatatur aut contrahitur oratio. Ex verbo dilatetur.) Id fit, cùm loco verbi aut definitionem ponimus, aut partitione complectimur quicquid est sub verbo, aut expolitione vtimur, aut συνωνυμοισμῷ, vt si pro Republica definitionem dicas Reipub. Aut in verbum, &c.) Præcepta breuitatis ex contrario facilè intelliguntur: vt cùm loco periphraseos vtimur solo verbo: aut quod multis assumptis verbis esset explicandum, breuiter perstringimus. Tale est illud Sallustianum, Mithridates corpore ingenti, proinde armatus. Itaque quædam figuræ ad hunc etiam locum pertinent, vt emphasis.

Ex contractione.) Non omnis contractio (vt opinor) pertinet ad genus conuersum, cùm præsertim quædam referatur ad genus fusius: sed ea demum ad conuersionem pertinet, quæ in breuitate energiam quãdam ostendit. vt dilatatio est, Põpeius ille qui Piratas superarat, & Mithridatem profligarat, restitit Cæsari patriam oppugnanti. Contractio est, Pompeius ille olim victor. Attamen nonnulli quamlibet contractionem videntur ad hoc genus referre. Aut assumpta verba.) Per assumpta verba intelligit quancunque verborum copiam, qua verbum dilatamus, præter definitionẽ & descriptionẽ. Huc igitur pertinet periphrasis, συνωνυμοισμὸς, expolitio, et similes figuræ. Sic pro sanguinario Martis conflictu, Martem dicam. Aut in circuitus.) Dixit verba in circuitus dirigenda, quia periodus (vt inquit Aristoteles) terminata est & finita: cùm oratio pendens (vt idem ait) prolixa sit & infinita. Circuitum igitur opposuit orationi pendenti.

In cõiunctis autem verbis triplex adhiberi potest commutatio non verborum, sed ordinis tantummodo: vt cum semel dictum sit directè sicut natura ipsa tulerit, inuertatur ordo, & idem quasi rursum versus retroquè dicatur, deinde idem intercisè, atque permisté. Eloquendi autem exercitatio maximè in hoc toto conuertendi genere versatur.

STREBAEVS. Orationis ordo triplex est: directus vnus, inuersus alter, alius permistus. Cicero Philip. 7. Num hostem Antonium iudicauistis? Nec tum hostis est à vobis iudicatus Antonius? Et paulò pòst, Tum non hostem iudicastis Antonium? Et iterum, Tum ille hostis nõ est iudicatus? Et rursus, Nõ est iudicatus Antonius hostis? Quoties vnã & eandem cõmutauit sententiam? Ouid. Anna soror, soror Anna. Directum, Omnia parent homini. Inuersum, Homini parent omnia. Permistum, Omnia homini parẽt. Hæc est illa commutatio non verborum, sed ordinis tantummodo, quam tradit autor, & ad eligendum id quod omnium est optimum, & ad variandam repetendorum collocationem. Ideo enim eloquendi exercitatio maximè in hoc to-

to conuertendi genere versatur, quia orationum copia, coagmentatio, numerus, figura verborum quædam, ex ordinis commutatione ducuntur.

LATOMVS. In coniunctis autem verbis triplex adhiberi potest commutatio.) Coniunctorum verborum commutatio in ordine & collocatione eorũdem est posita. Itaque directè dicitur, Pompeius piratas toto mari expulit. Sursum versus ac retrò, Toto mari piratas expulit Pompeius. Intercise, Piratas toto mari, toto inquam mari piratas non expulit dico, sed profligauit toto mari, exterminauit, deleuit Pompeius. Sic in Antonium ipse Philip. 2. primùm directè, deinde sursum versus, Sustulit illum diem fortuna populi Rom. tum etiam tuum de auspiciis iudicium interitus Cæsaris sustulit. Et pro Milone, Negat enim se, negat ingratis ciuibus fecisse quæ fecerit, timidis & omnia circunspicientibus pericula non negat. Et paulò post, Vos vos appello fortissimi viri, qui multum pro Repub. sanguinem effudistis, vos in ciuis inuicti appello periculo centuriones, vósque milites. Intercise autem, Vestrum iam hic factum deprehenditur P. C. non meum, ac pulcherrimum quidem factum, verùm vt dixi, non meum, sed vestrum. Item ad Brutum, Ego cum in gratiam redierim cum App. Claudio, & redierim per Cn. Pompeium, te ego ergo cum redierim, quam πλοκὴν à quibusdam appellari Fabius tradit. Hoc genus commutationis numerosam orationem efficit, non pedibus ac temporum interuallis, quæ syllabarũ natura constant, sed ordine & collocatione verborum, quem numerum concinnitatis ipse in Bruto appellat.

Eloquendi autem exercitatio.) Idem præcipit author ad Herennium de expolitione, quæ ad conuersum genus dicendi pertinet, sicut paulo antè demonstratum est.

IOAN. A FOSSA. In coniunctis.) Aut est traiectio dictionũ, vt sit legendum, Non verborum tantummodo, sed ordinis, quãdoquidem dixit, hoc totum genus situm est in cõmutatione verborum. Quid si dicerem suprà expungendum esse τὸ verborum? Aut commutatio aliud significabat, nempe reiectionem fortitione meliorum. Commutatio illa verborum, hæc verbis iisdẽ, ordinis. Rectus ordo, Filius occidit patrem: versus, Patrem occidit filius: Permistus, Patrem filius occidit. Efficitur oratio numerosior ordine & collocatione verborum, qui numerus concinnitatis à Cicerone in Bruto appellatur. Vide exempla πλοκῆς apud Fabium. Eloquendi autem exercitatio.) Grammatici Chrias per omnes casus variabant, & per numeros, vt habet Fabius 1. & Diomedes. Sic Rhetores dilatationem, contractionẽ, & ordinem concinnitatésque consectentur, vt numeros omnes oratorios expleant.

COMMENTARIVS. In coniunctis.) Primum genus ad coniunctam orationem pertinere non videtur, sed ad fusam. & idcirco adiecit, vt ostenderet quo pacto fusum illud genus, quod ad ordinem attinet, immutari possit. Deinde idem intercisè.) Dicimus intercisè, cùm veluti mediam periodum & verba aut prima aut vltima in medium inculcamus. Permixtè verò, cùm varius modus ordinem dictionum commiscemus. aut adeo hæc duo verba idem significant. Nulla est autem intercisio in duobus prioribus modis, quia dictiones non mutant locum, sed ordinem duntaxat. Hic autem mutatur & locus & ordo. Eloquendi autem.) Quemadmodum apud grammaticos chriæ olim variabantur à discipulis per omnes casus & numeros, vt docet Diomedes: sic apparet à præceptoribus exercitatos fuisse discipulos in dilatatione, contractione, & ordinis mutatione, vt ita discipuli copiam sibi contraherent, & numerosam orationem.

C. F. Actio igitur sequitur, vt opinor. C. P. Est ita, quæ quidem oratori & cum rerũ & cum verborum momentis cõmutanda maximè est. Facit enim & dilucidam orationem, & illustrem, & probabilem, & suauem, non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu: quæ plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient, eiusque vim ac varietatem subsequentur. *De pronunciatione.*

STREBAEVS. Actio pronunciatio est, quarta pars artis Rhetoricæ, vt hoc

in opere Cicero constituit. Et antè rationem commonstrauimus, eóque fecimus, quòd alibi quintam fecerat partem. Omnis actio cum rerum & cum verborum momentis, id est variis crebrisque immutationibus commutanda maximè est. Est enim actio sententiarum, & actio verborum. Nec in oratione plura sunt. & omnis actio est in varietate vocum, motu corporis, vultu. Vox aurem ferit, motus corporis & vultus tangit oculum: per quos duos sensus (inquit Fabius) omnis ad animum penetrat affectus. Vox est in quantitate grandis, exigua, media. In qualitate, candida, fusca, plena, exilis, lenis, aspera, contracta, fusa, dura, flexibilis, clara, obtusa. Voce vtimur acuta, graui, flexa, lenta, citata. Motus corporis est vel in toto vel in partibus, vt capite, humeris, brachiis, manibus, pectore, lateribus, pedibus. Vultus in fronte, ore, & adiunctis partibus, non quum de loco in locum mouentur, quod ad motum pertinet, sed cum indicio quodam & nota sanguinis aut spiritus interiorem animum produnt. Produnt autem naturaliter, non quum dissimulatione & arte imitantur veritatem. Hæc tria plurimum valebunt, si cum orationis genere, réque subiecta consentient, eiúsque vim ac varietatem subsequentur. Dilucidam faciunt orationem distinctione: illustrem, rei imitatione: probabilem, dignitate: suauem, tacita quadam modulatione. Quæ rebus & verbis quidem fiunt, tamen meliora sunt quum pronunciatione adiuuantur. Cur autem hisce de rebus Cicero tam breuiter? Quia limari quidem, sed donari ab arte non possunt: quod ipse liber de Oratore testatur. Hæc, inquit, cum ipso homine nascuntur, linguæ solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quædam & figura totius oris & corporis. In Oratore tamen paulò plura scribit expressiora, sed nos ad ea melius cõponet imitatio, quàm multa præceptorum traditio. Quintilianus voluit rem omnem latè fuseq; tractare, ac eloquentia vestire: quod vt minus est necessarium, ita certè ad cognoscendum non inutile.

LATOMVS. Si cum orationis genere consentient.) Hoc est, si læta hilariter, tristia mœstè, magna grauiter, atrocia vehementer agemus, nec eodem corporis motu omnia, nec vultu eodem. Est enim alia gaudentis, alia irati, alia miserantis actio.

LEODECARIVS. Actio sequitur.) Actio (inquit Cicero in Oratore ad Brutum) est quasi corporis quædam eloquentia, cùm constet è voce, atque motu. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maximè voce commouentur. Itaque ille quem iamdudum nostra indicat oratio, vtcunque se affectum videri, & animum audientis moueri volet, ita certum vocis admouebit sonum, de quo plura dicerem, si hoc præcipiendi tempus esset, aut si tu hoc quæreres: dicerem etiam de gestu, cum quo iunctus est vultus, quibus omnibus dici vix potest quantum interfuerit quemadmodũ vtatur orator. Nam & infantes, actionis dignitate eloquentiæ sæpe fructum tulerunt: & diserti deformitate agẽdi multi infantes putati sunt: vt iam nõ sine causa Demosthenes tribuerit & primas & secundas & tertias actioni. Si enim eloquentia nulla sine hac, hæc autem sine eloquentia tanta est, certè plurimum in dicendo potest. Actionis præcepta lepidis versibus complexus est Horatius in arte poetica.

IOAN. A FOS. Quæ quidem.) Non omnes loci eadem contentione aut remissione, aut inflexione vocis pronunciandi sunt, neque eodem corporis motu. Præcipit igitur vt apta sit actio. Facit enim & dilucidam.) Fabius lib. 4. Pronũciatio sit in id accommodata, vt index quæ dicuntur quàm facillime accipiat. Cæterum vox exercebatur apud phonascum, gestus apud comœdum, vt habet Fabius in primo, motus apud Palæstricum. Varietate vocum.) Vide Fabium lib. 11. Possis legere quæ commemorat Valerius cap. 10. lib. 8. Longe optima apud Ciceronem in Oratore. Est actio, inquit, quasi corporis quædam eloquentia, &c.

COMMENTARIVS. Actio igitur.) Paucissimis est complexus ea ferè omnia quæ de pronunciatione tradi possunt. Ait enim pronunciationem debere esse aptam, quod & Fabius præcipit. Ea est apta, quæ cum verbis & rebus consentit. Pronunciationem olim iuuenes discebant, ac vocem exercebãt apud phonascum, gestum apud comœdum, motum apud palæstricum. Author Fabius variis locis. Et dilucidam.) Fabius has ponit pronũciationis virtutes, vt sit emendata, dilucida, & apta, ornata. Et quanquam Fabius id potissimum ait de voce, tamen similitudine quadam ad vultum & motũ referri poterit. Ex his intelligere poterimus quãtum orationi pronunciatio conferat. At hæc diuus Augustinus ait consistere duobus, vt refert ex Demosthene, qui eam inter oratoris officia vel solam vel primam facit, motu corporis, & sono vocis. Hanc appellat rerũ omnium thesaurum: quæ nisi custos inuentis ordinatisque rebus adhibea-

tur, intelligimus omnia, etiam si præclarissima sint, peritura in oratore.

C.F. Nunquidnam de oratore ipso restat? C.P. Nihil sanè præter memoriam, quæ est germana literaturæ quodammodo, & in dissimili genere perfimilis. Nam vt illa constat ex notis literarum, & ex eo in quo imprimuntur illæ notæ sic conlectio memoriæ tanquam cera locis vtitur, & in his imagines vt literas collocat.

STREBAEVS. In partibus extremam memoriam facit, vt aliarum custodem. Ea est duplex, Naturalis, quæ non cadit in præceptum: Artificialis, quam vna ratione & similitudine perstringit. Vtendum, inquit, locis pro charta: imaginibus pro literis: quia memoria est germana, id est similis, literaturæ, quæ est conformatio & velut pictura literarum. Literatura & conscriptio constat ex notis & signis literarum, & ex eo in quo imprimuntur notæ, vt charta, membrana, pugillaribus. Sic confectio memoriæ, quæ est ars conficiendæ memoriæ, locis vtitur pro ceratis tabellis: imaginibus, pro literis. Loca memoriæ sunt ædes, castella, templa, viæ. Imagines autem quisque pro suo arbitrio fingit, vt leonum, vrsorum, armorum, rerúmque cæterarum. Verba collocantur, & sententiæ. Verba quidem, si admodum pauca sunt, quia permulta collocare nunquam expediet. Sententiæ melius designantur: vt si dicturus orator, quinque faciat partes, & in vestibulo domus statuat armatum Annibalem, quia deliberandum sit de bello Punico. In atrio argentarium nummis onustum, quòd de cogenda pecunia locus alter habeatur. In impluuio treis viros ingentes in equis, quia tertius est locus de præficiendis tribus imperatoribus. In aula prima duas manus in latum diuisas & armatas, quoniã sit quarta pars de supplendis legionibus decem. In aula secunda fingat duas lunas, quod vltimus est locus, secundo mense copias educi oportere. Hæc indicare satis est. Etenim memoria non tam arte quã vsu & exercitatione firmatur. Pauca de memoria præcepta, multus est vsus, exercitatióque longa.

LATOMVS. Germana literaturæ.) Id est, similis scripturæ. Imagines vt literas collocat.) Rerum & verborum imagines intelligit, quæ finguntur ab oratore, & certis locis disponuntur, vt in memoria repetenda ordinẽ eundẽ sequatur. de quo vide authorem ad Herennium, qui hoc artificium explicat.

LEODEGARIVS. Præter memoriam.) Author rhetorices ad Herennium libro tertio fusè disputat de memoria tum naturali, tum artificiosa. Et Quintilianus lib. II. cap. 2. quanquam illic non probet artificiosam quæ locis & imaginibus constet. Tanquam cera) Cicero in prima Tusc. an imprimi quasi ceram animum putamus, & memoriam esse signatarum rerum in mente vestigia?

IOAN. A FOSSA. Memoria est germana.) Non improbo hanc lectionem, tamen bene legebatur gemina, id est, persimilis. Sic Horatius in epist. Multũ dissimiles: at cætera pene gemelli. Literatura, γραμματικὴ. Sunt loci capacitates quædam, in quibus imagines, hoc est simulachra rerum reponuntur. Hic finem faciam lector candide, si prius alias tibi mendorum suspiciones indicauero. Quid enim meum inuidiose iudicium nominem, cùm nullius exemplaris fide nitar? Temeritatu tamen (bene spero) me absolues & lubrico conatui manum dabis. Quàm facile surrepunt mendæ? Quàm multis fraudi fuit librariorum incuria? Igitur post partitionem consultationum inquit C.F. Cognoui, sed quæ ratio est in his inueniendi & disponendi requiro. C.P. Quid, aliámne censes, & non eandem esse quæ est exposita, vt ex iisdem locis ad fidem & ad inueniendum ducantur omnia? Omnes legunt, ad inueniendum: ego putem legendum, ad monẽdum. Qui error potuit accidere similitudine literarum. Nam paulo antè est de motu loquutus, & multis locis Rodolphus quoque non alios argumentorum, alios affectuum locos verè iudicat. Quis hic sensus? Inueniendi ratio eadem quæ exposita est ad fidem, & ad inueniendum. Libe-

rum tamen opinaturis relinquo. *Accipe aliud. In præceptis deliberationis inquit, Eorum autem quæ propter se expetiũtur. Lego (Eorum enim) quòd ad genus reuocet, vt latissima sit diuisio. Sic enim* ἀνάπαλιν, *siue subdiuisionem esse dicas, mirabilis quædam difficultas existet, quòd secũdum membrum confundat, & priore commisceat, vt ait eloquentissimus vir Lodoicus Strebæus. Sed, vt dixi, si nefas non credas aliquid immutare, non de sententia authoris, sed librarij oscitantia, & erroris vestigiis impressis, non erit obscura sententia Ciceronis, nec erit vlla perturbatio, quæ apud Ciceronem nusquam est. Qua propter vide an meum consilium probes, qui ad nullum vnquam scriptorem accedo, quem multis non putem mendis statere. Itaque locos sæpius versũ, eorum parans cum aliis, quos possum nancisci. Non satis capio? Malo accusare scriptorẽ quàm me, si sententia non satis probabilis: aut typographum, si ordo verborum perturbatus. Do tamen operam quantam maximam possum, ne temeritate rẽcta mutentur, prauà placeant. Quod spero me fecisse & in enarrationibus in Ciceronis Timæum siue de Vniuersitate. Tuum, qui legis hæc, erit iudicium: ego certè studium iuuandi pro nostra virili, gratia placendi prætuli.*

COMMENTARIVS. Nihil sanè prater.) Fabius libro II. *damnare videtur memoriam illam artificialem, quæ locis & imaginibus cõstat, quòd illa possit prodesse dumtaxat ei qui rerum multarum nomina eodem ordine reddẽre velit, aitque oratori magnopere non esse exercitatione. At memoriam artificialem in sola ponit exercitatione. Quæ est germana.) In omnibus vetustis codicibus gemina legitur: quam vocem cùm plerique non intelligerent, in germanam mutauerunt. est igitur gemina, tanquam soror gemella, propter similitudinem scilicet quam habet cum scriptura. Nam vt illa.) Memoria artificialis secundum mnemonicos locis cõstat & imaginationibus. Locos appellant capacitates quasdam insignes, in quibus imagines reponunt: imagines vocant simulachra & notas rerum, de quibus est dicendum.*

De partibus orationis.

C. F. Quoniam igitur vis oratoris omnis exposita est, quid habes de orationis præceptis dicere? C. P. Quatuor esse eius partes: quarum prima & postrema ad motum animi valet. is enim initiis est & perorationibus concitandus. Secunda narratio, & tertia confirmatio fidem facit orationi. Sed amplificatio, quanquam habet proprium locum, sæpe etiam primum, postremum quidem ferè semper: tamen reliquo in cursu orationis adhibenda est, maximeque cùm aliquid aut confirmatum est, aut reprehensum. Itaque ad fidem quoque vel plurimum valet. Est enim amplificatio, vehemens quædam argumentatio, vt illa docendi caussa sit, hæc commouendi.

Locus amplificationis in oratione.

STREBAEVS. In treis partes distributa est omnis doctrina dicendi: primùm in ipsam vim oratoris, deinde in orationem, tum quæstionem. Porrò autem transit ad secundam, quæ præceptis orationis continetur. Orationis partes sunt quatuor, si refutatio confirmatione concluditur: duæ quidem ad docendum, totidem ad mouendum: quarum vis & ratio ab interpretatione superiori peti potest. Principium delibat affectus, peroratio conficit & absumit. Narratio docet quid sit in causa: Confirmatio quid certi incertíve sit. Probationis est, ea quæ dubia pendebant, certioribus ostendere: & quæ certa videbantur, incerta demonstrare, vel falsa. Partibus iungit amplificationem: quoniam quum de motu animi paulo ante dixisset, & ad eam rem amplificatio plurimum valeret, annectenda videbatur: simul vt interpretaretur quo sensu motum animi duabus tantum partibus dedisset, quum in reliquo cursu orationis adhibeatur. Non est igitur amplificatio vna de quatuor partibus orationis, sed è grauioribus locis

vehemens quædam argumentatio deducta, eique parti subiicienda vnde deducta est. Quintilianus quatuor amplificationum genera facit, Incrementum, comparationem, ratiocinationem, congeriem: quæ quidem apertè monstrant quid per amplificationem accipere debeamus. Cicero in hoc libro tam apertè quam Quintilianus amplificandi rationem monstrat. quamobrem debemus hic esse breuiores. Amplificatio habet proprium locum perorationem, quod ipse testatur his verbis, Augēdi, inquit, hic est proprius locus in perorando, sæpe etiam primum obtinet locum. Quousque tandem abutere patiētia nostra Catilina? Quandiu nos etiam furor iste tuus eludet? Quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum præsidium Palatij? nihilne vrbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil occursus bonorum omnium? nihil hic munitissimus habendi Senatus locus? nihil horum ora vultúsque mouerunt? & quæ sequuntur. Sunt amplificationes in exordiis multæ tranquilliores: quæ tantum acerbitatis habeant, quantum illa in Catilinam, paucæ. Postremum ferè semper amplificatio locū tenebit. Videre licet perorationes alias, & eam quæ est in Verrem actione vltima, & pro Milone. Longiora sunt exempla, quàm quæ suis verbis exponi debeant. Reliquo in cursu orationis amplificatio adhibenda est, maximéque quum aliquid aut confirmatum est, aut reprehensum. Etenim antè non conuenit, quia turpe facinus, id augere quod probandum est. Multa sunt exēpla in Verrem, quale istuc de Sopatro, à quo pecuniam Verres acceperat: quod vbi reprehendit Cicero, subdit, Scelus est accipere ab reo, quāto magis ab accusatore? quāto etiā sceleratius ab vtroq;? Fidem quū proposuisses venalē in puincia, valuit apud te plus is qui pecuniam maiorem dedit. Concedo. Forsitan aliquis aliquando eiusmodi quidpiam fecerit. Cum verò fidem ac religionem tuam alteri addictam pecunia accepta habueris, post eandem aduersariis tradideris maiore pecunia, vtrumque falles? & trades cui voles? & ei quē fefelleris, ne pecuniā quidē reddes? Quem mihi tu Bulbum? quē Stalenū? quod vnq̄ huiusmodi monstrum aut prodigium audiuimus aut vidimus? Amplificatio ad fidem plurimum valet, quia vehemens est argumentatio: &, vt ipse postea d[illegible], grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. Facit autem duas argumentationum species: Vnam, quæ docendi causa fit. Ea est probatio rei dubiæ faciens fidem. Alteram, quæ sit probatio cum animi motu. Ea fit aut argumentis, aut asseuerationibus argumentorum loco.

LATOMVS. Maximéque cum aliquid.) Debet enim amplificationem præcedere probatio, vt fidem motus sequatur. Nemo enim mouetur ea in re, de qua sit ita nécne, dubitat. Itaq; ad fidem.) Non directò ad fidem valet amplificatio, sed ex animorū permotione, vt cùm affectu impulsi facilius credimus. Itaque argumētationi adiungi, vel implicari solet, vt pro Milone, An verò iudices vos soli ignoratis, quas ille leges (si modò leges nominandæ sunt, ac non faces vrbis ac pestes Reipub.) fuerit impositurus nobis omnibus atque inusturus? quæ legum insectatio facit, vt facilius credatur causa insidiarum in Clodio. Sic in Verrem sæpe interponitur affectus criminum expositioni, vt permotis animis fides proclinior consequatur, vt, Quæ malum est ista tanta audacia atque amentia? Et, tantæne tuæ Verres libidines erunt? multisque aliis in locis.

LEODECARIVS. Sæpe etiam primum.) Si quando amplificamus principio antequam probemus, id fit vt ipsa exaggeratione criminis quod à nobis propellimus, ostendamus illud non esse à nobis perpetratum. Confirmatum.) Probatio enim est ante amplificationem, vt motus sequatur fidem.

COMMENTARIVS Ad motum animi.) Hæc tamen est obseruatio adhibenda, vt in principiis duntaxat delibetur affectus, in conclusione consummetur: hoc est, vt in exordio affectus sit mitior & tranquillior, in conclusione vehementior & rapidior. quinetiam magna ex parte tota exordia sunt moralia, ac si quando grauior est adhibendus affectus, in fine exordij ponendus est, vt saltem eius principium sit morale. Sed amplificatio.) Amplificatio fit dupliciter, aut rebus, aut verbis. Rebus, vt per locos topicos: verbis, vt per incremētum & auxesin dictionis, multásque alias figuras, quæ ferè solent esse in conclusione, si modò causa est affectus capax. Sunt enim quædam causæ duntaxat concertatiuæ, quæ affectum respuunt, vt author est Sulpitius Victor. Maximéque cùm aliquid, &c.) Fabius scribit esse contra artis præcepta, antequam probaueris amplificare. tum enim amplificatio tua prodest aduersario. Attamen cùm grauissimum facinus à nobis perpetratum inficiamur, ante confirmationem amplificare nonnun-

quam illud scelus, vt in nobis incredibile esse videatur propter magnitudinem. Itaque ad fidem.) Est tamen eius scopus, auditorem perturbare: sed tamen illa perturbatione efficitur, vt auditor nobis credere velit. Et alioqui in amplificatione sæpenumero continetur argumentum aliquod, ac omnis motus. Agricola etiam hoc docet.

C. F. Perge igitur ordine quatuor mihi istas partes explicare.

Initia vnde ducantur.

C. P. Faciam: à principiis primùm ordiar. Quæ quidem ducuntur aut ex personis, aut ex rebus ipsis. Sumuntur autem trium rerum gratia, vt amicè, vt intelligenter, vt attentè audiamur. Quorum primus locus est in personis nostris, disceptatorum, aduersariorum: è quibus initia beneuolentiæ conciliandæ coparantur, aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, & maxime liberalitatis, officij, iustitiæ, fidei, contrariisque rebus in aduersarios conferendis, & cum iis qui disceptant, aliqua coniunctionis aut caussa aut spe significanda: & si in nos aliquod odium offensióve collata sit, tolleda ea, minuendaue, aut diluendo, aut extenuando, aut compensando, aut deprecando.

Quid in personis spectandũ ad ducenda principia.

STREBAEVS. Quoniam de principiis omnes omnia fabulantur, & nihil aliud etiam triuiales scholæ personant, non stat mihi hac in parte diutius immorari: nec aliorum more Græca proferre monumenta, quo planum fiat ignotum per ignotius. Principij & initij verbum Ciceroni frequens, quia proœmium Græcum est, exordium translatitium. Principia ducuntur aut ex personis, aut ex rebus ipsis. Certè in hæc duo recidunt quæcũque subiiciuntur oratori, quamobrem istuc aliarum partium commune est. Sumuntur autem trium rerum gratia: vt amicè, vt intelligenter, vt attentè audiamur. Amicè, cum beneuolentia: intelligenter, cum docilitate. Hoc pacto tritiora fugit verba: quorum molesta repetitio vt tædium affert, sic est eloquẽtiæ inimica. Sunt & hæc tria cæterarum partium communia, sed eorum est præcipuus vsus in exordiis. Personarum tria facit genera. Vnum in nobis. Alterum disceptatorum, id est eorum quibus est cognoscendi potestas. Tertium aduersariorũ, in quibus aduersa partis oratores intelliguntur: sicut & in nostris nostri litigatores. Beneuolentiam conciliamus à meritis nostris: quia benefactorum recordatio gratiam iure suo postulat. Cicero, Siquando inimicorum impetum propulsare ac propellere cupistis, defendite nunc vniuersi vnum, qui, ne omnes occideretis, ardoréque flammæ conflagraretis, mei capitis periculo non dubitaui prouidere. A dignitate litigatoris ducitur initium. Maximè vellem iudices, vt P. Sylla & antea dignitatis suæ splendorem obtinere, & post calamitatem acceptam modestiæ fructum aliquem potuisset percipere. Idem pro Flacco, Quod enim esset præmium dignitatis, quod pop. Romanus quum huius maioribus semper detulisset, huic denegaret? Quum L. Flaccus veterem veteris gentis in liberanda patria laudem, propè quingentesimo anno Reip. retulisset. Parcius Cicero de sua dignitate, vt pro Murena, Idem Consul eum vestræ fidei commendat, qui antea diis immortalibus commendauit. Et in eodem principio, Ac si, vt nonnulli in ciuitatibus fieri solet, patronus huic causæ publicè constitueretur, is potissimè honore affecto defensor daretur, qui eodem honore præditus non minus afferret ad dicendum authoritatis, quàm facultatis. Ab aliquo genere virtutis sumuntur initia, maximè liberalitatis, officij, iustitiæ, fidei, quæ virtutes ideo gratiores sunt, quòd in aliorum commoditates & vsus conferuntur. Cicero pro Rabirio perduellionis reo, Me cùm amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata. At verò

vt id studiosissimè facerem, salus Reipub. Consulare officium, Consulatus denique ipse mihi vnà vobiscum cum salute Reipub. commendatus cogit. Hic est liberalitas operam perpetuò dantis, officium amici, iustitia viri pericula propulsantis, Consulisque fides in Rempublicam. Contraria vitia in aduersarios conferuntur, vt in Ebutium pro Cecinna. Cum his qui disceptant, vt iudicibus, aliqua coniunctionis aut spes aut caussa proponitur, id est ostenditur, eam rem de qua agitur, aut commodum aut incommodum disceptatoribus allaturam, illisque communem esse, & quodammodo coniunctam. Cicero pro C. Rabirio, Sic existimare debetis Quirites, post hominum memoriam, rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis prouidendam, neque à Trib. pleb. susceptam, neque à Consule defensam, neque ad P. R. esse delatam. Idem in Verrem proponit iudicibus spem bonæ existimationis, si Verrem damnauerint. Odium & offensio, vt si litigator aut orator odium contraxit, aut aliquem offendit, aut tollitur, aut saltem minuitur. Tollitur, aperta certáque refutatione: minuitur, si diluamus probabili argumento, si extenuemus figuris, qualis est ironia pro Ligario: si cõpensemus aliquo genere virtutis: si deprecemur, id est amoliamur honesta postulatione. Quæ penè omnia Cicero facit in exordio pro Cluentio: sed longius est, quàm quod perscribi debeat.

LATOMVS. Ex rebus ipsis.) Id est, caussis. Disceptatorum, id est, deliberantium, vel iudicum. Aut meritis nostris.) Horum exempla obseruabis in orationibus, in quibus tamen raro singula, sed duo sæpe plurá've ad beneuolentiam coniunguntur, vt pro Sestio, meritum Sestij erga Rempub. & suum officium, cum aduersariorum insectatione. Pro Deiotaro, dignitas regia, merita in Rempub. crudelitas & indignitas accusatorum, persona Cæsaris, locus iudicij.

Virtutis.) Vt si Coriolanus, vel M. Manlius defendatur. Contrariisque rebus.) Vt licentia in accusatores Roscij, calliditate in Ebutium pro Cecinna. Coniunctionis causa.) Vt ipse in Verrem, se in accusando Verre ad leuãdum iudiciorum infamiã accessisse. Coniunctionem enim commune commodum & periculum intelligit. Et si in nos aliquod odium) Sub hoc genere insinuatio comprehẽditur, quæ traditur ab authore ad Herẽnium. Ipse pro Murena & P. Sylla offensionem in se collatam tollit. Contra Rullum præmunit, ne oratio sua parũ gratis auribus accipiatur. quæ ad hunc locum, & ad insinuandi rationem pertinent. Aut diluendo.) Diluitur, si falsum est. Extenuatur, vt leuius videatur. Compensamus, tantundem referendo in aduersarium, quo offensio in illum cõuertatur. Deprecamur, petendo vt ignoscatur, quod fit frequentius in peroratione, vt pro Milone, pro Sylla, pro Planco.

LEODEGARIVS. Ex personis.) Quinque sunt personæ à quibus beneuolentia comparatur, à persona nostra, à persona nostri clientis, à persona aduersarij, à persona defensoris eius, à persona iudicis. Vt amicè.) Causæ qualitas nos edocet quando vtendum beneuolentia, & quando attentione. Nam odiosa causa eget beneuolentia: causa parua eget attentione. quæ prudentia vsus est Virgilius principio libri quarti Georgicorum vbi de apibus agit, tum enim attẽtum facit Mecœnatem, ne contemnat rem tam paruam.

Protinus aërij mellis cælestia dona
Exequar, hanc etiam Mecœnas aspice partem,
Admiranda tibi leuium spectacula rerum,
Magnanimósque duces, totiúsque ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.

Ceterum (vt tradit Cicero 2. de Oratore ad Q. Fratrem) beneuolentia, attentio, docilitas, pertinent etiam ad narrationem, confir. conf. & concl. sed quoniam magis elucent in exordiis, dicuntur virtutes exordiorum. Meritis nostris.) Vide Quintilianum cap. primo libri quarti, vbi de exordio agit. Vide insuper librum primum rhetorices ad Herennium, vbi familiarissime præcepta exordiorum traduntur: & finẽ Topicorum Ciceronis. Compensando.) Hoc fit per antisagogen, qua etiã aliis in locis cõmodè vtimur, vt cum argumentum nõ soluimus, sed alio cõpensamus firmiore. sic videmus actum à Menalca, cui cum Damœtas obiecisset illud ænigma,

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cæli spatium non amplius vlnas.
Compensauit quæstionem quæstione obscuriore,
Dic quibus in terris inscripti nomina regum

Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.

COMMENTARIVS. *Quæ quidem ducuntur.) Demosthenis interpres duo facit genera exordiorum: Ethicum, id est morale: & pragmaticum. Latini tamen solent de Ethico duntaxat præcepta dare. Sumuntur autem.) Hæc officia tribuuntur exordio, quia in eo maximè præstantur, Alioqui in aliis quoque partibus reperiuntur, vt est author Crassus apud Ciceronem. Iam verò quibus sit vtendum in exordio finibus, dispiciẽdum est ex ratione causarum. Aliæ enim petunt beneuolentiam, aliæ attentionem. In personis nostris &c.) Beneuolentiam potissimum colligimus in causa dubia. Ea ducitur à rebus & personis. Cicero tamen hic duntaxat à personis colligit. Personas triplices facit, ita tamen vt quinque partes fieri possint. Est igitur persona patroni, iudicis, & litigatoris. Aut meritis nostris.) Fabius ait, cùm merita nostra commemoramus, indéque beneuolentiam ducimus, id verecundè esse faciendũ, ac multo magis cùm nostra commemoramus, quàm aliena & litigatoris, vt pro Flacco, seruatã à se esse Rempub. adiutore Flacco dicit. Aut aliquo genere virtutis.) Aristoteles tradit mores in primis fidem facere. Si igitur vel nos vel litigator virtute præditi erimus, maxime beneuolentia conciliabitur. Et maximè liberalitatis &c.) Hæ enim virtutes maximè sunt fauorabiles, quia sunt positæ in tuenda societate & communione, vt ait Cicero in Officiis. magis igitur sunt aliis virtutibus gratiosæ. Contrariisque rebus.) Solent hoc redigere in tria capita rhetores, si aduersarios adducamus in odium, inuidiam, & contemptum. Aliqua coniunctionis &c.) Sic Cicero dixit se accessisse ad accusandum Verrem, vt communi ordinis Senatorij infamiæ succurrat: Deinde spem addit posse infamiam elui, si fortiter hac de causa iudicauerint. Solemus etiam nonnunquam laudare iudices à virtutibus, aut etiam à generis claritate. Si in nos aliquod odium &c.) Ad hunc locum referri poterunt insinuationis præcepta, quæ tractantur à Fabio libro quarto. Nam in insinuatione non est directa beneuolentiæ coniunctio, sed nunc auersando, nunc diluendo, nunc extenuando, nunc regerendo. Vtimur autem in turpi & admirabili causa.*

Compensando.) Compensationẽ accipit aut pro relatione, vt cùm aliquod crimen regerimus in aduersarium: quod faciendum monet Fabius cum agit de insinuatione: Aut certè accipit pro subiectione rei alicuius inhonestæ, quod in insinuatione quoque fit: quia si persona laboramus, rem accipimus: sin re, accipimus personam.

Docilitas vnde comparetur.

Intelligenter autem vt audiamur & attentè, à rebus ipsis ordiendum est. Sed facillimè auditor discit, & quid agatur intelligit, si complectare à principio genus naturámque causæ, si definias, si diuidas, si neque prudentiam eius impedias confusione partium, nec memoriam multitudine: quæque mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt rectè referri.

STREBAEVS. *Intelligenter audimur, quum facillimè auditor discit, & quid agatur, intelligit. quod expeditius fiet, si à rebus ipsis, quàm si longius à personis ordiamur. Complectitur à principio genus naturámque causæ Cicero in Verrem, Multa mihi necessariò Iudices prætermittenda sunt, vt possim aliquo modo aliquando de iis rebus quæ meæ fidei commissæ sunt, dicere. Recepi enim causam Siciliæ, ea me ad hoc negocium prouincia attraxit. Tamen hoc onere suscepto, &c. Hic exposuit summam totius accusationis. Proponit aliter in Antonium oratione 4. Fundamenta sunt iacta reliquarum actionum. nam est hostis à Senatu nondum verbo appellatus, sed re iam iudicatus Antonius. Poetæ ferè semper initio proponunt genus & caput argumenti, non ita frequenter oratores. A definitione sæpenumero sumunt initium scriptores artium, rémque totam breui circunscriptione verborum enunciãt: quæ ratio disserendi non ita decenter conueniat oratoribus. Latius paulò dilatant finitionem: quod vt faciamus, præcipit Cicero secundo lib. de Oratore, & ipse actione sexta in Verrem, insigne furtum partibus describit: Ve-*

nio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium: vt amici eius, morbum & insaniam: vt Siculi, latrocinium. Ego quo nomine appellem, nescio. Rem vobis proponam: vos eam suo nominis pondere penditote. Genus ipsum prius cognoscite Iudices, deinde fortasse non magnopere quaeretis quo nomine appellãdum putetis. Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam vetere prouincia, tot oppidis, tot familiis tam copiosis, vllum argenteum vas, vllum Corinthium aut Deliacum fuisse, nego vllam gemmam aut margaritam fuisse, aut quicquam ex auro aut ebore factum, signum vllum aeneum, marmoreum, eburneum: Nego vllam picturam, neque in tabulis, neque textilem fuisse, quin quaesierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit. Hoc initium est quod complectitur genus naturámque causae, quod describit finitque latius explicanda, quo diuidit species quaestionis. Diuidit Antoniana prima, Antequam de Repub. P. C. dicam ea quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breuiter consilium & profectionis & reuersionis meae. In partitione vitanda partium confusio, quia prudentiam, hoc est, intelligendi vim atque facultatem implicat. Vitanda multitudo, quia memoriam confundit. Quaerendum genus illud obuium & dilucidum, quo facilius omnes dicta percipiant.

LATOMVS. Si complectare à principio.) Quod fit significando eo in quo controuersia est, vt pro Milone in fine exordij, Quanquam in hac causa iudices T. Annij Tribunatu. Si definias.) Vt Act. 6. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium, vt amici eius, morbum & insaniam, vt Siculi, latrocinium. ego quo nomine appellem nescio, rem vobis proponam: & quae sequuntur. In quibus est generis definitio per subiectarum partium enumerationem. Si diuidas.) Vt statim pro Cluentio, Animaduerti iudices. & in Verrem Act. 3. ante criminum expositionem. Vocant etiam diuisionem, cum ab eo, de quo conuenit, controuersia seiungitur, vt pro Milone, non quari de facto, sed vter vtri insidias fecerit.

LEODEGARIVS. Si complectare.) Valde ad docilitatem pertinet aperire statim id de quo controuersia est, & in quo versatur causae cardo.

COMMENTARIVS. Intelligenter.) Docilitate est opus in causa obscura, attentione in causa humili. & ita tribuuntur officia, quia illic maximè praestantur, cùm locum in aliis etiam causis habeant. Si complectare.) Hac species docilitatis fluxit ab Homero, si credimus Plutarcho. Initio enim proponit quam materiam sit tractaturus. Ab hoc deinceps mutuati sunt poëtae Latini & oratores. Si diuidas.) Fabius notat facilius esse defensori in exordio diuisione vti, quàm accusatori: quia accusator simpliciter proponere solet. Exemplum est apud Ciceronem in Cluentio. Hermogenes, qui quatuor exordiorum genera facit, quoddam appellat ex subdiuisione, quod ad hunc locum pertinere poterit. Impedias confusione.) Hoc praeceptum pertinere videtur ad diuisionem: quae si optimè digestas habeat partes, facile poterit intelligi: si paucas, facile memoriae mandari. Sic pro Cluentio posuit duas partes duntaxat Cicero.

Vt attentè autem audiamur, trium rerum aliqua consequemur. Nam aut magna quædam proponemus, aut necessaria, aut coniuncta cum ipsis apud quos res agetur.

STREBAEVS. Attentionem excitant aut magna, aut necessaria, aut coniuncta cum ipsis apud quos res agetur. Magna pariunt admirationem: necessaria vim incutiunt animis: Coniuncta, spe boni, fuga mali, mortales solicitant. Magna proponuntur initio pro Rabirio perduellionis reo, quod paulò antè citabamus, & AEgloga quarta Virgilij, Sicelides Musae, paulo maiora canamus. & AEneid. 7. Maior rerum mihi nascitur ordo, Maius opus moueo. Necessaria proponit Cicero Antoniana tertia, Serius omnino P. C. quàm tempus Reipub. postulauit, aliquando tamen conuocati sumus: quod flagitabam equidem cotidie, quippe cùm bellum nefarium contra aras & focos, contra vitam fortunásque nostras, ab homine profligato ac perdito non comparari, sed geri iam viderem. Hic tempus Reipublicae dicit necessitatem more suo. Coniuncta cum ipsis apud quos res agebatur, posuit in Verrem, Quod erat optandum maximè Iudices, & quod vnum ad inuidiam vestri ordinis, infamiámque iudiciorum sedandam maxi-

mè pertinebat, id non humano consilio, sed propè diuinitus datum atque oblatum vobis summo Reipublicæ tempore videtur.

LATOMVS. Aut magna.) Vt pro Rabirio. Aut necessaria.) Vt Philip. 7. Pæuis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur. Coniuncta.) Ad commune commodum, vel periculum pertinentia, vt pro Rabirio.

LEODEGARIVS. Magna.) Noua etiam, & inaudita, & inusitata, solent non minus quàm grauia & sublimia attentionem parare. Necessaria.) Necessariis attendimus, vt si fieri liceat prospiciamus illis: Ad ea autem quæ sunt coniuncta cum rebus nostris, (hoc est, quæ sunt nobis aut patriæ vtilia) aduertimus, vt illis potiamur.

Sit autem hoc etiam in præceptis, vt siquando tempus ipsum, aut res, aut locus, aut interuentus alicuius, aut interpellatio, aut ab aduersario dictum aliquod, & maximè in perorando, dederit occasionem nobis aliquam vt dicamus aliquid ad tempus aptè, ne derelinquamus: & quæ suo loco de amplificatione dicemus, multa ex his poterunt ad principiorum præcepta transferri.

A rebus exordiorum genera.

STREBAEVS. Principia sumuntur extrinsecus à tempore, vt pro Cælio. A re aliqua, vt à præsidiis armatis in foro, pro Milone. A loco, vnde pro Deiotaro. Ab interuentu alicuius, vnde in Verrem, qui præter opinionem aderat iudicio. Est enim hoc quodammodo interuenire, quanquam impropriè dictum. Ab interpellatione, Antoniana quarta, quum proposuisset hostem iudicatum Antonium, & populus acclamando interpellasset, adiecit, Nunc verò multò sum erectior, quòd vos quoque hostem illum esse, tanto consensu, tãtoque clamore approbauistis. Ab aduersarij dicto, maximè in perorando, quia res est recentior: vt Philippica nona, Nihil præter sententiam dicerem, nisi P. Seruilio respondendum putarem, qui hunc honorem statuæ nemini tribuẽdũ censuit, nisi qui ferro esset in legatione interfectus. Quæ suo loco de amplificatione dicentur, multa ex iis poterunt ad principiorum præcepta transferri. Nam & amplificatio sæpe etiam primum locum habet, quod antè monstratum est: & principium atque peroratio communiter ad effectum comparantur, & sunt verba quædam, figuræq; communes vtriusque partis: & principia finibus, fines principiis optimè respondent. Quibus de causis initia & perorationes habere quædam præcepta communia, nihil est cur miremur. Legito infrà de amplificatione præcepta: & quæ transferri possunt ad initia, traducito.

LATOMVS. Sit autem hoc etiam in præceptis.) Hoc genus extra causam est, ab occasione aliqua petitum, vt pro Murena à comprecatione solenni, quæ in comitiis fieri solebat: pro Milone, ab armato præsidio: pro Cælio, à tempore. Quæ tamen raro sola, sed cum officiis, laudibus, insectationibus personarũ sumuntur. Et quæ suo loco de amplificatione dicemus.) Nempe quo genere verborum in amplificando vtendum sit, de quo in peroratione dicetur.

LEODEGARIVS. Ab aduersario.) Multum gratiæ est exordio, quod ab actione partis aduersæ materiam trahit, hoc ipso quòd non compositum domi, sed ibi, atque è re natum, & facilitate famam ingenij auget, & facie simplicis, sumptiq; ex proximo sermonis, fidem quoque acquirit, adeò vt si reliqua scripta atque elaborata sint, tamen plerumque videatur tota extemporalis oratio, cuius initium nihil habuisse præparatum manifestum est.

COMMENTARIVS. Sit autẽ.) Dixit exordia duci à rebus & personis: Nũc adiicit membrum tertium, Exordia etiam duci ab his quæ rebus & personis sunt coniuncta. Adiuncta sunt personis, vt familiaritates, consanguinitates: Rebus, vt locus & tempus. Sic hunc locum explicat Fabius. Tempus ipsum.) Forte huc referri potest exordium illud, quod ab Hermogene appellatur à temporis occasione. Sic Cicero pro Cælio exorsus est à tempore, cùm eius causa ageretur festo die. ἀπὸ τοῦ καιροῦ ab Hermogene, id est, ab occasione temporis. Aut rei.)

Vt Cicero pro Milone, quando forum erat septum hominibus armatis, inde exorsus est. Aut locus.) Vt pro Deiotaro, quia antè solebat agere causas in foro, pro eo egit intra priuatos parietes. Aut ab aduersario.) Fabius existimat hoc exordij genus esse longè præstantissimum, propterea quòd est extemporale, & cum re ipsa initum, vt si reliqua oratio fuerit elaborata, attamen extemporalis esse videatur propter exordium. Multa ex his.) Quia exordium ad motum confertur, ac amplificatio sæpe primum locum obtinet orationis, amplificationes ad exordium sunt conferendæ.

C. F. Quid? in narratione quæ tandem conseruanda sunt?

C. P. Quoniam narratio est rerum explicatio, & quædam quasi sedes ac fundamentum constituendæ fidei, ea sunt in ea seruanda maximè, quæ etiam in reliquis ferè dicendi partibus: quæ partim sunt necessaria, partim sunt assumpta ad ornandũ. Nam vt dilucidè probabilitérque narremus, necessarium est: sed assumimus etiam suauitatem. Ergo ad dilucidè narrandum, eadem illa superiora explicandi, & illustrandi præcepta repetemus, in quibus est breuitas: eáque sæpissimè in narratione laudatur: de qua supra dictum est.

De narratione.

Tria in narratione seruanda.

Dilucida quâ fiat narratio.

STREBAEVS. In partibus orationis narratio ferè secunda est. Ea finitur ab authore, rerum explicatio. Vsus illius ab eodem traditur, vt sit quædam quasi sedes ac fundamentum constituendæ fidei: quia quod argumentorum continet breuis expositio; fusius & apertius extendit & explicat narratio: vnde & propositio breuis pro narratione collocari potest. Quòd si propositio est sedes ac fundamentum argumentationis, erit & narratio, ex cuius partibus ferè nascuntur argumenta. Tertio loco narratio diuiditur in ea quæ sunt necessaria, & ea quæ sunt assumpta ad ornandum. Dilucidè probabilitérque narrare necessarium est, vt res intelligatur, fidéque mereatur: sed assumimus suauitatem. Ex quo Quintilianus deduxit hoc præceptum. Ego narrationem, vt si vllam partem orationis, omni qua potest gratia & venere exornandam puto. Cur autem suauitas adhibeatur, idem Fabius ostendit. Nec in vlla parte, inquit, intentior est iudex, eóque nihil rectè dictum perit: præterea, nescio quomodo etiam facilius credit, quæ audienti iucunda sunt: & voluptate ad fidem ducitur. Hæc ille. In quo refellit eorum fallacem opinionem, qui arbitrabantur esse narrationem simplicem, nudam, figuris, ornamentis, probationibus destitutam. Prima narrationis est virtus, explicandi, & illustrandi: ad quod facit illud antè dictum genus orationis dilucidum, & illustre, quod est plusquam dilucidum. Altera vis est breuiter exponendi, de qua breuitate suprà disserebat. Igitur cadunt in narrationem genus dilucidum & illustre, & breue, & duo quæ sequuntur, probabile & suaue. His quinque virtutibus optimum narrandi genus perficitur. Breuitas si non semper, tamen sæpissimè in narratione laudatur, quia non diu suspendit animos, & memoria facilè tenetur.

LEODECARIVS. Quid? in narratione.) Quando præparatus est exordio iudex, tum ei res de qua pronunciaturus est, indicari debet: id autem fit narratione, quæ est rerum gestarum, aut perinde vt gestarum expositio. Narrationum (vt quidam volunt) tres sunt species, ciuilis, digressoria, remota: de quibus vide librum primum Rhetorices ad Herennium: Et Ciceronem libro primo de Inuentione. Quintilianus lib. quarto, cap. secundo, facit duas formas narrationum quæ in iudiciis versantur, alteram ipsius causæ, alteram rerum ad causam pertinentiũ. Vt dilucidè) Si vincere volumus, oportet vt auditor credat, intelligat, recordetur: intelligit perspicuitate, credit probabilitate, recordatur breuitate. Itaque oportet narrationem esse perspicuam, probabilem, breuem: Hæ autem tres virtutes pertinent etiam ad alias partes oratio-

nis, sed quia magis elucent in narratione, putantur propriæ esse narrationis. Erit verò dilucida, seu perspicua narratio, si fuerit primum exposita verbis propriis & significantibus, & non sordidis quidem, non tamen exquisitis, & ab vsu remotis, tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis: ipsa etiam pronunciatione in hoc accommodata, vt iudex, quæ dicuntur, quàm facillimè accipiat.

COMMENTARIVS. In narratione.) Hermogenes præponit narrationi προκατασκευὴν, quæ est veluti præparatio quædam narrationis. Sic ante confirmationem ponit προκατασκευὴν. Quæ autem hoc loco à Cicerone præcipiuntur, omnia pertinent ad narrationem ciuilem, quæ est causæ, aut rerum ad causam pertinentium. Quæ partim sunt necessaria.) Ex virtutibus orationis, de quibus in elocutione diximus, probabilitas & perspicuitas narrationi sunt necessariæ. At suauitas, & nonnunquam illustratio, non sunt necessariæ, sed tamen ad narrationis ornamenta sumuntur. Est autem notandum, quòd cùm cæteri rhetores tria narrationi tribuant duntaxat, Cicero omnes orationis virtutes illi assignat. Partim sunt assumpta, &c.) Rhetores reliqui duntaxat partes necessarias annumerant. Sunt enim maximè propriæ narrationi. Cicero non necessaria, sed assumpta ad ornandum. Sed assumimus.) Sic Cicero in Topicis plures narrationis efficit partes, vt non solùm sit plana, breuis, verisimilis, sed etiam euidens, & narrata cum dignitate. vbi tamen suauitatis non meminit: quãquam morata oratio ad suauitatem pertinet. Et illustrandi præcepta.) Fabius existimat illustrationem non esse narrationis propriam, sed tamen nonnunquam adhiberi. Addit Theodectes magnificentiam, quam à narratione reiicit Fabius. Aristoteles breuitatem damnat in narratione: ait eam debere potius esse moderatam, sed oppugnat duntaxat verò.

Narratio probabilis.

Probabilis autem erit, si personis, si temporibus, si locis, ea quæ narrabuntur, consentient: si cuiusque facti & euenti causa ponetur: si testata dici videbuntur: si cum hominum opinione, authoritate, si cum lege, cum more, cum religione coniuncta: si probitas narrantis significabitur, si antiquitas, si memoria, si orationis veritas, & vitæ fides. Suauis autem narratio est, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, si interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. Sed iam ad reliqua pergamus.

Narratio suauis.

STREBAEVS. Quæ tradit hic Cicero de narratione probabili & suaui, ea multis oscitanter omnia legentibus, obuia, facilia, dilucida videntur. Res aliter habet. Quotus enim quisq; intelligit? aut illustrat exemplo? Omnes id dictitant, narrationem debere esse breuem, dilucidam, verisimilem, & probabilem: quum vetum est ad narrationis expositionem, mirũ est quàm cæcutiamus, nõ videntes id quod in arte loquebamur: & quod fœdius est, scriptores commentariorum hæc subinde præcepta repetunt, non sine lectorum summa molestia, nec tamẽ vsquam mõstrant locum, vbi talia vsu tractata reperiantur. Itaq; facturus operæpretium videor, si paulò diligentius id quod queritur, exemplo patefaciam. Sumamus igitur narrationem Ciceronis actione tertia in Verrem de Lampsaceno Philodamo, cuius honestam ac pudicã filiam Verres rapere, transferre, violare cõtendebat, vnde exortus est tumultus, ministri Verris alij cæsi, alij vulnerati, ipse penè domi combustus est: Philodamus tandẽ cum filio damnatus, atq; securi percussus. Raptus ille idoneis personis attribuitur, vt Rubrio, homini facto ad Verris libidines, qui miro artificio, quocunq; venerat, hæc inuestigare omnia solebat. Datur negotium comitibus nequissimis, turpissimisque hominibus: Vt, inquit, mos erat Verris, & eum suæ libidines facere admonuerant.

Age, quod tempus erat opportunum magis ad rapiendam mulierem, quàm nocturnum? quàm post cœnã lautiorem? quàm cùm frater abesset, & propinqui? q̃ cùm frequentes conuenissent comites illi Verris, qui more Græco bibissent? qui poposcissent maioribus poculis? qui celebrassent omnium sermone lætitiáque conuiuium? Quid autem maturius, quàm quòd Lampsaceni postridie mane in concionem veniunt? quærunt quid optimum factu sit? in Verrem prodeunt? ignem subiiciunt ædibus? sic enim facta consilio videtur omnia. Ne dicas ea sic exposita, quia hoc modo gesta sunt, sed ita ab oratore quæsita & digesta, vt probabilis esset expositio. Porrò considerauit orator sapientissimus, qui locus rei conueniret, migrarétne Verres ad Philodamum? quod erat facturus, nisi retinuisset hospes. Deinde, eóne mitteret Rubrium delicias suas, in omnibus eiusmodi rebus adiutorem suum & conscium? Præterea quo seruos loco constitueret Rubrius? quos ad fores stare iubet, vt ingredientem auferant? Postea, vt Verres Philodamum vocarit in Asiam ad Neronem, vt iniquitate loci facilius damnaretur? Vt in foro Laodiceæ spectaculo acerbo sit necatus? Pergamus. Quàm diligenter cuiusq; facti & euenti causam posuit? Lampsaceni, inquit, maximè sedati & quieti: non irruũt igitur nisi lacessiti, nisi consilio capto, nisi re decreta. Mittitur Rubrius, quia factus ad Verris libidines: dãtur idonei comites, quia nequissimi. Hæc mulier præter cæteras appetitur, quia eximia pulchritudine, & quæ virum non habebat. Rubrius reliquit hospitem, quia parum lautè diuersari mentiebatur. Philodamus ægrè Rubrium admittit, qui Prætores & Consules, nõ Legatorum assecias recipere soleret: vt maior sit eius hominis authoritas, & eius offensio multò grauior. Quid moror? nihil enim dictum sine sua causa, vt fit in neruoso quodam genere dicendi. Veniamus ad id quod quartum est. Testata dici videntur, & aperta atq; vulgata. Quia, vt inquit, ciues Romani qui Lampsaci negotiabãtur, affuerunt. Quia Verres nullam causam excogitare potuit quamobrẽ cõmiserit, aut quid euenerit, vt in tantũ periculum veniret: quia Cicero ea se Lampsaci cognosse dixit, & C. Varro ex Philodamo audiisse. Quod quintũ est, Quis nõ opinetur grãde flagitiũ à Verre cõmissum, propter quod Lampsaceni socij pop. Rom. Legatũ saxis, ferro, igni aggrediũtur? ægrè diuellũtur? Quanta authoritas & in Philodamo, & in toto oppido, concione vocata? dictis sententiis? omnibus vno animo consentiẽtibus? Contrà, quis non existimet id fecisse Verrem pro ea authoritate, qua Legatus abutebatur? Quis non iudicet iniuria damnatum Philodamum authoritate Dolabellæ, corruptíque iudicij? Lex hospitalis à Philodamo seruatur. Rubrius lautè de more tractatur, probabile est. Homo nequam legem violat hospitij, morem honestum repudiat: & hoc probabile. Sanctimoniam religionémque hospitalem spernit adulter impudens, credibile est. Eadem religiosè conseruat homo, genere, honore, copiis, existimatione facilè princeps Lampsacenorum. hoc etiam credibile. Quid tandem? Probitas narrantis significatur his verbis, Nemo iam Dolabella, neque tui, neque tuorum liberũm, quos tu miseros in egestate atque in solitudine reliquisti, misereri potest. Quanto dicit affectu? quanta probitate? quia Dolabella Philodamũ damnauerat. Quanta memoria, quãta fide totam conficit narrationem? qui locos, qui tempora, qui personas, qui facta, qui dicta, qui omnia & tenuit, & digessit? Quàm commodè significatur & consuetudinum & antiquitatum obseruatio? Græco, inquit, more bibebatur, hospes hortatur, posciũt maioribus populis. Hæc & alia permulta probabilem faciunt narrationem: quæ notasse breuiter idcirco volui, vt interpretis officio ne deessem. Quid quòd in eadem expositione sunt omnia quæ de suauitate tradit? Admirabere incredibilem sceleratorum audaciam, sed magis fratris eius mulieris aduentum, pugnã, cædes, vulnera: & iterum concursus in concionem, fidem Lampsacenorum in Philodamum, Philodami constantem animum ad vlciscendam iniuriam. Vbi principium audieris, illectus rei nouitate in longum vocabere, non sine expectatione iucunda, quid Rubrius sit facturus, quid frater mulieris, quid Lampsaceni, quid tandem Verres immanis & ferox. Quúmque ex leni principio rixas, pericula, verbera, cædes ortas cognoueris, tenebunt animum exitus inopinati: tùmque senties interpositos motus animorum, quando mollitus animo, haud temperabis à lachrymis. Ibidem colloquia personarum. Quæso, inquit, Philodame, cur non ad nos filiam tuam intrò vocari iubes? Hic tum alius ex alia parte, Enimuero ferendum hoc non est, vocetur mulier. Hic dolores patris & filij, metus totius domus, tum Philodami, tum Verris lætitiæ in conuiuio, cupiditates stupri, iracundiæ in vlciscendo. Hæc adde dilucidum genus ex verbis propris, vsitatis & dispositis. adde genus illustre, quo res ob oculos ponuntur. adde breuitatem eam quæ nihil frustra petit. In-

vna hæc ista narratione cuncta reperies, quæ proponuntur ab eodem authore seruanda. Vt autem res sit apertior, vtere contrariis, dicque narrationem incredibilem, quæ neque personis, neque temporibus, neque locis consentit: quæ nullius facti & euenti causam ponit: in qua intestata dici videntur: quæ nititur aduersum hominum opinionem, authoritatem, morem, legem, religionem: quæ narrantis improbitatem significat, aut eius nouitatem, aut obliuionem, aut mendacium, aut vitæ inconstantiam. Suauitas autem percipitur ex varia humanæ mutationis contemplatione: tædium à similitudine.

LATOMVS. Si personis, si temporibus, si locis.) Vt eadem à sicario nocte in deserto loco factam: venenum ab vxore adultera in balneo datum. Si cuiusque facti & euenti causa.) Exempla ferè omnium istorum suppeditat narratio pro Milone: item varia & multiplex in Verrem, & pro Cluentio. Si testata dici.) Testata, testibus cognita, vt Fauonium dictũ Clodij de Milone ad Catonem detulisse. Si cum hominum opinione, authoritate, &c. coniuncta) Id est, si opiniõi hominum, authoritati, mori, legi, erunt cõsentaneæ. Si antiquitas.) Id est antiquitatis notitia. Si memoria.) Superiorum temporum recordatio. Si orationis veritas.) Id est, vera dicendi consuetudo. Vitæ fides.) Id est, dictorum factorúmque constantia. Quæ habet admirationes.) Quæ efficit vt admiretur auditor, vt expectet exitũ rei, ísque inopinatus ponatur. Motus autem animorum habet narratio, quæ significat in exponenda re, quomodo hic vel ille affectus fuerit, & interim inducit colloquia personarum, & dolentes, iratos, metuentes, lætantes, cupientes exprimit. Hinc illa sunt in Comœdiis, Quid ais? Occidi, Perij, Miserum me, Discrucior animi, O cælum, ô terra, Prô deũm atque hominum fidem, Mi Pamphile, Euge Carine. Et apud Ciceronem, Tum verò illa egregia ac præclara mater exultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit. Ille inflammatus scelere ac furore in forum venit. Hærere homo, auersari, rubere. Tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, vt blãdissimè potest, Quid tu, inquit, Pacete? Ecce tibi eiusmodi sortitio. Attendite exitum. Quid deinde? quid censetis? Furtum fortasse aut prædam expectatis aliquam: quorum plenæ sunt narrationes pro Cluentio, in Ver. & in aliis causis.

LEODEGARIVS. Probabilis.) Probabilis, seu credibilis erit narratio, si in ea videbuntur inesse ea quæ solent apparere in veritate, si personarum dignitates seruabuntur, si causæ factorum extabunt, si fuisse facultates faciundi videbuntur, si tempus idoneum, si spatij satis, si locus opportunus ad eãdem rem qua de re narrabitur, fuisse ostẽdetur, si res ad eorum qui agent naturam, & ad vulgi rumorem, & ad eorum qui audiunt opinionem accommodabitur. ait Cic. in lib. primo de Inuent. Hæc omnia habes in vna narratione apud Liuium libro primo primæ decadis de certamine tergeminorum Horatiorum & Curiatiorum.

COMMENTARIVS. Probabilis.) Hoc genus est quod οἰκειότητα appellat Hermogenes, cùm non simpliciter narratur, sed addita quadam confirmatione, qualis est à causa, personis, temporibus & locis. Si testata dici &c.) Sic Demosthenes frequenter in narrationibus pollicetur se prolaturum syngraphas, & producturum testes. Imo verò nonnunquam interrupta narratione syngraphis & testibus vtitur. Si cum lege.) Ius ciuitatis diuisum est in ius humanum, & ius põtificium. Ius pontificium est in religione, ius humanum in lege & more. Sic Cicero pro Milone, Milonem dixit iter Lanuuium instituisse ad sacra facienda, quia consuetudo erat vt sacra fierent à dictatore. Erat enim dictator Lanuuiorum. Si probitas.) Fabius ait maxime vtile esse, vt orator vir bonus sit, vel bonus habeatur: quia tum videtur non aduocati studium, sed testis propè fidem adferre. Idem testatur Aristoteles, atque hanc probationem vocat Ethicam. Suauis autem.) Suauitas (vt dictum est suprà) efficitur rebus & verbis. Nunc autem duntaxat agit de rerum suauitate. Nam verborum suauitas, de qua est loquutus, plus habet lenocinij quàm vt ferri possit in narratione ciuili. Attamẽ ornatus quidam aptus (vt docet Fabius lib. 4.) narrationem decet, eámque suauem efficit. Exitus inopinatos.) Aristoteles in libello de poëtica iucundissimas ait esse fabulas, quæ habant περιπέτειαν, id est exitũ inopinatũ, qualis est Oedipi fabula. Ideóque exitus suauem quoque faciunt narrationem. Exemplum est de Cepasiis fratribus apud Ciceronem pro Cluentio. Motus animorum.) Nonnulli aiunt narrationem affectibus carere debere: quos refutat Fabius libro quarto. Cicero quoque in casu Philodami actione tertia in Verrem vsus est maximis affectibus. Colloquia personarum,)

Cornificius appellat sermocinationes, Græci Ethologiam, cùm personæ inducuntur loquentes. Sic Cicero pro Cluentio induxit colloquium Bulli & Staleni.

C. F. Nempe ea sequuntur quæ ad faciendam fidem pertinent. C. P. Ita est: quæ quidem in confirmationem, & in reprehensionem diuiduntur. Nam in confirmando, nostra probare volumus: in reprehendendo, redarguere contraria. Quoniam igitur omne quod in controuersiam venit, id aut sit, néc-ne sit, aut quid sit, aut quale sit, quæritur: in primo coniectura valet, in altero definitio, in tertio ratio.

De confirmatione. Confirmatio duplex.

Quæstionum species.

STREBAEVS. Narrationi iuncta ferè partitio est, sed ipsa confirmationi cedit, cuius est fundamentũ. Confirmatio pars orationis est tertia. Ea est duplex: aut nostra confirmamus, aut redarguimus contraria. Prior dicitur propriè cõfirmatio: posterior, reprehensio & refutatio. Omnis antè cõfirmatio adhibetur quæstioni, alioqui frustra tela coniicias, si nihil est quod petatur. Quæstiones omnes numero sunt tres, An est, Quid est, Quale est. Nam si rem non constet esse, quæritur an sit. Si constet: aut quid sit, aut qualis sit propterea quòd omnia sunt aut res ipsa consistens, aut rei accidentia. Ex tribus quæstionibus oriuntur tres oratorum status: Coniectura, quæ rem suspicionibus inquirit. Definitio, quæ vim rei definiendo, verum nomen accommodat. Ratio, quæ est rerum qualitas, & ostendit cuiusmodi sit illud de quo agitur. Hic qualitas latius extẽditur, quàm in categoriis Aristotelis, qui & quæstiones aliter tradit posterioribus analyticis. Proponũtur autem constitutiones, quia omnes loci (quod ait in Topicis) ad plerasque quæstiones sunt, sed alij ad alias aptiores.

LATOMVS. In primo coniectura valet, &c.) Coniectura verisimilibus, & propriis rerum notis constat, Definitio genere & proprietate declaratur, sæpe etiam communium frequentia: item contrariis, dissimilibus, paribus, consequentibus: & interim descriptio adhibetur. Ratio, probatio est, non ad coniecturam, neque ad definitionem, sed simpliciter ad fidem accommodata. Sed hæc omnia ex locis ducuntur, qui suprà descripti sunt, tametsi alij alis quæstionibus aptiores sint. Itaque singulorum generum proprij sunt loci.

LEODEC. Nempe.) Ordine ipso (inquit Fab. cap. 3. lib. 4.) narrationem sequitur confirmatio: probanda sunt enim quæ propter hoc exposuimus. Est autem confirmatio (vt vult author rhet. ad Heren.) nostrorum argumentorum expositio cum asseueratione. tota autem spes vincendi, ratioq; persuadendi posita est in confirmatione & confutatione. Nam quum adiumenta nostra exposuerimus, contrariáque dissoluerimus, absolutè nimirum munus oratorium confecerimus. Sunt hæc coniuncta, (vt tradit secundo de Orat.) quia neque reprehẽdi quæ contrà dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque hæc confirmari, nisi illa reprehendas: idcirco hæc & natura & vtilitate & tractatione coniuncta sunt. In confirmationẽ.) Vt iurisconsulti diuidunt adoptionem, in adoptionem & arrogationem. l. prima. ff. de adoptionibus. Sic Cicero diuidit confirmationem, in confirmationem & reprehensionem: sed confirmationem vsurpat primo loco vt sit genus: secundo, vt sit species. Quoniam igitur omne quod.) Duo sunt genera statuum, vnum generale, in quo vertitur tota causa, estque summa quæstio & status causæ: Aliud speciale, quod causam non constituit, sed pertinet ad eam. Rursus statuum alij rationales, seu extra scriptum: alij sunt legales, seu ex scripto. Rationales sunt tres, an sit, quid sit, quale sit. id quod bellissime docet Fabius, cap. 8. libri tertij. primus dicitur cõiecturalis, quia cũ factum negetur in eo statu, facti veritas per coniecturas vestiganda est. hinc autem quòd factum negetur, dicitur infitialis status. Secundus status dicitur finitiuus, seu definitionis, nam cum in eo statu sit controuersia non de facto, sed de appellatione facti, id explicandum est definitione: Tertius status dicitur qualitatis, quoniam cõtrouersia est in eo de qualitate facti, hoc est, an iure, an iniuria fecerimus: & quia

defendimus esse iure factum, ideo dicitur etiam status iuridicialis. Status legales sunt, ex scripto & sententia, ex contrariis legibus, ex ambiguo, ex syllogismo, ex translatione. Quidam authores faciunt pauciores legales, quidam nullos faciunt, sed reuocant ad rationales, & ideo illos nunc misit.

COMMENTARIVS. Nempe ea.) Præter locos generales, de quibus egit initio, solent rhetores locos speciales quæstionum describere, vt facilior sit inuentio. Quæ quidem in confirmationem.) Tractat ita confirmationem Cicero, vt non præscribat communes locos, de quibus egit in inuentione: sed vt proprias singulis quæstionibus accommodet, & tamen proprij hi loci à Topicis ducuntur, ac sunt reuera Topici: sed idcirco quæstionum proprij appellãtur, quia potius in hanc quàm illam quæstionem incidere solent. Sic Cicero in Topicis cum locos enumerasset, eos postea accommodauit quæstionibus, vt hic accommodat. Quoniam igitur.) Idcirco diuidit quæstiones, vt singulis accommodet confirmationem propriam. Prætermisit quæstiones legales, propterea quod quatuor quæstiones legales ad quatuor rationes referuntur, vt docet Fabius libro tertio. Iam ex ratiocinalibus prætermisit propter quod sit, quoniam (vt scribit Agricola libro secundo) refertur ad qualitatem. Sunt autem hæ quæstiones positæ ex rerum natura. In tertio ratio.) Idcirco rationem appellauit qualitatem, quia in coniectura rationes non sunt, sed suspiciones. In definitione expenditur vis vocabuli duntaxat, at in qualitate rationibus multis est agendum, petitis à rerum proprietate & natura, iure & iniuria. Possemus etiam colligere ex hoc loco id quod à Fabio scribitur, quæstiones esse quæ ex conflictu oriuntur. In quibus quæstionibus est positus status, id est, quædam facies & species quærendi, quæ ex quæstione apparet.

Loci coniecturales.

Coniectura in personis.

In personis tria genera bonorum considerantur.

C. F. Teneo istam distributionem. Nunc coniecturæ locos quæro. C. P. In verisimilibus, & in propriis rerum notis posita est tota. Sed appellemus docendi gratia verisimile, quod plerunque ita fiat: vt adolescentam procliuiorem esse ad libidinem. Propriæ autem notæ argumentum, quod nunquam aliter fit, certúmque declarat, vt fumus ignem. Verisimilia reperiuntur ex partibus & quasi membris narrationis. ea sunt in personis, in locis, in temporibus, in factis, in euẽtis, in rerum ipsarum negotiorúmque naturis. In personis, naturæ primùm spectantur, valetudinis, figuræ, virium, ætatis, marium, fœminarum: atque hæc quidem in corpore. Animi autem, aut quemadmodũ affecti sunt, virtutibus, vitiis, artibus, inertiis: aut quẽadmodum commoti, cupiditate, metu, voluptate, molestia. Atque hæc quidem innatura spectantur. In fortuna, genus, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, opes, honores, potestates, diuitiæ, libertas, & ea quæ sunt iis contraria.

STREBAEVS. Assignat coniecturæ locos, qui partes eorum sunt qui principio libri numerabantur. Argumenta coniecturalia, aut sunt verisimilia, aut propriæ rerum notæ, vt quæ dicuntur εἰκότα καὶ τεκμήρια. Verisimilia definit, quæ plerunque ita fiunt: vt adolescẽtiam procliuiorem esse ad libidinem. Proprias notas appellat signa & argumenta necessaria, quæ aliter esse non possunt, certúmque declarant, vt fumus ignem. quæ si cadunt in coniecturam, litem controuersiámque dissoluunt. Verisimilia reperiuntur aut in personis, aut in rebus ipsis. Res sunt πράγματα, quæ circunstantiæ vocantur, vt locus, tempus, facta, euenta, rerum negotiorúmque na-

tura. Nam Quintilianus res omnes vnde argumenta ducit orator vt à negotiis, complectitur causis, loco, tempore, modo, facultatibus. Alia tamen est ratio rerum quæ dicũtur simpliciter, alia πρὸς ἄνθρωπον. Res personis conferuntur, vt omnia dicãtur aut res, aut personæ. Peristases, id de quo agitur, ambiunt quodammodo, atque comitantur, & esse personarum quemadmodum rerum dici solent. In personis tria spectantur, quot sunt genera bonorum, & quot malorum. Alia enim corporis, alia animi, alia fortunæ. In corpore spectantur valetudo, figura, vires, ætas, sexus. In animo virtutes, vitia, artes, & ex contrario inertiæ: motus item qui sunt quatuor, vt antè monstrauimus ex tertia Tusculana, cupiditas, metus, voluptas, molestia. In fortuna genus, vt parentum maiorúmque: amicitiæ: liberi, vt filij filiæúe: propinqui, id est cognati: affines, ex connubio: opes, in hominibus & rebus: honores, in magistratibus: potestates, in authoritate & gratia: diuitiæ: libertas: & ea quæ sunt contraria, vt inimicitiæ, orbitas, inopia. Nam contraria non ad posteriora tantum sed etiam ad priora refert. Proferamus ex singulis singula enthymemata, quoniam in vna causa omnia reperiri nequeunt: vt, Qui aduersa valetudine vteretur, domo non exiit. pulcher & formosus libidine ferebatur. robustus petulanter egit. auarè fecit senex. venenum propinauit mulier. non deseruit vir fortis. latuit miles ignauus. ignarus rerum forensium rusticus. fallet præuaricator. cupiditate regni bella in patriam geret Cæsar. nullum bellum suscipiet timidus. voluptate literarum captus operam dabit. molestum vitæ genus desideret Cato. gloriabatur insolenter loco nobili natus. fretus amicis has suscepit inimicitias. nihil magni faciet proletarius. propinquos inopes ditare cupiebat. affinitate noua Pompeij fretus Cæsar, res nouas mouebit. Nauius, qui opibus & gratia plurimum valeret, Quintium sine re vocauit in ius. Antonius Prouinciã adeptus, nihil non licere arbitrabitur. homo potens non metuit ne ab rustico & bonis euerso traheretur ad iudices. diues iniuriam facit. liberari cupit seruus. Ego quidem Ciceronis exempla proferre possum. sed immensa rerum magnitudo me terret, qui breuitati maximè studeo. Quocirca satius esse duxi compendiosis enthymematis omnia notari, quàm ingenia cõfundi immodica rerum prolixitate. Nec illud nouum est, quòd argumentum verbo concludimus. Etenim videas oratorum narrationes inspergi probationum seminariis: ex quibus argumentationes fieri totidem possunt. Singulis enim verbis singula persæpe notantur argumenta. Quod quum fit, ea verba assignari debent, & mutata pronunciatione auribus infigi: vt in hac oratione, Nullum bellum suscipiet timidus, tertiũ verbum suspenditur, vt in distinctione compuncta, deinde paulò summissius enunciatur vltimum verbum. Sic alia debent actione adiuuari, vt notetur argumentum.

LATOMVS. In verisimilibus & propriis rerum notis posita est tota) Verisimilia probabilia sunt. Propriæ rerum notæ, signa certa ac necessaria, quæ vel naturæ sunt, vt fumus ignem significans: vel è facti existunt, vt cicatrix ex vulnere. Verisimilia reperiuntur ex partibus & quasi membris narrationis.) Ex partibus, hoc est, ex iis rebus quæ in causa sunt, & in narrationem veniunt. Hæc ab aliis vocantur circunstantiæ, vt quis, quid, cur, vbi, quando, quomodo. Ipse in veteri Rhetorico attributa personarum & negotiorum appellat. Omnis eorum materies in locis causarum, euentorum, coniunctorum versatur, qui suprà enumerati sunt. Exempla multa suppeditat causa Milonis, in qua est persona Clodij, seditiosi ac violenti hominis, inimici Milonis. Locus pugnæ, Appia via, ante fundum Clodij. Tempus, quo cõsulatum petebat Milo, præturam Clodius, pugna ante vesperam cõmissa. Facti consilium in Clodio, qui odit Milonem, sperauit commodum, noluit consulem fieri Milonem, sperauit impunitatem. Coniuncta cum persona Clodij, quæ tum consilium, tum voluntatem arguunt: vt, armatus expeditus fuit, comites delectos habuit. Euentus ante rem, iter Milonis necessarium, concio Trib. plebis eodẽ die habita, eáque neglecta à Clodio, senatus sero dimissus. Post cædem, reditus Milonis in vrbem, rumores contempti, dictorum factorúmque constantia. Natura negotij, vis, cædes, insidiæ, quæ sunt inimica legibus, periculosa, tuuisa, maximeque offensa in candidatis.

LEODECARIVS. Nunc conjecturæ locos.) Cicero in Top. agens de loco ab adiunctis, inquit, Sed locus hic magis ad coniecturales causas (quæ versantur in iudiciis) valet, cùm quæritur quid aut sit, aut euenerit, aut futurum sit, aut omnino fieri possit. Admonet autem hic locus, vt quæratur quid ante rem, quid cum re, quid post rem euenerit. ante rem quæruntur apparatus, colloquia, locus, constitutum conuiuium. Cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporum vmbræ, & si quid eiusmodi. Post rem rubor, pallor, titubatio, & siqua alia signa

conturbationis & conscientiæ, præterea restinctus ignis, gladius cruentus, cæteráque quæ suspicionem facti possunt movere. *Adolescentiam.*) Vide orationem eius pro Cælio. *In personis naturæ primum.*) Cicero lib. I. de inuentione, agens de confirmatione, Omnes (inquit) res argumentando confirmantur, aut ex eo quod personis, aut ex eo quod negotiis est attributum. Ac personis has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes, &c. quæ omnia subtiliter definit, & diligenter persequitur.

COMMENT. *In verisimilibus.*) Per verisimila & proprias rerũ notas cõplectitur locũ ab adiũctis, qui quidẽ totus est cõiecturalis, ac diuiditur in tẽpus præsens, præteritũ, & futurũ. Verisimilia sunt, quæ probabilia dicũtur, & à circunstãtiis petũtur. Dialectici vocãt εἰκότα. Proprias rerũ notas appellat signa necessaria, quæcũq; in causam incidũt, ac litẽ tollũt. Sed fortè ante litis cõstitutionẽ latere poterũt. Sũt & alia signa quæ nõ sunt necessaria, vt cruẽta vestis nõ est signũ necessariũ cædis. De illis postea aget Cic. Et in ppriis.) Fortè Cic. hũc duxit locũ ex definitione enthymematis, q̃ est apud Arist. in libris priorũ. Propriæ autẽ notæ.) Debẽt autẽ ppriæ illæ notæ sub aliquẽ sensum cadere, ac maximè sub visum & auditũ, vt fumus, vt clamor editus.

Verisimilia.) Ideo ait verisimilia à narratione petenda, quia si narratio suis est constructa virtutibus, circunstantias omnes attingit, à quibus verisimilia petũtur. Cicero in Topicis coniecturæ ponit locos, adiũcta, causas, & effecta, quæ sub verisimilibus cõprehenduntur, nisi quòd adiũctorum locus cõplectitur etiã proprias rerum notas. *In rerum ipsarũ, &c.*) Rerũ naturas appellat res bonas, aut malas, aut indifferentes, propterea q̃ talis est rerum natura, & actionũ quæ proficiscuntur à rebus. *In personis.*) Naturã appellat hominis prædicti essentiã atque compositionẽ, quæ est ex animo & corpore. Ergo quæ accidunt his duabus partibus, à Cicerone tribuuntur naturæ. Nam reliqua sunt externa, vt quæ fortuita appellantur. *Animi autẽ.*) Diuisio facta est ex duabus animi partibus: ratione, in qua secũdum Stoicos & Ciceronem virtutes sunt & artes: & appetitu, in quo sunt perturbationes. *Cupiditate, &c.*) Quatuor generales est cõplexus perturbationes, à quibus Stoici reliquas perturbationum ducunt species. De his antea est dictum, cùm de motu ageremus. *Honores.*) Honores, magistratus appellantur: potestates autem (vt ait iurisconsultus) magistratus sunt qui habent rerum imperium, id est gladij potestatem ad animadvertendum in facinorosos.

Coniectura à loco.

In locis autem & illã naturalia, maritimi, an remoti à mari: plani, an montosi: læues, an asperi: salubres, an pestilentes: opaci, an aprici. & illa fortuita, culti, an inculti: celebres, an deserti: ædificati, an vasti: obscuri, an rerum gestarum vestigiis nobilitati: consecrati, an profani.

STREBAEVS. Verisimilia quoniã posita sunt in personis, & locis, & temporibus, & reliquis, altera pars distributionis est locus. in locis quædam naturalia, quædam fortuita. Illa talia sunt sine hominum industria, & fortunæ temeritate: hæc contrã. Membra partitionis huius bina iungenda sunt, propterea quòd contraria contrariis opponuntur, & in hac dispositione facilius intelliguntur. Maritimi loci, sunt mari finitimi. Remoti à mari, mediterranei dicuntur. Verbum montuosi improbarunt viri doctissimi, & montosos dicere maluerunt: quibus ego consentio, sicq; legendum contendo. Enimuero à monte dicitur montosus, vt à facinore facinorosus, dedecore dedecorosus. Virgil. 7. Et te montosæ misẽre in prælia Nursæ. Quintilianus, qui & alia multa, & hunc locum transtulit in suos libros, montanos locos nominauit. Læues opponuntur asperis: differunt à planis, in quibus spectatur situs æquabilitas, & aperta porrectio campestris. In læuibus aliud consideratur, vt rasa terræ facies, dorsúmque læuigatum. Vasti sunt vacui, neque ædificati. Obscuri, ignobiles. Hoc in coniectura quale sit, illustremus exemplo. Scipio missus aduersus Annibalem, deliberat quã sit facturus iter Pœnus in Italiam. Non transiciet Annibal per Alpes, loca montosa, aspera, insalubria, opaca, inculta, deserta, vasta, vbi sit extrema pernicies hominum atque iumentorum. Maritima sectabitur, propiora subsidiis, & Carthagini. Mediterranea vitabit, vbi timeat exercitum intercludi: quódque turmis equitum præstat,

planis feretur campis & facilibus, quà videat cultiores agros, & frequentiores populos, vnde spes oriatur prædæ amplioris. Teneamus igitur oram Liguriæ, & Galliæ fines. Locum Cicero tractauit pro Milone, pro Quintio, contra Seruilium Rullum, vbi cõiecturam facit locos pestilentes venum iri. Pro Cælio, pro Deiotaro, sed in Verrem frequentissimè, tum ad coniecturam, tum ad qualitatem. Abstinui longioribus exemplis, quæ minimo negotio peteres è fonte.

LEODEGARIVS. In locis.) Ex locis sumuntur coniecturæ non minus probabiles quàm ex personis: hinc enim colligimus Aiacem occisum ab Vlysse, quòd Vlysses dicatur deduxisse eum in syluam opacam & desertam, ideóque aptam cædi. Salubres.) Vt Athenæ, vbi tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici, vt ait Cicero de Fato. Pestilentes.) Vt Sardinia, vt Auernus, vt Bœotia, vt Thebæ. Itaque si accuseris, quòd illic hominem veneno occideris, dices periisse peste, quia locus pestilens est.

COMMENTARIVS. In locis autem.) Naturam appellat in locis, proprium locorum situm, & naturales qualitates: fortunam, quod non natura, sed hominum cultu aut negligentia aut certè aliqua causa editum est. Cæterum (vt Fabius docet) ab his circumstantiis non solùm petuntur argumenta ad probandas quæstiones, verùm etiam ipsæ quæstiones constituuntur. vt sacrilegij accusatur, qui sustulit è templo rem priuatam. Hoc loco tractat Cicero quonam pacto coniecturæ quæstiones probent, non quomodo constituant. An asper.) Asperos appellat locos, sentibus & dumis obsitos, atque petricosos: quibus opponit læues. Pestilentes.) Hinc enim coniectura duci potest. vt si quis accusetur quòd veneficio hominem sustulerit, dicátque eum periisse crapula in loco pestilenti. Pestilentem scribunt fuisse Sardiniam insulam, Ausantum, & Auernum. In Italia contrà Crotonem salubrem. Hinc abiit in prouerbium, Crotone salubrius.

Rerum gestarum vestigiis.) Vt Cannas ignoraremus, nisi nobilitarentur victoria Annibalis: & Leuctra, nisi nobilitarentur clade Lacedæmoniorum.

In tẽporibus autem, præsentia, & præterita, & futura cernũtur. In his ipsis vetusta, recentia, instãtia, paulò post aut aliquando futura. Insunt etiam in temporibus illa quæ tẽporis quasi naturam notant, vt hyems, ver, æstas, autumnus: aut anni tẽpora, vt mensis, vt dies, vt nox, hora, tẽpestas, quæ sunt naturalia. Fortuita autem, sacrificia, festi dies, nuptiæ, iam facta & euentus, aut consulij sunt, aut imprudentiæ: quæ est aut in casu, aut in quadam animi permotione. Casu, cũ aliter accidit, ac putatũ sit. Permotione, cùm aut obliuio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis causa permouit. Est etiã in imprudentia necessitas ponẽda.

Coniectura à tẽpore.

Coniectura à factis.

Coniectura à casu.

STREBAEVS. Temporum partitio est, in præsentia (quæ aliquoties Quintilianus appellat instantia) in præterita, in futura. Præterita diuiduntur in vetusta, & recentia. Futura partiuntur in futura paulò post, & olim futura. Sunt qui recentia & instantia paulò post, referunt ad præsens: quos fortè iuuet ratio philosophorum, qui docent nullum tempus esse præsens, sed tantum momentum, quod à Græcis τὸ νῦν vocatur: sed dici præsens κατὰ χρῆσιν, id quod adest. Cicero secutus est tritam loquendi consuetudinem, qua non dicimus recentia, aut instantia paulò post, esse præsentia, si nihil habent præsens: sed præsentia quæ nunc sunt, id est præsenti momento non interrumpuntur, etiam si quid eorum præteritum est, & futurum. Qui autem recentia dicit, aut instantia paulò post, nihil loquitur præsens. Præterea in temporibus quædam naturalia, quædam fortuita. Naturalia duplicia. Alia temporis quasi naturam notant, & opportunitatem vel agẽdi, vel non agendi, καιρὸς dicitur, à quibusdam Latinis speciale tempus, vt hyems, ver, interdiu, nectu. Alia sunt anni tempora, quæ generalia dicuntur, non habita ratione agendi negotij: vt mensis, dies, nox, hora, tempestas, quod est tempus simpliciter dictum, vt hic sumitur. Sic Quintilianus diuidit tempora, in naturalibus naturalis occasio, in fortuitis fortuita.

Fortuita spectant humanas actiones: vt sacrificia, dies festi, in bello, in conuiuio. Ex præterito colligitur præsens. Virgilius, Non tu in triuiis indocte solebas Stridenti miserum stipula disperdere carmen? Rerum difficultatem etiam tempus ostendit. Idem, Quinetiam hyberno moliris sydere classem, Et medijs properas aquilonibus ire per altum, Crudelis. Tempore laudabilior est virtus. Idem, Nox erat, & terras animalia fessa per omneis, Alitumq; pecudúmque genus sopor altus habebat, Quum pater in ripa, gelidisque sub ætheris axe Æneas tristi turbatus pectora bello Procubuit, seramque dedit per membra quietem. A tempore atrocitas rei colligitur. Cicero pro Cælio, Si quis Iudices forte nunc adsit ignarus legum, iudiciorum, consuetudinis vestræ, miretur profectò quæ sit tanta atrocitas huius cauſſæ, quòd diebus festis, ludisque publicis, omnibúsque negocijs forensibus intermißis, vnum hoc iudicium exerceatur. Tempus in oratione pro Milone Cicero tractat & in narratione, & in argumẽtis. Vt Clodius videret ita tracta esse comitia anno superiore, vt non multos menses Prætura gerere posset: vt Prætura manca ac debilis esset futura Consule Milone: vt sciret iter solenne Milonj esse Lanuium: vt Roma pridie profectus sit: vt Milo in Senatu fuerit quoad Senatus dimissus est: vt sit domi commoratus: vt profectus sit id temporis, quum iam Clodius redire potuisset: vt factus sit obuiam Clodio hora ferè vndecima, aut nõ multo secus. Quem si interficere voluisset, inquit, quãtæ, quoties occasiones, quàm præclaræ fuerunt? In his omnibus est quædam ratio cõclusa temporibus. Talia reperies propè infinita in Verrem: sed mihi sat est monstrasse viam, & digitum ad fontem intendisse. Facta, in distributione verisimiliũ quarta fuerant. Ea aut consilij sunt, aut imprudentiæ: quia rem facimus aut consultò, aut ignoranter. Imprudentia autem & eiusmodi ignoratio est aut in casu, quũ aliter accidit ac putabamus: aut in quadam animi permotione, id est perturbatione, vt obliuione, errore, metu, cupiditate, quibus mortales sensus frequenter occæcantur. Habet igitur imprudentia quandam necessitatem, quoniam errore ducta, quo alioqui minime velit, pertrahitur. Euentus eodẽ modo diuidũtur: iisque factis adiungũtur: quia secundum facta euenunt & subsequuntur: vt bellum factum atque confectum sequitur clades, captiuitas, seruitus, exilium. Hi sunt belli graniores euentus: fœliciores autem, victoria, corona, trophæum, ouatio, triumphus. Facta & euenta melius ita distinguuntur, quàm quum sumuntur pro eodem: nec prodeunt semper à causis apertis, sed frequenter à fortuna: quanquam postea definit euentum, id quod est effectum: & euentu signa complectitur. A facto coiectura ducitur. Virgilius, At nõ ille, satum quo te mẽtiris, Achilles, Talis in hoste fuit Priamo. A crudeli facinore Pyrrhi ducit argumentũ, Achillis eum nõ esse filium. Ab euentu. Cicero pro Ligario, Causa tum dubia, quòd erat aliquid in vtraque parte, quod probari posset: nũc melior certè etiam ea iudicanda est, quam dij adiuuerunt. De imprudẽtia, & animi permotione, Cicero pro Sexto Roscio, Consiliũ ceperunt plenum sceleris & audaciæ, vt nomen huius de parricidio deferrent, vt ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent, qui de ea re posset dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio: denique vt, quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent. Ita loqui homines, quòd iudicia tandiu facta non essent, condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset: huic autem patronos propter Chrysogoni gratiam defuturos: de bonorum venditione, & de ista societate verbum esse facturum neminem: ipso nomine parricidij, & atrocitate criminis fore, vt hic nullo negocio tolleretur, cum ab nullo defensus esset, hoc consilio, atque adeò hac amentia impulsi, quem ipsi quum cuperent, non potuerunt occidere, eum ingulandum vobis tradiderunt. Hic Rosciorum explicatur error, & amentia, & imprudentia, ad probandum falsum crimen intentatum.

LATOMVS. Iam facta & euentus aut consilij sunt, aut imprudentiæ.) Factis & euentis causæ subiiciuntur, quæ tum consilij sunt, tum imprudentiæ. Consilij, vt telum misisse. Imprudentiæ, vt percußisse quem nolueris. Casus, incertus euentus est, cuius causa ignoratur: vt si agrum fodiens thesaurũ inuenias. Permotio in obliuione, errore, metu, cupiditate posita est: quoniam hæc quoque imprudentibus nobis atque inuitis aliquid efficiunt: vt, Icarus oblitus præceptorum patris in mare decidit: errore Mutius obtruncauit scribam pro rege: metu aliquis se hosti prodidit, fugit incautus præcipitauit: cupiditate aurigandi Phaëthon perijt. Ex his iam intelligitur in imprudenti etiam necessitatem versari, cùm quid imprudenter commissum, quo minus eueniat, vitari non potest, vt si tormento emisso ferias quem nolueris: aut naui conscensa

lacteris tempestate: aut inito itinere fluuio intercludare.

LEODECARIVS. In temporibus.) Tempus ita quæritur, qua parte anni, quæ hora, noctu, an interdiu, qua diei, qua noctis hora. Nam furtum credibilius est factum esse noctu quàm interdiu: hinc furtum à furuo, id est, nigro dictum, quòd clam & nocte fiat, Labeo putauit lege prima. ff. de furtis. Itaque sic Flaccus, Pulchra Lauerna,

Da mihi fallere, da iustum sanctúmque videri,

Noctem peccatis, & fraudibus obtice nubem.

Et probabile erit stuprum, quod dicetur illatum noctu. hinc Ouidius,

Nox, & amor, vinúmque, nihil moderabile suadent:

Illa pudore caret, Liber, amórque metu.

Iam facta.) In hanc sententiam sic primo de Inuentione inquit, Facti partes sunt prudentia & imprudentia. prudentiæ autem ratio quæritur ex his quæ clàm, palàm, vi, persuasione fecerit. imprudentia autem in purgationem confertur: cuius partes sunt inscientia, casus, necessitas: & in affectionem animi, hoc est molestiam, iracundiam, amorem, & cætera quæ in simili genere versantur.

COMMENTARIVS. In temporibus.) Fabius ait rationem temporis latissimè patere, adeo vt cæteras circunstantias cæteraq; argumenta penè complectatur, cùm omne argumentum ducatur aut à præsenti, aut præterito, aut futuro. Cæterum ita tempus diuidit Fabius, vt quoddam generale ponat, quoddam speciale. Generale est, sine circunscriptione certi temporis in præsenti, præterito, & futuro. Speciale autem positum est in constitutis temporis spatiis, sine trium illarum differentiarum obseruatione, vt æstas, dies, nox: aut in spatiis fortuitis, quale sunt nuptiæ, qualis pestilentia. In his ipsis.) Duas temporis differentias partitur rursum in tempus propinquum & remotum: quod in præsenti fieri non potuit, quia est indiuiduum. Porrò instantia quidam accipiunt pro præsenti, quoniam hac dictione sic vtitur Fabius. Alij legunt, instantia paulò pòst, vt hoc ad propinquum futurum referatur. Insunt etiam.) Dicit illa notare temporis naturam, quæ significant constituta temporis discrimina, vt hyems, mensis, dies. Nec hoc accipiendum est per diuisionem. Itaque in vetusto exemplari legitur, vt anni tempora, vt sequens eorum enumeratio. Sin per diuisionem hoc accipias, in prioribus spectabitur agendi occasio, in posterioribus sine occasione temporis discrimen. Tempestas.) Per tempestatem intellige vel occasionem, vt post particularium enumerationem positum sit generale nomen: vel certè intellige procellas, quæ certorum syderum occasu & ortu accidere solent, vt ex ortu Orionis & Arcturi. Fortuita autem.) Ista fortuita referũtur ad occasionem quoque, quæ spectatur in temporibus publicis, vt ludis: In temporibus communibus, vt messe, vindemia: in temporibus singularibus, vt nuptiis.

Iam facta & euentus.) Facta & euentus sunt, quæ ex causis quibusdam proficiscũtur. eorum autem eadem est diuisio quæ & causarum. Iam causæ (vt ait Cicero in Topicis) aut sunt ignoratæ, aut pendent ab arbitrio & voluntate. Animi permotione.) Idcirco permotionem subiecit imprudẽtiæ, quia tam vehementes sunt perturbationes, vt imprudentes aliquid agere videamur. Itaque aiunt primos motus non esse in hominis potestate. iidem tamen affectus obiurgatione animi corriguntur, parẽntque voluntati. Permotione, cum &c.) Ad permotionem pertinent motus & cupiditas per se: obliuio & error, casu, & ex accidenti. vt error fecit, vt, Scæuola scribam loco regis interficeret. Quum aut obliuio.) Obliuionem subiecit permotioni, quia obliuio ad agendum aliquid mouet, & animus tum est perturbatus, quia est oblitus eorum quorũ antea memor erat. & alioqui permotionẽ latius accipit. Necessitas ponenda.) Vt si quis miles ad diem commeatus reuerti non potuerit propter valetudinem, necessitatem excusabit, ostendẽtque se non esse desertorem.

Rerum autem bonarũ & malarum tria sunt genera. Nam aut in animis, aut in corporibus, aut extrà esse possunt. Huius igitur materiæ ad argumentũ subiectæ, perlustrãdæ animo partes erũt omnes, & ad id quod agetur, ex singulis coniectura capiendã.

STREBAEVS. Rerum ipsarum negotiorúmque natura, postrema fuit in verisimilium diuisione. In quo quidem hærere possis, qua ratione motus recidat in ea bona ac mala quæ paulò antè personis attribuerat: deinde res & negocia à factis & euentis quid quantúmque differant: & tandem quod hoc sit argumentandi genus. In personis hæc tria rerum genera spectamus, vt personarum momenta deprehendamus. Eadem & per se citra complexum personarum considerantur, quam vim habeant, quid efficiant: quæ maiora, quæ minora: quæ consentanea, quæ contraria, quæ repugnantia: qua ratione non incommodè separantur à personis, ac sola tractantur & in demonstratione, & deliberatione, sæpe etiam in iudicio. Differúntque à factis, quia rerum negociorúmque naturæ præcurrunt vt impulsiones, causæq; motrices: facta & euentæ subsequuntur. Nam quid aliud Cicero significare voluit per rerum negociorúmque naturas, quas tribus bonorum & malorum generibus cõcludit, quàm causas efficientes illas, vnde colligit orator aut aliquid esse factum suadente opinione boni, aut non esse factum dissuadente opinione mali? Rerum enim bonarum opinione ad faciendum quid impellimur, à malis rebus auocamur. Quærendum igitur in suspicione coniectura, quale sit negocium, & quæ vis eius atque natura: vt quid efficiat in animis nostris intelligatur. Vtrum relegatio Sexti Roscij, qua pater eum relegauerat in agrum, potuit efficere parricidiũ. quid odium, ira, amor, ebrietas efficiant: quid commiserit Verris audacia: quid factura sit Antonij libido, quid ambitio mouebit, an pudorem vincet libido, auaritia magnificentiam, inuidiáne possit esse cum amicitia, grauis amor sine probro. Quicquid fit igitur, ab aliquo fieri necesse est, & in tẽpore, & in loco, & aliqua de causa fieri, & ad aliquem exitũ perduci. Quamobrem partiebatur verisimilium fontes in personas, tempora, locos, negociorum naturas, facta, & euentus. Hæc est probationum materia, vλη dicitur, & sylua quædam, vnde conficiuntur argumenta. Igitur perlustrandæ animo, & diligenter excutiendæ partes erunt omnes, vt ad id quod agetur, ex singulis, si quid modò subministrent, coniectura capiatur.

LATOMVS. Rerum autem bonarum & malarum.) Hæc ad naturã rerũ & negociorum pertinent, quæ posterius explicabuntur in deliberatiua quæstione.

LEODEGARIVS. Rerum.) Bona animi sunt virtutes, & artes, quæ sola putantur à Stoicis bona, vt constat ex Paradoxis, & finibus bonorum apud Ciceronem. Bona corporis sunt, forma, valetudo, vires, velocitas, & similia quæ natura tribuit: Bona externa sunt, quæ extra nos reperiuntur, vt opes, diuitiæ, facultates, clientelæ, amicitia patria, genus, & quæ à fortuna proficiscuntur, hincq; vocantur fortuita. His sunt contraria mala animi, corporis, & fortunæ. Sumitur autem coniectura ab his omnibus bonis & malis, quoniam in eis sunt causæ agendi, aut non agendi. Nam vir disciplinis excultus veniet potius in coniecturam & suspicionem famosi epigrammatis, quàm idiota. Et formosa, in suspicionem libidinis potius, quàm deformis: rara est adeò concordia formæ atque pudicitiæ. Et dives, generosus, & clientibus ac amicis præpotens, in suspitionem seditionis, & rerum nouandarum, quàm inops & rebus omnibus destitutus.

COMMENTARIVS. Rerum autem.) Hæc diuisio (vt testatur quæstione prima Academica) ducta est ab Academicis & Peripateticis. Diuisionis huius meminit in loco personarum. Sed antea diuisionem considerabat vt ad personas refertur: Nunc autem res considerat per se, sine respectu personæ. Aut in corporibus.) Diuisio est quæ à dialecticis appellatur accidentium in subiecta. Ista enim accidunt animo & corpori.

Coniectura ex signis.

Est etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti vestigiis sumitur, vt telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, & eorum aliquid quod sensu percipi possit: etiam si præparatum aliquid, si cõmunicatum cum aliquo, si postea visum, auditum, indicatum.

STREBAEVS. Facti vestigia, signa dicuntur, quæ Quintilianus separauit ab ar-

gumentis. Cicero ad aliud argumentorum genus retulit, quàm quæ animo, non sensu, vt visu auditúque capiuntur. Hæc popularia magis, illa artificio maiore constant. Signum est, quod ex eo de quo quæritur, natum, sub oculos venit, vt sanguis ex cæde. E signis aliud est necessarium, vt cicatrix perpetuum est indicium vulneris. Aliud non necessarium, vt telum repertum in vulnere, vel cruentum, vt cruor aspersus. clamor editus, id est emissus. titubatio, quod est consternatæ mentis indicium. permutatio coloris, vacillantis animi signum. oratio inconstans, mendacij sceleríque nota. tremor, timoris index. Et eorum aliquid, quod sensu percipi possit, vt strepitus, eiulatus, imploratio, tumor, sudor, vultus iratus, diuulsa coma, dissecta vestis. Si præparatũ aliquid, vt Clodius palàm agere cœpit, & apertè dicere occidendum Milonem, seruos agrestes & barbaros ex Apennino deduxerat. Si communicatum cum aliquo, si postea visum, auditum, indicatum: vt coniuratio Catilinæ primùm cum Curio fuit communicata, deinde cum Fuluia: tum postea indicata, audita, visa, hisque signis manifestò comprobata.

LATOMVS. Est etiam genus argumentorum aliquod, quod ex facti vestigiis sumitur.) Hoc quoque genus factis adiunctum est, sed differt à cæteris, quòd illa intellectu tantum, hoc etiam sensu comprehenditur, vt quæ oculis, auribus, cæterísque sensibus in facto ipso, vel antè, vel post percipiuntur. Ea proprie signa vocantur, vt telũ & cruor signa cædis, fumus ignis, cicatrix vulneris. dictum Clodij Milonem triduo periturum esse, signum futurarum insidiarum, quod cædem antecessit.

LEODEGARIVS. Coloris,) Hinc illud Iuuenalis,

Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu.

Tremor.) Itaque sic Ouidius,

Conscia mens vt cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spémque, metúmque suo.

Et illud Flacci in epistolis,

-hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Hæc igitur à rhetoribus vocantur signa conscientiæ.

COMMENTARIVS. Est etiam.) Non repetit signa necessaria, propterea quòd, cùm incidunt, quæstionem tollunt. Igitur τὰ μόρια omisit, at eorum loco tractauit signa probabilia, quæ σημεῖα vocat Fabiis: vt respersus cruore, probabile est signum cædis, non tamen necessarium, quia sanguis fluere potuit ex naribus. Separauit illa à verisimilibus, quòd verisimilia sub rationem cadunt, signa sub sensum. Permutatio coloris.) Hæc sunt quæ à rhetoribus appellantur signa conscientiæ, quia ostendunt animum alicuius delicti esse conscium.

Verisimilia autem partim singula mouent suo pondere, partim etiam si videntur esse exigua per se, multum tamen, cum sunt coaceruata, proficiunt. Atque in his verisimilibus insunt nonnunquam etiam certæ rerum & propriæ notæ.

STREB. Assignauit locos, vnde eruuntur argumẽta cõiecturalia. Nũc vt inuenta digeramus, in aciémque ducamus vtendi causa, præcipit. Verisimilia si mouent suo pondere, singula collocantur: si sunt infirma, tamen coaceruata, proficiunt. De quo Quintil. in hanc sententiam, Firmissimis argumentorum singulis instandum: infirmiora congreganda sunt, quia illa per se fortia non oportet circunstantibus obscurare, vt qualia sint appareant. Hæc imbecilla natura mutuo auxilio sustinentur. Itaq; si non possunt valere quia magna non sunt, valebunt quia multa sunt, quæ ad eiusdem rei probationem omnia spectant. vt si quis hæreditatis gratia hominem occidisse dicatur, Hæreditatem sperabas, & magnam hæreditatem: & pauper eras, & tum maximè à creditoribus appellabaris, & offenderas eum cuius hæres eras, & mutaturũ tabulas sciebas. Singulis instat in Clodium, vt initio confirmationis, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas vtilitates fuisse demonstrat. Coaceruatis vtitur pro Sext. Roscio: Quid si accedit eôdem, vt tenuis antea fueris? quid si vt auarus? quid si vt audax? quid si

vt illius qui occisus est, inimicissimus? &c. Si propriæ notæ argumentum suprà definiit, quod nunquam aliter fit, certúmque declarat: verisimile, quod plerunque ita fit: quî fieri potest, vt in verisimilibus insint etiam certæ rerum & propriæ notæ? Sic enim erit argumentum necessarium, idémque minimè necessarium: quod fieri non potest. Id Cicero non dicit, sed in verisimilibus coaceruatis certas esse propriásque rerum notas, hoc est, ex his argumenta nonnunquam suboriri necessaria: quemadmodum Paulò pòst dicet ex communibus proprium quid sit elucere: vt, Eras in eo loco cum telo, solus eras, furens agitabare, rediisti cruentus, titubasti, mente concidisti, hominem igitur occidisti. Nullum istorum necessarium est, vniuersa sunt necessaria, vt rhetores vtuntur appellatione necessarij. Aliò trahi possunt verba Ciceronis, fieri posse vt quæ prima fronte verisimilia videbantur, postea excussa diligentius reperiantur necessaria. Hoc non probo. non enim dicit, In illis quæ prima fronte verisimilia videntur, insunt nonnunquã etiam certæ rerum & propriæ notæ, sed in his verisimilibus, id est, quæ prius exposita sunt. Non exposuit quæ falsò videbantur verisimilia, sed quæ sunt similia veri coaceruata, ad quæ pronomen illud, his, debet referri, vt sint hæc continua. Multùm tamen quum sunt coaceruata, proficiunt, ad quæ in his verisimilibus insunt, &c.

LATOMVS. Multum tamen cùm sunt coaceruata, proficiunt.) Vt pro Milone, Video adhuc constare omnia iudices, Miloni etiam vtile fuisse Clodium viuere, illi ad ea quæ concupierat optatissimum interitum Milonis, & quæ sequuntur. Item pro Sexto Rascio, Quid si accedit eôdem, vt tenuis anteà fueris? quid si vt auarus? quid si vt audax? quid si vt illius qui occisus est, inimicus? Atque in his verisimilibus insunt nonnunquam etiam.) Ea intelligit quæ paulò antè ex facti vestigiis sumi dixit, nempe signa propria ac necessaria, vt cicatrix vulneris, lac concepti fœtus, ruinæ portarum stantis quondam vrbis. Hæc enim quanuis oriantur ex factis, & idcirco communi nomine verisimilia appellentur, tamen quia re ipsa verisimilia non sunt, sed propriæ ac certæ rerum notæ, idcirco eximuntur de numero, & ad diuersum genus, quod in prima diuisione seiunctum fuit, referuntur.

LEODECARIVS. Coaceruata.) Nam, vt inquit Hesiodus,

Adde parum parvo, parvo superadde pusillum,

Fiet & hoc magnum. Hæc eleganter tractantur à Quintiliano, libro quinto, in capite de vsu argumentorum. Significat ergo argumenta quæ non valeant singula, valere iuncta. Huc accommodari potest apophthegma Sertorij, apud Plutarchum de Fasce.

COMMENTARIVS. Verisimilia autem.) Hic locus pertinet ad vsum & dispositionem argumentorum. Cum enim argumẽta sunt valida, per se sunt ponenda, vt docet Fabius libro quinto. at cum sunt inualida, multa sunt congerenda, quia mutuis auxiliis se fulciunt. Iam verò apparet ex hoc loco, etiam signa non necessaria à Cicerone verisimilibus subiici: quanquam aliter diximus ex sententia interpretum. Adiiciunt Græci argumentum quoddam à principio ad finem, quod fit cùm vnum in locum multa signa & verisimilia congerimus, quæ sunt in re. Multum tamen.) Quemadmodum qui vtitur exiguis argumentis, solet in vnum locum illa congerere: ita qui refutat, solet illa dissoluere: vt docet Fabius in capite de refutatione. Atque in his.) Congeries verisimilium vsque adeò vehemens argumẽtum nonnunquam præstat, vt esse necessarium videatur. Aut certè reuertitur Cicero ad alterã partem diuisionis, significat proprias rerum notas (de quibus est locutus) nonnunquam verisimilibus admisceri: quæ tamen occasio rara est. atque hic sensus videtur esse potior.

Coniectura ab exemplis.

Maximam autem facit fidem ad similitudinem veri primùm exemplum, deinde introducta rei similitudo; fabula etiam nõnunquam, etsi sit incredibilis, tamen homines commouet.

STREBAEVS. Exemplum maximam facit fidem ad similitudinem veri, hoc est, vt res verisimilis esse videatur. Differt à similitudine, & fabula. Nam exemplum est rei gestæ vtilis ad persuadendum commemoratio. Similitudo, collatio rerum in qualitate. Fabula, quæ ne-

que veras neque verisimiles continet res: propterea dicit eam incredibilem. Exemplum est pro Cluentio ad capiendam coniecturam de Staleno iudice corrupto. Iam hoc ignoratis iudices, vt etiam bestiæ fame dominante, plerunque ad eum locum vbi pastæ aliquãdo sint, reuertantur? Hæc similitudo est. subdit exemplum, Stalenus ille biennio antè quàm causam bonorum Safinij Atellæ recepisset, sexcentis millibus nummũm se iudicium corrupturum esse dixerat. Quæ cum accepisset à pupillo, suppressit, iudicióque facto, nec Safinio, nec bonorum emptoribus reddidit. quam quum pecuniam profudisset, & sibi nihil non modò ad cupiditates suas, sed ne ad necessitatem quidem reliquisset: statuit ad easdem sibi prædas ac suppressiones iudiciales reuertendum. Fabula est coniecturalis in Antoniana quarta, Quid legio Martia? quæ mihi videtur diuinitus ab ipso deo traxisse nomẽ, à quo populũ Rom. generatũ accepimus: nõne ipsa suis decretis prius, quàm Senatus, hostem iudicauit Antonium? Si Mars genuit populum Romanum, verisimile est & hunc Martiæ legioni suum nomen dare voluisse. quod Cicero fabulosum nouit: vt ostendit libris de natura deorum. Nonne in secessione plebis Romanæ in Sacrum montem mouit animos infensos Agrippa fabulæ de membris & ventre commemoratione? Hæc ideo proposuimus exempla, quòd arbitrantur multi, in coniectura, quum probanda res est, non habere locum exemplum, non similitudinem, & multo minus fabulam. Quæ tamen potentissima sunt, ac frequentissima, & maximè si cõiectura sumitur de futuro, vt in deliberatione. Exempla reperies infinita & in historiis, & in concionibus, & in omni ferè sententia.

LATOMVS. Maximam autem facit fidem ad similitudinem veri.) Exemplum est, vt Antoniũ centuriones Brũdusij in conspectu vxoris occidisse, ergo inimicus suis Romæ parsurum non esse. Similitudo, vt pro Cluentio, Iam hoc ignoratis iudices, vt etiam bestiæ fame dominante plerunque ad eum locum vbi pastæ aliquando sint, reuertantur? Deinde adiungit exemplum de iudicio bonorum Safinij Atellæ, quod cum Stalenus corrumpendũ suscepisset, pecuniam suppresserit. Eiusdem generis est pro Sestio, vbi nocendi facultas etiam ignauis magistratibus ostenditur, Sed ita est iudices, vt si gladium paruo puero, aut si imbecillo seni, aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat: sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsa vel ferri viribus vulnerare: ita cùm hominibus eneruatis atq; exanguibus consulatus tanquam gladius esset datus, qui per se pungere neminem vnquam potuissent, hi summi imperij nomine armati Rempub. trucidauerunt. Fabula est res ficta, nec verisimilis, ad mores pertinens, vt apologi Aesopi. Hoc genere sæpe vtitur Horatius: nam in Cicerone non occurrit exemplum, sed Epist. lib. 1. apud Horatium est,

Quòd si me populus Romanus fortè roget, cur
Non vt porticibus sic iudiciis fruar iisdem:
Aegroto vulpes quondam quod cauta leoni
Respondit, referam, quia me vestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Quibus verbis negat se ciuilibus rebus implicari velle, quòd multi in iis perierint. facit credibile à fabula. Eiusdem generis est dissidium illud membrorum apud Liuium in oratione Menenij Agrippæ, qui plebem dissidentem à patribus, & in monte sacro sedentem, collatione fabulosa ad concordiam reuocauit.

LEODECARIVS. Maximam autem.) Et oratores, & historici, & poëtæ, vsurpant apologos, & fabulas, & parabolas ad probandum.

COMMENTARIVS. Maximam autem.) Adiicit locos qui minus proprij coniecturæ videntur, quàm superiores, & tamen valent ad eam probandam. Cæterum sub exemplo exemplũ verum & fictum intelligere par est. Similitudine quoque, parabolam, & αἴνιγμα, id est imaginem: sub fabula non solùm poëticas fictiones, sed etiam apologos. Exemplum.) Vt non dandos esse corporis custodes Dionysio, quia Pisistratus impetratis à populo Athenensi custodibus, tyrannidem inuasit.

C. F. Quid? definitionis quæ ratio est, & quæ via? C. P. De definitione.
Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur,

Definitio ex quibus constet.

Definitionum species.

& proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid sit elucceat. Sed quoniam de propriis oritur plerunque magna dissensio, definiendum est sæpe ex contrariis, sæpe etiam ex dissimilibus, sæpe ex paribus. Quamobrem descriptiones quoque sunt in hoc genere sæpe aptæ, & enumeratio consequentium, in primisque commouet explicatio vocabuli, ac nominis.

STREBAEVS. Quæstio quid est, in ordine secunda, per definitionem explicatur: quo sensu definitio venit in iudicium. Nam quum tota vis explicandæ causæ sit in definitione, eiusque cõfirmatione, non immeritò genus illud causæ ab eo quod præcipuum est, definitio nominatur. Quare miror haud defuisse recentiores, qui tanto viro obstreperent, quum diceret in iudicium venire definitionem. Est autem definitio (vtar Quintiliani verbis) rei propositæ propria & dilucida, & breuiter comprehensa verbis enunciatio. Ab Aristotele primo libro Topic. sic finitur, Definitio est oratio quæ quid res sit significat. Conficitur à genere, & à differentia, quam vocant essentialem, si modò nominari potest: quod perraro contingit: vt, animal est corpus animatum sensu præditum. homo est animal rationale. pecus est animal rationis expers. Sunt istæ propriæ definitiones, ac breuissimæ: sed adeò paucæ, vt oratori copiam quærenti nunquam ferè respondeant. Quamobrem differentiam tacet Cicero, proprietatem generi coniungit, qua etiam differentiam aliquam accidentariam complecti possumus. Nam res à rebus etiam proprietate distinguuntur: & latè patet differentia accidentaria, vt ostendit Porphyrius: & proprij nomen esse multiplex scribit Aristoteles quinto libro Topic. Omnis autem differentia aut in substantia est, aut in accidente. Illam genere possis includere, sicut Aristoteles: hanc communibus accidentibus, de quibus hic facit Cicero mentionem. Quid? in re quæ videtur ambigua, si fero sententiam, calumniatores arripiunt alium sensum, vt turbæ puerorum sapere videantur. Definitiones ex genere & proprietate: vt, ignis est elementum calidissimum, est ignis proprium calere. Ales est animal volatile. Sacrilegium, sacri direptio. Tyrannicida, tyranni percussor accepto consilio Reipub. liberandæ. Rhetorice est bene dicendi scientia, Grammatice loquendi, Dialectice disserendi, Physice causarum naturalium. Prudentia virtus est intelligendi, longa experientia quæsita. Eiusmodi finitiones ex genere & proprietate quadam multæ reperiuntur. Quòd autem propria ad communia referuntur, annectit secundum finiendi genus à cõmunium frequentia, ex quibus proprium quid sit eluceat. Vtamur Ciceronis exemplo in Topicis: Hæreditas est pecunia: commune adhuc, multa enim genera sunt pecuniæ. Adde quod sequitur: quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Nondum est definitio: multis enim modis sine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. Vnum adde verbum, iure: iam à communitate res disiuncta videbitur: vt sit explicata definitio sic, Hæreditas est pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure. Nondum est satis, adde, nec ea aut legata testamẽto, aut possessione retenta: confectum est. Hæc duo, inquit Boëtius, non sunt in substantia definitionis, quamobrem definienti non exactè atque perfectè, sed interpretandi causa, inchoatè & imperfectè, reliqua satis sunt. Nolo quas trado definitiones subiici limæ dialecticorum, qui tam multa tradunt de finitione ex genere & differentia maximè propriè dicta: de cæteris aut nihil, aut perparum. Rhetoribus aut obmutescendum, aut agendum liberius. Tradit alia definitionum genera, propterea quòd de propriis oritur plerunque magna dissensio: quoniam quid sit cuiusque rei proprium, sæpe dubitatur, vt an lucere & calere sint ignis propria? propriúmne sit oratoris argumentari, ánne dialectici? amici fauere? senis agere parce? meretricis exigere? serui fallere? lenonis blandiri? amatoris polliceri? Vnde Quintilianus ita subscribit, Sapissimè autem quid sit proprium cuiusque, quæritur: vt si propriũ tyrannicidæ negemus tyrãnum occidere, quia si carnifex eum occidat, non sit tyrannicida, neque si quis imprudenter occidat. Ad eas dissensiones euitandas aliquando finiemus ex cõtrariis. Horatius in Epistolis, Virtus est vitium fugere, & sapientia prima, Stultitia caruisse. Iustus, qui neque sibi neque alteri sit

iniurius. Prudens, qui non decipitur ignoratione rerum quas nosse oportet. Aliquando ex dissimilibus: Rex est qui pietate & iustitia in suos vtitur, Tyrannus qui iniustitia & crudelitate. Sunt definitiones, vt ipse testatur in Topicis, partitionum: vt, Ius ciuile est quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum authoritate, edictis magistratuum, more, æquitate, consistit. Tamen quia dissimilia proposuit, quibus ex aduerso parta respondent, legamus ex paribus, non ex partibus. Nam & Quintilianus comparationes prodesse finitionibus dicit. Et si definimus à dissimili, id possumus à pari: vt, cõtinentia est in rebus nostris, quod abstinentia in alienis: per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Definitiones omneis, præter eam quæ constituitur genere & differentia, quidam putant esse descriptiones: in quo mea sententia falluntur, saltem verbis abutuntur. Non videt hic octo definiendi species Ciceronem facere, & à reliquis partibus descriptiones separare, quia vocet descriptiones, personarum rerúmque fusas & apertas explicationes, quibus omnia diluciditus exprimuntur, quæ sunt definitiones συμβεβηκότων ex accidentium congerie. Nec obest eas descriptiones figuras videri. Alia ratione sunt figuræ, alia ratione sunt earum rerum quas definire volumus, explicationes. Quòd si qualitates ostendunt quale sit potius id quod definitur, quàm quid sit, id ne te moueat. Ex qualitatibus enim rerum natura persæpe cognoscitur. Et hoc contendit orator apertè demonstrare, quod explicandum suscepit: quod quia facere non potest illa subtili & ad morem dialecticorum formata definitione, ac præcisa comprehensionis necessitate, ideo latius fundit orationem: & vt intelligãt omnes, hoc assequitur euidenti rerum descriptione. De quo Fabius, Rarissima, inquit, apud oratores reperietur illa ex consuetudine philosophorum ducta seruitus. Est enim certè seruitus, ad certa se verba adstringendi. Ergo si, quid sit lædere maiestatem, definire voles, vtilius erit explicare multis, qui lege, qui consuetudine, qui sermonibus hominum dicantur lædere maiestatem: quæ vis ea sit verbi, quæ ratio, quæ natura: vtilius erit, inquam, hæc explicare, quàm circunscriptam breuémque implicare definitionem. Cicero de Oratore libro secundo, Quantum vterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatauit, quid esset maiestatẽ minuere. Etenim definitio primùm reprehenso vno verbo aut addito, aut dempto, sæpe extorquetur è manibus: deinde genere ipso doctrinam redolet, exercitationémque penè puerilem: tum & in sensum, & in mentem iudicis intrare non potest. Hæc ille. Ex quibus intelligas Oratori magis conuenire descriptiones, quàm Dialecticorum definitiones. Sic Sallustius Catilinã describit, Annibalem Liuius, Pisonem Cicero, Famem Ouidius, Parasitum Terentius. Sic explicat quid sit afferre vim, Cicero in oratione pro Cecinna. Definimus enumeratione consequentium, quum quæ necessariò, vel tanquam necessariò consequuntur, enumeramus ad explicandum quid sit vnde prodeunt. Etenim ex prioribus posteriora, & ex posterioribus priora monstrantur. Hoc definiendi genere vtitur octaua Philip. Dum Brutus oppugnatur, non est bellum? Mutina obsideturne hoc quidem bellum est? Gallia vastatur, Claternæ recepta est, fugati equites, prælium commissum, occisi aliquot, delectus tota Italia decreti: sublatis vacationibus, saga cras sumentur: vtrum hoc bellum non est? Enumerauit ea quæ bellum susceptum consequi solent: quæ si posita sint, necesse est esse bellum. Consequentia quidem Cicero dicit ea quæ rem necessariò consequuntur: tamen adiuncta etiam consequentia dicuntur: nec incommodum est in enumeratione posuisse vel adiuncta, vel consentanea, quanquam fortiora sunt necessaria. Si mortuus est homo, neque spirat, neque vllam sentiendi facultatem habet. Postremum definiendi genus est explicatio vocabuli ac nominis. Cicero eãdem octaua Philipp. Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanta, vt non maior timor oriatur? vnde etiam nomen ductum est tumultus. hæc ille. Tumultus est timor multus, & tantus, vt non maior timor oriatur, quia est omnium maximus. Ergo quia definitio est locus, & ex ea ducitur argumentum, & hic singulorum statuum proprij loci designantur, hæc de definitione tradita sunt, quæ iuuatur à contrariis, à dissimilibus, à paribus, à notatione, ab enumeratione: qui quidem loci per se sunt, sed tum iuuant definitionem, quam materiam definiendæ rei præstant.

LATOMVS. Quid? definitionis quæ ratio est, & quæ via?) Definitionem intelligit quæstionem quid est, quæ definiendo explicatur, vt cum quæritur quid sit sacrilegium, quid maiestas, quomodo vtrunque definiendum, vt, sit ne sacrilegium surreptio pecuniæ de loco sacro, an aliter definiendum sit. Ea declaratur genere & proprietate, quam differentiam vocat Aristoteles, vt Rhetorica est bene dicendi scientia. Sed cum proprietas deest, vtimur cõmunium frequen-

tia, ex quibus proprium quid sit, eluceat: vt, Hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad aliquem peruenit iure, eáque nec legata testamento, nec possessione retenta. Sed quoniam de propriis oritur plerunque magna dissensio.) Proprietas si vera est, veram definitionem efficit, sin cõtrà, falsam: quare tota ferè disputatio circa eam versatur. Habet enim magnam obscuritatem in rerum natura: suntq; qui nullam veram ac propriam teneri putant, sed sumi pro vera, quæcunque proximè accedat. Itaque non sufficit breuis illa & circuncisa definiendi formula, quæ à Dialecticis traditur, cum alius aliam ferè proprietatem afferat, sed definiendum est planius, & quid sit res pluribus sæpe verbis demonstrandum. Itaque definiemus non solum ex genere & proprietate, sed etiã ex contrariis, dissimilibus, paribus, & interim descriptiones adhibebimus, & enumerabimus consequẽtia, & interpretatione vocabuli ac nominis vtemur, quæ omnia tam nõ vnam definitionem efficiunt, certa lege comprehensam, vt apud dialecticos, sed latius vagantur, & longa disputatione quæstionem explicant. Id fiet igitur ex cõtrariis hoc modo. Etenim cum inter bellum & pacem medium nihil sit, necesse est tumultum, si belli non sit, pacis esse. quo quid absurdius dici, aut existimari potest? Philippica octaua. Item Horatius,

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima,

Stultitia caruisse. Ex similibus, Si quis nauim in qua ipse vehitur, cum possit in tempestate nõ seruat, nónne idem in patria si fecerit, proditor meritò appellabitur? Quæ vera similitudo est secundũ Agricolã, & in docendo valet plurimum, parũ in probando. At Cicero similitudinem cum exemplo & paribus confundit, quemadmodum suprà in locis explicandis, & in Topicis admonuimus. Itaq; à simili ei est, Ergo Annibal hostis, ciuis Antonius? quid ille fecit hostiliter, qd hic aut nõ fecerit, aut nõ faciat, aut nõ moliatur & cogitet? totũ iter Antonij quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, cædes, rapinas? quæ nõ faciebat Annibal, quia multũ ad vsum reseruabat. A dissimili autem, Non eundem esse exulem, & patria expulsum, quoniam exilium delicti pœna sit, se benemeritum de Repub. vi & armis expulsum fuisse. Et pro Cluentio, Censoriam notam non esse iudicium, quoniam in iudicem consentiat litigator, in censorem non consentiat is qui notetur. Eodem modo ex repugnantibus fit, vt ipse tradit in Topicis, vbi plures locos definitioni attribuit. vt, Etsi ille nullo modo consul, vel q; ita viuit, vel quòd ita Rempub. gerit, vel quòd ita factus est. quæ repugnãt consulatui, & sub differentibus vel dissimilibus comprehendi possunt. Ex paribus definitio est, Si tutoris est fidem præstare, & procuratoris. Si fortem virum appellas qui hostem occidit, ergo & qui malum ciuem. Si liberatorem patriæ, qui tyrannum, ergo & qui malum tribunum. Quæ vice versa refelli possunt à dissimili, Non idem esse malum ciuem quod hostem occidere: quòd hic armis vincẽdus sit, illum in iudiciũ vocare possis. Nec idem esse tribunum seditiosum, quod tyrannum necare: quòd illum priuatum accusare possis, hunc non possis: ille legibus sacer sit, hic legibus inimicus. Sic pro Cecinna ex pari, vel potius à maiori ipse definit hoc modo, Ego exercitus maximos sæpe pulsos & fugatos esse dico terrore ipso, impetúque hostium, sine cuiusquam non modò morte, verumetiam vulnere. Etenim Recuperatores non ea sola vis est, quæ ad corpus nostrum vitámque pertinet, sed etiam multò maior ea quæ periculo mortis iniecto formidine animum perterritum loco sæpe & certo de statu dimouet. Itaq; saucij homines cùm corpore debilitantur, animo tamen non cedunt, &c. quibus verbis probat vim factam esse animo perculso, etiamsi corpus tactum non sit. Descriptiones ex rebus adiunctis & consequentibus fiunt, vt famæ apud Virgilium, 4. Aeneidos,

Fama malum quo non aliud velocius vllum,

Mobilitate viget, virésque acquirit eundo: & quæ sequuntur. Sed ibi definitur ornandi causa. Docẽdi autem gratia in orat. pro Sestio, de popularibus & optimatibus. vbi cum breuiter definisset, qui essent populares, qui optimates, eandémque in rem exemplis vsus esset, postea describit his verbis: Itaque temporibus illis qui populares erant, offendebant illi quidem apud graues & honestos homines, sed populi iudiciis atque omni significatione florebant. His in theatro plaudebatur, hi suffragiis quod contendebant, consequebantur, horum homines nomen, vultum, incessum amabant. Qui autem aduersabantur ei generi, graues & magni homines habebantur, sed valebant in senatu multum, apud bonos viros plurimum, multitudini iucundi non erant, suffragiis offendebatur sæpe eorum voluntas, plausum verò etiam si quis eorum aliquando acceperat, ne quid peccasset pertimescebat. Enumeratione consequentium definimus, cum ex rerum adiun-

ctarum consequentiúmque frequentia quid sit ostenditur, hoc modo: Dici in hac causa potest, vbi arma fuerint, vbi hominum multitudo, vbi instructi, & certis in locis cum ferro homines collocati, vbi minæ ac pericula, terroréſque mortis, ibi vim non fuisse? pro Cecinna. Et in Antonium, Philip. 8. bellum esse cum tumultus sit, Dum Brutus oppugnatur, non est bellum? Mutina obsidetur, ne hoc quidem bellum est? Gallia vastatur, quæ potest pax esse certior? Illud verò quis potest bellum non esse dicere, quo fortissimum virum cum exercitu misimus? Et paulò pòst, Deieci præsidium, Claterna potitus sum, fugati equites, prælium commissum, occisi aliquot, quæ pax potest esse maior? delectus tota Italia decreti sublatis vacationibus, saga cras sumentur, Consul se cum præsidio descensurum dixit. Vtrum hoc bellum non est? an etiam tantum bellum, quantum nunquam fuit? quæ omnia sunt ex consequentium enumeratione. Explicatione nominis ipse quoque in eadem orat. vtitur, Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanta, vt timor maior oriatur? vnde etiam nomen ductũ est tumultus. Itaque maiores nostri tumultum Italicum, quòd erat domesticus, tumultum Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabãt. Sic in officiis fidem, quia fiat quòd dictum est, à veteribus dictam fuisse dicit.

LEODEGARIVS. Quid? definitionis.) Definitio ostendit quid sit quod definitur: descriptio autem quale sit.

COMMENTARIVS. Quid? Definitionis, &c.) Cicero in Topicis locos ait esse ad probandam definitionem, antecedentia, consequentia, adiuncta, repugnantia, similia, dissimilia, contraria, paria. eosdem locos hic attingit. Non dubium.) Primus locus ad probãdam definitiuam quæstionem est definiendi peritia, quæ petenda est à dialecticis. Eorum autem duas præceptiones adiicit. Fabius tamen existimat oratorem non esse astringendum ad dialecticorum seruitutem, eúmque debere potius copiosa vti definitione, quàm breui, more dialecticorum. Ex quibus, &c.) Hæ duæ definiendi rationes apud Aristotelem habentur lib. 6. Topic. Itaque cùm possumus, vna proprietate contenti sumus: si eius nõ est occasio, multa solemus addere quibus sensim rem à communitate separamus, eousque dum efficiatur aliquid proprium: quod præceptum est apud Ciceronem in Topicis. Ex contrariis.) Fabius lib. 7. copiosè explicat quo pacto de propriis sit controuersia: qui locus hunc explicat. Definitio est à cõtrario, quam dialectici vocant per ἀντιθετικόν, vt virtus est vitij fuga: seruitus est amissio libertatis. Dissimilibus.) Hic locus est quem Aristoteles lib. 7. Topic. vocat de vno & alio. Dialectici hanc definitonem vocare solent per διαφορὰν, id est, differentiam: vt si ostenderes quantum intersit inter amicum & adulatorem, regem & tyrannum. Quamobrem descriptiones.) Descriptionem vertit Cicero ἐπογραφὴν, ac sic ipsam quoq; appellat in Topicis. Fit autem descriptio per enumerationem multorum accidentium atque proprietatum. Dialectici hanc vocare solent definitionem oratoriam.

Explicatio vocabuli.) Definitio est à notatione, quam etymologiam appellant: sed eius rara est occasio. Sic tumultum dixit Cicero bellum grauissimum, ex timore multo. est vsus etymologia, quia dixit tumultus, veluti ex timore multo.

C. F. Sunt exposita iam ferè ea quæ de facto, quæque de facti appellatione quæruntur. Nempe igitur ea restant, quæ, cum factum constet, & nomen, qualia sint, vocatur in dubium. *De statu qualitatis.*

C. P. Est ita vt dicis. C. F. Quæ sunt igitur in eo genere partes? C. P. Aut iure factum depellitur, aut vlciscendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomine, aut denique necessitate, inscitia, casu. Nam quæ motu animi & perturbatione facta sine ratione sunt, ea *Species qualitatis. Relatio. Remotio. Purgatio.*

in liberis disceptationibus habere possunt. Hoc in genere, in quo quale sit quæritur, ex controuersia, iure & recténe actum

sit, quæri solet: quorum disputatio ex locorum descriptione sumenda est.

STREBAEVS. Facti coniectura quæritur: facti nomen & appellatio, definitione. Tertius est status qualitatis. Is est duplex, vnus absolutus, quo iure facti depellitur, tanquã per se probabile, hoc est, ad facti defensionem nihil extrinsecus assumitur: vt Cicero fatetur Ligarium in Africa fuisse, quod ipsa rei natura non erat improbandum. Alter est κατ' ἀντίληψιν, à Latinis dicitur assumptiuus, in quo factum per se improbabile, assumptis extrinsecus auxiliis tuemur: vt, Clodium insidiatorem Milo iure interemit. assumitur insidiarum crimen, vt factum iure videatur, quod alioqui non licebat. Hæc assumptiua pars iterum multiplex. Aut enim assumit in defensionem causam doloris vlciscendi, quando crimen alterius facti causa tuemur, nostraq; defensio cõstat eius accusatione, qui vindicatur: vt, Occisus est Clodius, qui vim inferebat. Hæc relatio criminis appellatur, aut translatio. Aut assumit pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomen, id est, factum tuetur ex aliqua vtilitate Reipub. aut hominum multorum, aut ipsius aduersarij. Hæc remotio criminis est dicta. Differt à relatione, quòd illa causam tuetur ex cõtrario facto, hæc ex vtilitate defensionem suscipit: vt si Nasica fateatur à se occisum esse Tyberium Gracchum, si Brutus Cæsarem, idque pietatis, religionis & patriæ nomine, simul vtetur & relatione criminis, & remotione, quia dominationis afferet crimen, cædemque Reipublicæ commodis adiunget. At si quæ mandata legatus acceperat, haud exposuit, reus factus vtilitate nitetur, quòd exponi talia nõ expedire patriæ duxerit. Si Trebonius miles excusset à se factam cædem, pudicitiæ nomine remouebit crimen. Assumitur etiã necessitas, inscitia, casus. Purgationem vocat libro de Inuentione. Necessitas, vt si quis obire munus ingraueſcente morbo non potuit. Inscitia, id est ignorantia, vt si tenueris alienum, quod putaras esse tuum. Casus, vt si cupiens in sylua confodere feram, imprudenter hominem conficiat: siq; ludo certans, aduersante fortuna concertatorem interimat. Colligamus paucis, Qualitas est absoluta, cùm iure factum depellitur. Relatio criminis, quum factum depellitur vlciscendi doloris gratia. Remotio criminis, quum pietatis, aut religionis, aut patriæ nomine factum defenditur. Purgatio siue cõcessio, quum ducitur in defensionem necessitas, inscitia, aut casus. Postrema Deprecatio, quia minus est in ea præsidij, minusque firmamentiꝛ ea tum necessaria, quum quid fecimus motu animi & perturbatione sine ratione, veniámque deprecamur. Et hæc, inquit, defensionẽ contra crimen in legitimis iudiciis non habet, quòd ordinarij iudices & legibus & iureiurado atque religione teneantur: sed in liberis disceptationibus, quum qui disceptat atque cognoscit, legibus est solutus: vt Rex, vt populus vniuersus, misereri quidem potest, ac veniam dare supplicanti, qui omni præsidio relictus ad vnam confugit misericordiam. Altera est deprecatio iuncta defensioni, in omni ferè iudicio perutilis, & in peroratione frequens. Posteaquam partes generis huius ostendit, vt locos ad confirmationem monstret, hoc addit, ex controuersia naturáque quæstionis huius quæri solet, Sine actum iure, hoc est legibus, & iure ciuili, recténe, hoc est ex æquo & bono. Quorum duorum disputatio ex locorum descriptione sumenda est, tum ea quæ principio digerit locos Rhetoricos, tum ea quæ postea tradetur in explicatione causarum forẽsium. Ex his enim multa repetentur in tribus illis generibus dicendi, quia se mutuis auxiliis omnia iuuant.

LATOMVS. Quæ sunt igitur in eo genere partes?) Qualitatis partes duæ sunt, vna absoluta, cùm iure factum depellitur, vt hostem, furem nocturnum proscriptum, interfectum esse. Altera assumptiua, cum vt rectè factum defendatur, causa assumitur, eáque aut doloris vlciscẽdi, vt insidiatorem cæsum esse: aut pietatis, vt parentem, fratrem, propinquum defensum esse: aut pudicitiæ, vt adulterum, raptorem punitum esse: aut religionis, vt sacrilegum interemptum: aut patriæ, vt proditorem, tyrannum, seditiosum interfectum esse. Necessitate denique causamur aliquid factum esse, vt fœdus Numantinum, pactio Caudina. Inscitia, vt si ciuem pro hoste imprudens interemeris. Casu, vt si in feram taculatus, hominem percusseris. Has species assumptiuas alij in relationem, comparationem, remotionem, & purgationem diuidunt: vt relatio sit in dolore vlciscendo: comparatio in pietate, pudicitia, religione, patria tuenda: remotio & purgatio in necessitate, inscitia, & casu versentur. Nam quæ motu animi & perturbatione.) Motus animi vehe-

mentiores necessitatem habere videntur, sed non est ita, quia voluntarij sunt. Itaque ia legitimis iudiciis & apud iuratos iudices defensionem non habent, apud principem, vel populum, vel senatum habere possunt. Hi enim non iudicant legibus, sed liberi & iniurati sunt: itaque ignoscere possunt, vt Cæsar Ligario, quam causam egit Cicero sola ferè deprecatione vsus. At pro Milone, & pro Sestio, rectè factum defendit, deinde extremo loco deprecationem adhibuit. Itaque intelligendum est in legitimis iudiciis solam deprecationem non valere: in cæteris ita valere, si quasi ex abundanti addatur ad commouendos iudices.

LEODEGARIVS. Sunt exposita.) Transitum facit à statu coniectura, & definitionis, ad statum qualitatis, de quo suprà egimus. Iure.) Leges enim ciuiles excusant, quod iure factum est. vide legem, vt vim. ff. de iustit. & iure. Vlciscendi doloris.) Vt quum maritus vlciscendi doloris causa occidit adulterum, iure facit. l. marito. ff. ad legem iul. de adult. & stupro.

COMMENTARIVS. Quæ sunt igitur.) Hoc loco Cicero tractat diuisionem qualitatis, quæ ad confirmationem pertinet, quia qualitas rationem petit, vt fiat indicatio. Præterea addit demum petendã esse qualitatis confirmationem à locis Topicis, quos initio descripsit. Fabius addit quasdam esse qualitates, quarum cõfirmatio petatur à cõiectura locis. Quæ autem de statu Cicero ait, referuntur ad iudiciale genus. Aut iure.) Breuiter attingit partes omnes qualitatis, pars prior appellatur αὐτόλυσις, id est defensio, vel absoluta qualitas: altera vocatur αὐτίθεσις, id est oppositio, aut qualitas assumptiua, cuius pars est relatio criminis, id est αὐτέγκλημα, eã partem significauit per dolorem vlciscendũ. Altera pars est comparatio criminis & remotio, quam significat per pietatem, pudicitiam, & cætera. Vltima pars est purgatio, quam innuit per necessitatem &c. Pietas est cultus tribuendus consanguineis. Inscitia.) Vt in Scæuola, qui loco regis scribam interfecit. Nam quæ motu animi.) Cicero in Topicis animi permotionem cuidam necessitati tribuit. paulò antè in coniectura tribuebat imprudẽtiæ. Attamen motus illi (quia sunt voluntarij: his enim ratio & voluntas imperat) in iudiciis defensionem efficere non possunt. Ea defensionem contra &c.) Deprecatio, qua crimen confitemur, & tamen petimus vt nobis ignoscatur, si modò ea tota defensio causæ nititur, locum habere non potest apud illos iudices qui pronunciant ex legum præscripto. Habere potest locum apud eos quibus potestas est supra leges, vt in senatu, vt apud principes, vt apud populum. Altera est deprecatio qua vtimur in parte causæ, vt cum probabimus iure factum fuisse, addimus nõnunquam ex abundanti, etiamsi iniuria factum fuisset, ignoscendum tamen fuisse. Iam verò perorationes magna ex parte constant deprecatione. Hæc Fabius libro septimo. Hoc in genere.) Quæstio latius patet, sed cùm ea cadit in causam iudicialem, ad ius & iniuriam astringitur. Iam verò post qualitatis diuisionem addit eius confirmationem, quæ petenda est ex locis Topicis. Iam verò huc faciunt illa quoque quæ postea tractaturus est in explicatione causarum, cùm partes explicabit.

C. F. Agesis ergo quoniam in confirmationem & reprehẽsionem diuiseras orationis fidem, & dictum de altero est, expo ne nunc de reprehendendo. C. P. Aut totum est negandum quod in argumentatione aduersarius sumpserat, si fictum aut falsum esse posis dicere: aut redarguẽda ea quæ pro verisimilibus sumpta sunt. Primùm dubia sumpta esse pro certis: Deinde etiam in perspicuè falsis eadem posse dici: tum ex iis quæ sumpserint, non effici quæ velint. Accedere autem oportet ad singula: sic vniuersa frangentur. Commemoranda sunt etiam exempla, quibus simili in disputatione creditum non sit: conquerenda conditio communis periculi, si ingeniis hominum

De refutatione.

criminosorum sit exposita vita innocentium.

STREBAEVS. Quæ ad faciendam fidem pertinent, in confirmationem & reprehensionem diuidantur. Dictum de altera, nunc exponenda reprehensio, siue refutatio. Qui refellit aduersariũ, aut ficta falsáue negat, aut redarguit ea quæ pro verisimilibus sumpta sunt, in quibus aduersarius arbitratur esse firmũ præsidiũ. Extra hæc duo nihil est. Nã si quem reprehẽdimus, aut negamus ab eo dicta, aut admittimus. Sic cõstituũtur duæ partes. Si quid admittimus, id à causa nostra tribus modis amolimur. aut enim certum est, aut dubium. Si dubiũ, contemnimus, eludimus. Si certum, dicimus aut in perspicuè falsis idem posse dici, aut ex eo non effici, quod velit aduersarius. In hæc genera reprehensiones omnes cadent. Aristoteles 8. Topic. Quod simpliciter est improbandum, quódque simpliciter nõ videtur probabile, & quod minus probabile conclusione, nõ est ei qui respondet, admittendũ. Ibidem de refutatione multa dicit: sed hæc proposito sunt accommodatiora. Proponamus exempla. Si erit palàm falsum, negare satis est, inquit Fabius: vt pro Cluentio Cicero, eum quem dixerat accusator epoto poculo cõcidisse, negat eodem die mortuum. Ficta sunt pro Sext. Roscio, Postq̃ isti intellexerunt summa diligentia vitã Sexti Roscij custodiri, neque sibi vllam cædis faciundæ potestatem dari, consilium ceperunt plenum sceleris & audaciæ, vt nomen huius de parricidio deferrent. Est alia quidem ratio falsi, alia ficti. Comœdias fictas, non itidem falsas dicimus. Contrà sunt argumenta falsa, quæ non dixeris esse ficta: quamobrem à Cicerone diuiduntur. Dubia pro certis assumuntur, vt qui Cluentij nomen detulerunt, nitebantur argumento tanquam necessario, iudicium pecunia fuisse corruptum, non ab Oppianico, qui damnatus esset, sed à Cluentio qui vicisset. Cicero trahit in dubium, facitque verisimile, ab Oppianico, quanuis postea damnato, iudicium pecunia tentatum. Idem pro Sexto Roscio sic refellit aduersariorum crimina, vt eadem conuentre dicat accusatoribus, etsi putant perspicuè falsum videri Roscium ab se de medio sublatum. Idem pro Cluentio, ex iis quæ sumpserant aduersarij de nota Censoria, demonstrat non effici quod velint, Cluentiũ pecunia circumuenisse innocentem, sed à veritate deuiasse Censores. Hic tria sunt de refutatione præcepta. Primum Quintil. interpretatur. Quæ turba valebunt, inquit, diducenda erunt, quod paulò antè dixi. Eras hæres, & pauper, & magna pecunia appellabaris à creditoribus, & offenderas, & mutaturum tabulas testamenti sciebas. Vrgent vniuersa: at si singula quæq; dissolueris, iam illa flamma quæ magna congerie conualuerat, diductis quibus alebatur, concidet. Alterum commune præceptum de exemplorum commemoratione tractat in oratione pro Roscio Amerino, vbi narrat Cœlij Tarracinẽsis adolescẽtes filios iudicio absolutos, & suspicione omni liberatos, quorum nomina de parricidio delata fuerant, quia neque seruus quisquam reperiretur, neque liber ad quem ea suspicio pertineret, præter duos adolescentes filios, qui cum patre iugulato dormierant: in qua disputatione actoribus creditum non est. Deinde locus est communis, in quo conquerenda, id est, deplorãda cõditio communis periculi, si ingeniis hominũ criminosorũ, qui sunt accusatores in falsum crimẽ proniores, sit exposita vita innocẽtium, quod idẽ in oratione pro Quintio facit. Quintus Hortensius, qui hoc iudicio partes accusatoris obtinet, contra me dicturus est, cui summam copiam facultatémq; dicendi natura largita est. Ita fit, vt ego qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, quum etiam telum aduersarius nullum iecerit; illis autem id tempus impugnandi detur, quum & vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit, & si qua in re, id quod parati sunt facere, falsum crimẽ quasi venenatum aliquod telum iecerint, medecinæ faciendæ locus non erit. Hic & de conditione causæ, & accusatoris ingenio, & periculo imminente conqueritur.

LATOMVS. Si fictum aut falsum esse possis dicere.) Fictum plus est quàm falsum, nempe quod commentitium est: falsum ab errore profectum, vt ficti rumores in Milonem, falsæ de eodem Pompeij suspiciones. Sic finxerant in Sex. Roscium argumenta criminis accusatores, & patri inuisus fuisset, quòd pater eum exhæredare voluisset: falsa erat opinio hominum de innocẽtia Oppianici, item falso crimine Iuniani iudices damnati fuerant. Primum dubia sumpta esse pro certis.) Dubia, id est, verisimilia, sed incerta, nec confessa, vt Milonem sperasse commodum ex morte Clodij, Sex. Roscium à patre odij causa rus ablegatum fuisse, quæ non solùm vt dubia reprehenduntur in eisdem causis, sed etiam in contrarium vertuntur. Deinde etiã in perspicuè fal-

sis eadem posse dici.) Vt pro Roscio, multos filios familiàs, qui parentibus charissimi sint, ruri haberi: & cõtra spem vtilitatis dicemus, Eandè suspicionẽ in quẽuis innocentissimũ conferri posse.

Tum ex iis quæ sumpserint, non effici quæ velint.) Vt, Non quisquis commodum speret maleficio se obstringere: nec si negligẽtius habuerit filium Roscius, idcirco illum exhæredaturum fuisse: neque si id sciret ac metueret filius, tamen ea causa parentem interfecturum fuisse. Commemoranda sunt etiam exempla.) Tale est in eadem defensione Roscij de duobus adolescentibus, apud quos cum pater in eodem cubiculo mortuus repertus esset, illi autem dormientes, creditum non sit eos paternæ necis conscios fuisse, itaque iudicio absolutos. Conquirenda conditio communis.) Quod fit in eadem Roscij causa, vbi monetur improbitati & licentiæ calumniatorum resistendum esse, propter commune periculum: idq; exaggeratur à tempore.

LEODEGARIVS. Agesis ergo.) Reprehensio, quæ refutatio, & confutatio dicitur, pars est difficillima. Nam semper creditu est laboriosius esse defendere quàm accusare. Primum quòd (vt ait Fabius) accusatio sit simplicior. proponitur enim vno modo, variè dissoluitur, cum accusatori satis sit plerunque verum esse quod obiecerit, patronus neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, auertat, despiciat, derideat. Accusator præmeditata pleraque domo affert. Patronus etiam inopinatis frequenter occurrit: accusator dat testem, patronus ex re ipsa refellit: accusator criminum inuidia, & si falsa sit, materiam dicendi trahit, de parricidio, sacrilegio, maiestate, quæ patrono tantùm neganda sunt. Ideóque accusationibus etiam mediocres in dicendo suffecerunt: bonus defensor nemo, nisi qui eloquentissimus fuit. Nam tanto est accusare quàm defendere, quanto facere quàm sanare vulnera facilius. Quoniam, &c.) Sic enim paulò antè dixit, nempe ea sequuntur quæ ad faciendam fidem pertinent. C.P. Ita est. quæ quidem in confirmationem & reprehensionem diuiduntur. Totum est negandum.) In refutatione aut negamus, aut defendimus, aut transferimus. Quæ neque negari, neque transferri possunt, vtique defendenda sunt, qualiacunque sunt, aut causa cadendi. Quæ neque defendi, neque transferri possunt, vtique neganda sunt. Negamus autem aut non esse factum, aut non hoc esse, quod factum sit.

COMMENTARIVS. Aut totam.) Duplicem facit argumentationis refutationem: alteram à materia petitam, alteram à forma. Materia est, quæ est in rebus quæ sumuntur, cùm aut necessariæ sunt, aut probabiles, aut dubiæ, aut certæ, aut falsæ. Forma verò est in colligendi ratione, secundum doctrinam ratiocinandi quæ præscribitur à dialecticis. Si fictum aut falsum.) Fabius quoque in capite de refutatione satis esse ait ad refutationem, si verbo negetur.

Tum ex iis quæ, &c.) Hæc refutatio reprehendit conclusionem, seu formam concludendi: quæ res ad formam argumentationis refertur, non ad materiam. hac de re videte Fabium vltimo capite libri quinti. Accedere autem.) Dixit in confirmatione, verisimilia si videntur per se exigua, esse coaceruanda vt multum possint: ergo vt debilitentur atque refellantur, separãda erunt. sic enim vis eorum perierit. Commemoranda sunt.) Hunc quoque locum opponit loco priori. Dixerat enim exempla multum posse ad verisimilitudinem: quibus quoque vtendum est in refutatione. Sic Cicero pro Roscio, vt doceret ne maximis quidem argumentis esse credendum, quibus probatur à filio parricidium factum, attulit exemplum Cloti, qui interfectus fuerat in cubiculo cùm nocte dormiret cum duobus filiis. Conquerenda conditio.) Monuit antea re probata aut refutata nonnunquam vtendum esse amplificatione. Attingit igitur crimen locum quo reus aduersus accusatorem vtetur.

C.F. Quoniam vnde inueniuntur quæ ad fidem pertinent, habeo: quemadmodum in dicendo singula tractentur, expecto. C.P. Argumentationem quærere videris quæ est argumenti explicatio: quæ sumpta ex iis locis qui sunt expositi, conficienda & distinguenda diluci dè est. C.F. Planè istuc ipsum desidero. C.P. Est ergo (vt suprà dictum est)

De argumentatione.

Argumentatio quid.

explicatio argumenti, argumentatio: sed ea conficitur, cùm sumpseris aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile per se videtur.

STREBAEVS. Quintilianus hunc secutus authorem, de confirmatione primùm, postea de refutatione, postremùm de enthymemate & epicheremate dicendum putauit: quia natura prius est inuenire quo pugnemus argumẽto, siue nostra confirmare, siue obiecta refutare cupiamus. Posterius est, ex argumenti seminario producere argumentationem. Argumentatio definitur, argumenti explicatio, hoc est, materiæ ad faciendam fidem comparatæ tractatio. Ea sumitur ex locis tum communibus, tum propriis singulorum statuum, ex quibus omnia deriuari necesse est. Argumentatio conficienda & distinguenda dilucidè est, quia argumentum propriè dictum, non confectum sed inchoatum, non distinctum sed implicatum, non dilucidum sed obscurum est. Argumentatio multo fusior explicat argumentum. Argumentum est, Ne persequare filium pater. Argumentatio est, Natura parentibus ingenuit amorem & charitatem liberorum, firmúmque vinculum propinquorum colligauit, vt patres filios, filij patres piè sanctéque tuerentur: quo fiedere, qua necessitudine deuinctus es optime parens. Ne tu igitur filium, tuúmque sanguinem multo charissimum persequare. Nónne vides vt vno verbo res eadem inuolui, & argumentatione explicari potest? Sunt qui faciunt hoc discrimen, vt sit argumentum res quæ probationi alterius adhibetur: argumentatio, argumenti elocutio: illic sententiæ, hic verba intelligãtur, quod quidem in idem recidit, quia explicatio & elocutio plura verba desiderãt, certúmque constituũt ordinem. Ad conficiendam argumentationem sumenda sunt aut non dubia, quæ certa sunt: aut probabilia, quæ si non certa, tamen verisimilia sunt. Ex indubitatis efficies & colliges id quod erat dubium, ex probabilibus minus probabilia. Hoc quale sit, explicat Quintilianus his verbis, Quum sit argumentum ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmat: necesse est esse aliquid in causa quod probatione non egeat: alioqui nihil erit quo probemus, nisi fuerit quod aut sit verum, aut videatur, ex quo dubiis fides fiat. Certum est Antonium Cæsari diadema imponere voluisse: vidit enim totus ferè pop. Rom. Ex illo conficies Antonium seruire voluisse, quod dubium videbatur. Probabile est à filio rustico frugi bonóque non interfectum patrem. Ex illo Cicero conficit, non esse Roscium parricidam, quod erat minus probabile. Dialectici materiam probandi ducunt è locis, vt à coniugatis: argumentum est. Coniiciunt in figuram aut primam, aut tertiam: argumentatio fit, & syllogismus. Assumunt autem aut non dubia, aut probabilia, quia dubia & improbabilia non facilè admittuntur, nec probant eum syllogismum, cuius pars antecedens non est apertior & notior conclusione. Idem faciunt & oratores: sed illis tractatio diuersa.

LATOMVS. Quæ est argumenti explicatio.) Argumentum res est quæ probandi causa sumitur, nempe probabile inuentum ad faciendam fidem. Argumentatio, oratio, qua id inuentum dilucidè atque distinctè explicatur, proponendo, confirmando, concludendo, quæ est confectio argumentationis. Cùm sumpseris aut non dubia, aut probabilia.) Nó dubia, sunt certa & perspicua, vt peccãdi consuetudinem fuisse in Clodio, quod manifestum erat. Probabilia sunt, per se credibilia, quanuis certa & confessa non sint, vt eundem habuisse impunitatis spem, sperasse Milone interfecto se regnaturum esse. Sic nõ dubium est quin Medea filium interemerit: probabile filios diligi a parentibus.

HEGENDORPHINVS. Cùm sumpseris aut non dubia.) Vt cùm sic colligo: Omne quod lege permittente fit, iure conceditur: Adulterum occidere, lege permittente fit: ergo adulter iure occiditur. Aut probabilia.) Probabilia sunt quæ videntur omnibus aut pluribus, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis. Ita Aristoteles libro Elenchorum primo. Exemplum: Omnia spirant quæ fistulã habent, & recipiunt aërem, author Aristoteles libro de Natura animalium sexto, cap. 12. Delphinus habet fistulam, & recipit aërem: ergo delphinus spirat.

LEODEGARIVS. Quoniam vnde.) Transitum facit ab inuentione argumentorum, ad eorum tractationem. Aut non dubia, aut probabilia.) Etenim cùm non soleat

probari ignotum per ignotius, sicut nec idem per idem, certè oportet assumere ad probationem ea quæ vera sunt, aut saltem verisimilia.

COMMENTARIVS. Quoniam vide.) Hoc præceptum commune est confirmationi & refutationi, quoniam vtraque desiderat argumenta. atque hoc loco partem iudicandi tractat, quæ quidem argumentum in argumentationem redegit, eámque argumentationem aptè tractat & collocat. Argumentationem.) Argumentum, ratio est quæ fidem facit. ea ratio oratione explicata & in partes quasdam distributa, argumentatio appellatur. Est ergo.) Dialectici aiunt omnem argumentationem aut ratiocinationem esse inductionem. Hic tamen Cicero duntaxat de ratiocinatione loquitur, quòd & vtilior sit, & inductio facillimè fiat. Cæterũ quod apud dialecticos est syllogismus, id apud rhetores est epicherema. Neque certè epicherema à syllogismo differt, nisi quòd copiosius tractetur, & plures interdum habeat partes. Quam enim affert differentiam Fabius, ea est materiæ, non formæ. Sunt hæc igitur de epicheremate intelligenda. Sed ea conficitur.) Quemadmodum duorum posuit confectionem & distinctionem, ita duo exequitur. sed confectio, quemadmodum interpretatur, ad materiam videtur pertinere, quæ est in probabilibus aut certis: Distinctio verò pertinet ad formam, vt argumentationem comprehendamus certis partibus.

Argumentandi autem duo sunt genera: quorum alterum ad fidem directò spectat: alterum se inflectit ad motum. Dirigitur, cum proponit aliquid quod probaret, sumpsitque ea quibus vteretur: atque his confirmatis, ad propositum sese retulit, atque concluit. Illa autem altera argumentatio quasi retro & contrà prius sumit quæ vult, eáque confirmat: deinde id quod proponendum fuit, permotis animis, facit ad extremum.

STREBAEVS. In argumentatione spectatur fides, & motus, vt antè dictum est: quamobrem duo facit argumentandi genera, alterum quod ad fidem, id est, rei dubiæ probationem sine affectuum ratione spectat: alterum quod se inflectit ad motum, hoc est, suscipitur magis ad mouendos animos, quàm ad simplicem propositionis fidem, quãquam plurimum adiuuat eam, sed aliud etiam spectat officium. Prior argumentatio ferè directò, non semper constituitur, hoc est, recto modo rectóque ordine digerendæ argumentationis. Dirigitur, inquit, si propositio primùm, deinde assumptio ponatur, & vtraque confirmetur, si modò confirmationis eget, deinde complexio & conclusio propositi consequatur: vt, Bonum est virtus. Nam id demum bonum est, quo nemo male vti potest: virtute nemo malè vti potest: bonum est ergo virtus. Syllogismus dicitur, quo perrarò bonus vtetur orator, quia puerile quiddam sapit, sed vtetur epicheremate paulò remotiore ab illa concisa & molesta conclusione: quæ, vt Quintilianus ait, contemptum ex humilitate, & odium ex quadam seruitate, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium parit. Epicherema est Philippica secunda, Cur prouinciæ Cassio & Bruto datæ? cur Quæstores additi? cur Legatorum numerus additus? Atqui hæc acta per te: non igitur homicidæ: Sequitur vt liberatores tuo iudicio sint, quandoquidem tertium nihil potest esse. Perus hoc modo collegisset, Prouinciæ per te Cassio & Bruto datæ: prouincias non dedisses homicidis: non igitur homicidæ, sed liberatores tuo iudicio sunt. Dicat quispiam, Súntne enthymemata argumentationes? Quædam se explicant: vt, bonum est virtus, quo nemo malè vti potest. Quædã inuoluta & implicata sunt: vt, vincetur infirmus. Hic enim in duobus verbis est propositio, atque ratio. Priora sunt argumentationes, posteriora non sunt argumentationes, sed argumenta. Nam argumentatio est argumenti explicatio. Altera est argumentatio, quæ se inflectit ad motum. ea prius sumit quæ vult, vt quæ possunt animos hominum mouere: eáque cõfirmat, si natu-

ra debilia sunt : deinde propositionem permotis animis & afficlu concitatis iacit, & impetu dicendi contorquet ad extremum. Id autem eò fit, quòd si initio rem proponeret, eámque simpliciter confirmaret, non tam vehementer arderet affectus : vt in argumentatione dialectica nullæ graues excitantur tragœdiæ, quãdo rectissimum argumẽtandi ductum prosequitur. Huiusce rei proferamus exemplum ex actione tertia in Verrem, Nam quæro abs te, circunsessúsne sis Lampsaci? cœperitne domum in qua diuersabare, illa multitudo incendere? voluerintne legatũ Pop. Rom. comburere viuum Lampsaceni? negare non potes. Hæc Cicero sumpta voluit, deinde confirmat, Habeo enim testimonium tuum, quod apud Neronem dixisti: habeo quas ad eundem literas misisti. Addit alteram confirmationẽ, Bellúmne populo. Rom. Lãpsaci ciuitas facere conabatur? deficere ab imperio ac nomine nostro volebat? Video enim, & ex his quæ legi & audiui, intelligo, in qua ciuitate nõ modò Legatus pop. Romani circunsessus, nõ modò igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publicè satisfactum sit, ei ciuitati bellum indici atque inferri solere. Hactenus confirmationes. Assumit aliud, Quæ fuit igitur caussa, cur cuncta ciuitas Lampsacenorum de concione, quemadmodum tute scribis, domum tuam concurreret? Iterum confirmat, Tu enim neque in literis quas Neroni mittis, neque in testimonio causam tanti tumultus ostendis vllam. Obsessum te dicis, ignem allatum, sarmenta circundata: Lictorem tuum occisum esse dicis : prodeundi tibi in publicum potestatem factam negas: causas huius tanti terroris occultas. Deinde quod proponendum fuerat, iacit ad extremum. Cum igitur quæ causa illius tumultus fuerit, testes à nobis producti dixerint, ipse celarit, nónne causam hãc quam nos proposuimus, tum illorum testimonia, tum istius taciturnitas perpetua confirmat? Hæc multo vehementiora, quàm si more syllogismi tractentur. Vim afferre volueras Philodami filiæ. Nam Lampsaceni non sine caussa te incendere voluerunt. Nulla est alia causa præter illam, ergo ea est. Quòd si grauiores affectus, & exempla quæris, inuenies duobus locis vbi tractamus amplificationem. Noluimus hoc argumentandi genus cum amplificatione permiscere, etsi aliquid habet commune cum illa, nec eam Cicero excludit, sed exemplum proponere robustius, amplius, & concitatius, quàm quod rectã argumentandi rationem obseruat. In quo si dicat se ipse proposuisse causam quam iacit ad extremum, non hic quidem, sed narratione superiore proposuit, nec tritam secutus est argumentandi viam, vt vehementius vrgeret aduersarium.

LATOMVS. Argumentandi autem duo sunt genera.) Directa argumentatio est, quæ propositione, confirmatione, & cõclusione constat. Sed his partibus non semper vtimur, quare ad perfectam duntaxat pertinent. Tum enim propositionem, tum conclusionem omittimus, quando vltro se offerunt, vel cum breuitati studemus. Ipse in veteri Rhetorico ratiocinationem tradit quinquepartitam, ex propositione, approbatione, assumptione, approbatione assumptionis, & conclusione. Author ad Herẽnium collectionem tradit, eámque totidem partium, vt sit in ea propositio, ratio, confirmatio, expolitio, conclusio. Sed hæc omnia ad tria redigunturEt enim summa ratiocinationis est in propositione, assumptione, conclusione, vt docet Fabius lib. 5. de Epicheremate. Collectio, vt differat à forma ratiocinationis, tamen & ipsa ad tria recidit, quæ hic ponuntur à Cicerone, vt sit quod proponatur ad probandũ, deinde probatio ipsa, postremo conclusio. Ita sub probatione ratio, confirmatio, expolitio comprehenduntur: in ratiocinatione autem approbationes succedũt iis quibus adduntur, nec nisi duo efficiunt. Sed hæc quoque duo non sunt nisi vna probatio, cui si addas ppositionẽ à fronte, & sequatur cõclusio, erit huius loci argumẽtatio. Exemplum huius est in oratione pro Milone, Quonam igitur pacto probari potest insidias Milonis fecisse Clodium? hæc propositio est, deinde probatio siue confirmatio, Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas vtilitates fuisse. & quæ sequuntur. Habet enim probatio rationem, confirmationem, & expolitionẽ siue amplificationem, quas collectionis partes esse diximus. Postremo additur conclusio, P. Clodij præturam non sine maximo rerum nouarum motu, &c. At simplicior est postea in eadem oratione, & citra collectionis partes, Sed huius beneficij gratiam Iud. fortuna populi Romani & vestra fœlicitas, & dij immortales sibi deberi putant. hæc propositio est. Deinde confirmatio, Nec verò quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim cælestem existimat, &c. Deinde conclusio, Ea vis, ea est igitur quæ sæpe incredibiles huic vrbi fœlicitates atque opes attulit. Sed breuior adhuc quæ sequitur, & sine conclusione, Non est humano

consilio, ne mediocri quidem, vsque, Nisi forte hoc etiam casu factum esse dicimus, quæ & ipsa per se argumentatio est. sed iam sine propositione & conclusione, vsque, Nisi verò non eadem. Nam variè tractatur hoc genus. sicut paulò pòst præcipietur. Inflexa ad motum argumentatio contraria priori est, & quodammodo præpostera. Nam cum omnis sit præceps & inconsultus affectus, isque exprimendus orationis genere, quod non abhorreat à natura & voluntate dicentis, nulla propositione facta statim apprehenditur id, quod valet ad incitandos animos, eóque prolato, iacitur ad extremum quod proponendum fuit, non exponendo, sed attingendo duntaxat significandóque, vt intelligatur id cui efficiendo motus adhibetur. Exemplorum omnia plena sunt, sed proferamus vnum atq; alterum ex actionibus in Verrem, in quibus hoc genus argumentationis criminũ obiectioni crebro interponitur. Septima igitur actione, expositis ciuiũ Rom. suppliciis, ipse in affectum sic prorũpit: O nomen dulce libertatis, ô ius eximium nostræ ciuitatis, ô lex Portia, legésque Sempronia. Deinde in fine tangit id ad quod instigãtur iudices, nempe tantam crudelitatem vindicandam esse. Etenim verebatur ne populus Rom. ab isto eas pœnas vi repetisse videretur, quas veritus esset ne iste legibus & vestro iudicio non esset persoluturus. Item in eadẽ act. de ciuibus in Latumias coniectis. Si quis rex, si qua ciuitas exterarum gentium, si qua natio fecisset aliquid in ciuem Rom. eiusmodi, &c. Deinde in fine quasi insultans iacit, Num ego tibi vllam salutem, vllum perfugium putem, cùm te implicatum seueritate iudicum, circunretitum frequentia populi Rom. esse videam? significans pœnam crudelitatis euasurum non esse. Videtur alicubi esse propositio in principio, vt Actione 3. Huic homini parcetis igitur iudices? Et rursus 7. Per deos immortales iudices, quo tandem animo feretis? Sed hæ instigationes sunt, non propositiones, quia non proponitur efficiendum esse, vt iudices condemnent reum, sed iam re ipsa vt id faciant impellantur. Illa autem propositio est pro Milone, Quid restat? nisi vt orem obtestérque vos iudices, vt etiam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat. Item in subiecta mox argumentatione, Nolite si in nostro omnium fletu. In quibus adhuc quieta est oratio, & ad fidem magis, quàm ad motum accommodata, Miloni vt fortissimo viro misericordiam tribuendam esse. At paulò pòst liberius, plenísque, vt aiunt, velis erumpit, O frustra suscepti mei labores, ô me miserum, ô me infœlicem: quæ iam pleno ardentíque motu sine lege & quasi per abrupta feruntur. Ergo in vehementioribus affectibus hæc forma argumentandi locum habebit, in temperatis alia esse poterit.

HEGENDORPHINVS. Directo spectat, &c.) Directa argumentatio est, cum præponitur propositio maior, & eius confirmatio: deinde subiungitur assumptio, & eius confirmatio: postremò conclusio ὥσπερ coronis additur. Exemplum. Solus spiritus sanctus fingit animos hominum. 1. Regum 10. Insiliet in te spiritus domini, & mutaberis in alium virum. Sed literæ sacræ afflant iis qui eas vel audiunt, vel legunt, spiritum sanctum. Sic enim inquit Lucas Actorum 11. Cum autem exorsus esset sermonem, illapsus est spiritus sanctus in eos, &c. Ergo solæ literæ sacræ animos hominum fingunt. Illa autem altera, &c.) Sic apud Demosthenem, apud Ciceronem, inter argumentandum sæpe minor præponitur, deinde maior propositio substituitur, sæpe conclusio præponitur.

LEODEGARIVS. Duo sunt genera.) Argumẽtatio oratoria ad docendum & mouendum valet, licet non vtatur ordine naturali & recto: argumentatio dialectica valet duntaxat ad docendum, & vtitur ordine naturali & directo. præterea oratoria argumentatio assumit ornamenta ad suauitatem auditoris, quibus facilè caret dialectice, vt mox subdit.

COMMENTARIVS. Argumentandi.) Hæc argumentatio ducitur ex inuentionis fine. Nam inuentio rhetorica finem habet fidem & motum. Quanquam (vt postea dicet) in harum argumentationum formula aliquid est discriminis: quod tamen exiguum est, nec perpetuum. Se inflectit ad motum.) Ita est locutus, propterea quòd sæpenumèro amplificationes aliquam intus fidem habent, & tamen ad fidem non directim spectant, sed ad motum. Cum proposuit, &c.) Explicat formam argumentationis rhetoricæ. Cæterùm accipit propositionem pro quæstione quæ probatur. Hanc appellare solet Hermogenes caput. Porrò hæc propositio, vbi confirmata est, efficitur conclusio. Id quod Cicero ait, ad propositum sese retulit, atque conclusit. Atque his, &c.) Hæ sunt propriæ partes argumentationis. Nam propositio non est vera eius pars. Intelligit igitur duas sumptiones, intentionem & assumptionem: quibus addit prosyllogi-

ſmos, id eſt rationes ad vtriuſque confirmationem. Hermogenes ita partitur argumentationem, in caput, quod propoſitum dixit Cicero: in epicherema, quæ ratio eſt ad confirmandum caput: in ἐπιχείρημα, quæ eſt approbatio epicherematis: in enthymema, quæ probatio eſt ἐπιχείρημα. His ſubiicitur concluſio. Illa autem altera.) Amplificatio ſolet omittere propoſitionem, ac ſtatim ab aſſumptionibus incipit, cuius rei hæc eſt cauſa, quia amplificatio rem vult exaggerare. Porrò non exaggeraretur, ſed veluti dirimeretur, ſi initio proponeretur antequam eſſet amplificatum. Eſt igitur falſa amplificatio proponenda, vt maior eius videretur grauitas. Permotis animis,) Hac de cauſa videtur appellare ſuperiorem argumentationem directam, quia hæc præpoſtera eſt. ita tamen eſt habendum, hæc præcepta argumentationis conficiendæ data eſſe de recto argumentandi ductu, & frequentiore vſu, ſi vtranque inter ſe compares argumentationem. Attamen tractatione oratoria ſæpenumero hic ordo immutatur, & ſæpenumero partes quædam omittuntur.

Argumentandi varietas.

Eſt autem illa varietas in argumentando, & non iniucunda diſtinctio, vt cùm interrogamus noſmetipſos, aut percontamur, aut imperamus, aut optamus: quæ ſunt cum aliis compluribus ſententiarum ornamenta. Vitare autem ſimilitudinem poterimus, non ſemper à propoſito ordientes, & ſi non omnia confirmando diſputabimus, breuitérque interdum quæ erunt ſatis aperta, ponemus: quódque ex his efficitur, ſi id apertum ſit, non habebimus neceſſe ſemper concludere.

STREBAEVS. Quia ſimilitudo parit ſatietatem, contrà varietas iucunditatem, qua ratione variemus argumentationes, oſtendit. Varietas eſt aut in figuris, aut in ordine. Figuræ numerantur quatuor, quibus interrogamus noſmetipſos, aut percontamur, aut imperamus, aut optamus. Quæ quoniam non ſolæ ſunt, in his accipi vult & alia plura ſententiarum ornamenta, id eſt figuras, vt communicationem, permiſſionem, exclamationem. Ordo tribus modis dirigitur. Vnus immutat treis illas argumentationum partes, ne ſemper anteponatur propoſitio, deinde ponantur aſſumptio & cõnexio. Alter interſerit quædam præter argumenta, vt oſſa neruique confirmationis aliis quibuſdam rebus, veluti carne & cute, contegantur: quòd nihil eſt odioſum magis, quàm crebra, ieiuna, nuda, litigioſa argumentorum frequentia. Alius ordo breue enthymema collocat pro longa partium diſpoſitione, ac concluſione. Interrogamus noſmetipſos. Terentius, Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem, cum accerſor vltro? Enthymema eſt, Ire debeo, quia me accerſit vltro. Percontari quid ſit, oſtendit Quintilianus his verbis, Quid tam cõmune, quàm interrogare, vel percontari? Nam vtroque vtimur indifferenter, quum alterum noſcendi, alterum arguendi gratia videatur adhiberi. Hæc ille. De percõtatione luculentum eſt exẽplum quod paulò antè citauimus ex actione tertia in Verrem. Imperamus. Cicero pro Rabirio, Quin continetis vocem indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis increpat, ac imperat. Facies enthymema nudum hoc modo: Tacere vos præſtat, quia clamor hic oſtendit & ſtultitiam veſtram, & paucitatem. Optamus. Idem in eodem loco, Vtinam hanc mihi facultatem cauſa concederet, vt poſſem hæc prædicare, C. Rabirij manu Lucium Saturninum hoſtem pop. Rom. interfectum. Fiet enthymema purum ſine figura, Auderem prædicare à Rabirio Saturninum eſſe cæſum, quia hoſtis erat pop. Rom. A propoſito non orditur Cicero pro Milone, Quòd ſi duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, ſi ſe telo defenderet, interfici impune voluerunt: quis eſt qui, quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet? Hic ratio, deinde intentio. De altero ordine, qui multa commiſcet ornamenta & motus, non eſt exemplum exponẽdum, quia nimium prolixum. Conſtat autem inter argumentationes eſſe locos communes, figuras, ſententias, affectus, expoſitiones, commorationes, quæ ſunt argumentationis ornamenta, & quæ ſic interſeruntur, vt imperiti vix ſentiant argumenta, dicántque oratores nulla pugnare argu-

mentatione. Breuiter interdum quæ erunt satis aperta ponemus, neque concludemus. Cicero pro Milone, Eius mortis sedetis vltores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis. Fusius istuc explicari potest, Eius vlcisci mortem iniquum est, cuius ipsi vitam restituere nolitis. P. Clodij vitam restituere nolitis, ideo mortis eius vltores sedere non debetis.

LATOMVS. Cum interrogamus nosmetipsos, aut percõtamur.) Interrogamus nosmetipsos explanandi causa, hoc modo: Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipsam contra Rempublicam senatus factam esse decreuit? quia nulla vis vnquam est in libera ciuitate suscepta inter ciues non contra Rempub. Item, Quid ergo tulit? nempe vt quæreretur: quid porrò quærendum est? factum ne sit? at constat à quo: at patet. Et paulò post, Num igitur vlla quæstio de Africani morte lata est? certè nulla: quid ita? quia nõ alio facinore clari homines, alio obscuri necãtur. Percontamur autẽ instandi causa, nẽpe quod negari, vel dici non potest, vt, Dixit ne tandem causam C. Fiduciarius Falcula? Et, An verò iudices vos soli ignoratis? vos hospites in hac vrbe versamini? vestræ peregrinantur aures? neque in hoc peruagato ciuitatis sermone versantur? Item, Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cũ aliquorũ querela? Et, Quid enim Tubero tuus ille in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quod vltimũ arguit, priora tum affirmant, tum negant instando. Imperamus hoc modo: Non arma expedient, totáque ex vrbe sequentur. Ferte citi flammas, date vela, impellite remos. I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas. Et pro Milone, Excitate, excitate eum ab inferis, frangetis impetum viui, cuius vix sustinetis furias insepulti. Optamus autem, Vtinam dij immortales fecissent, vt P. Clodius non modò viueret, sed etiam prætor, consul, dictator esset, antequam hoc spectaculum viderem. Ex hoc genere sunt etiam dubitationes, obiurgationes, comprecationes, detestationes, adhortationes, aliaque id genus, quibus affectus in dicendo exprimuntur. Vitare autem similitudinem poterimus.) Huius præcepti exempla paulò antè attigimus, in declaranda directa argumentatione, sed multa vbique sunt obuia, tum in coniectura pro Milone, tum in aliis disputationibus. Quod dicit interdum quæ aperta sint, breuiter poni, id non solum de oratione intelligendum est, sed etiam de singulis verbis, vt, I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas: vbi periculum nauigationis duobus verbis expressum est. Hæc sæpe frequentantur pluribus, vt, Recordamini per deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus eius? qui ingressus in forum ardente curia? quæ magnitudo animi? qui vultus? quæ oratio? & quæ sequuntur.

COMMENTARIVS. Vt cùm interrogamus.) Ad hunc locum pertinet argumentatio quæ fit per subiectionem, cùm nos interrogamus & statim respondemus. Pertinet & illa quæ fit per ratiocinationem, cùm à nobis cuiusque dicti rationẽ petimus, eámque subiicimus. Sententiarum ornamenta.) Quod de pauculis figuris dixit, idem de reliquis est intelligendum, dummodo hoc obseruemus, vt eas commodè aptemus. Pertinebant quoque ad ornandam argumẽtationem multæ etiam verborum figuræ, sed temerè illis non duxi vtendum. Vitare autem.) Optima argumentatio virtutes habere debet, & vitiis carere. Itaque virtutes quasdam commemorauit, cùm de varietate dixit: sed varietati similitudo opponitur, quæ vitiosa est. ea vitatur adhibitis varietatis præceptis, aut partium immutatione, aut quarundam detractione. Et si non omnia.) Interdum omittere oportet prosyllogismos, interdum intentionem, interdum satis est ratio cum conclusione. De his autem mutationibus & detractionibus videte Fabium vltimo capite libri quinti. Breuitérque interdum.) Sæpenumero argumentationes rhetorum sunt enthymematicæ, ac partem aliquam omittunt. Quòd si satis manifestum est quid velit colligere argumentatione sua orator, conclusione solet supersedere. Alioqui si semper adderet, vt inquit Fabius, eius oratio non continua, sed dialogo similis videretur.

C. F. Quid illa quæ sine arte appellantur, quæ iandudum assumpta dixisti, ecquónam modo, ecquónam loco artis indigent? C. P. Illa verò indigent: & nec eò dicuntur sine arte, *Probationes inartificiales.*

De testibus.

quòd ita sunt: sed quòd ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat, & maximè in testibus. Nam de toto genere testium, quàm id sit infirmum, sæpe dicendum est: & argumenta, rerum esse propria: testimonia, voluntatum: vtendúmque est exemplis, quibus testibus creditũ non sit: & de singulis testibus, si natura vani, si leues, si cum ignominia, si spe, si metu, si iracũdia, si misericordia impulsi, si præmio, si gratia adducti, comparandíque superiore cum authoritate testium, quibus tamen creditum non sit. Sæpe etiam quæstionibus resistendum est, quòd & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti persæpe sunt, moríque maluerunt falsum fatendo, quàm verè inficiando dolere. Multi etiam suam vitã neglexerũt, vt eos qui his chariores quàm ipsi sibi essent, liberarent. Alij autem aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicij, aut mortis, vim tormentorum pertulerunt. Alij ementiti sunt in eos quos oderant. Atque hæc exemplis firmanda sunt. Neque est obscurum, quin, quoniam in vtraque parte sunt exempla, & item ad coniecturam faciendam loci, in contrariis contraria sint sumenda. Atque etiam incurrit alia quædam in testibus, & in quæstionibus ratio. Sæpe enim ea quæ dicta sunt, si aut ambiguè, aut inconstanter, aut incredibiliter dicta sunt, aut etiam aliter ab alio dicta, subtiliter reprehenduntur.

De tormentis.

STREBAEVS. Quoniam causis aliis alij sunt aptiores loci, proprios singulorum statuum locos assignauit, eos quidem certè, qui sæpius occurrunt. Nunc autem ex ordine ac ratione scribendi, statuum omnium communes arte metitur, vt testimonia, & quæstiones: quibus etiam primas assignare non erat alienum à consuetudine collocandi. Ad testimonia pertinent rumores, iusiurandum, præiudicia, tabulæ, vaticinationes, authoritates. hæc esse testimonia suprà commonstrauimus. Testimonia dicuntur inartificialia, quòd ea non parit oratoris ars, vt argumenta ratione collecta: sed à litigatoribus ad se delata, tamen arte tractat, vt vires & robur accipiãt vel amittant. In testes alter est locus communis de toto genere testium, qui ratione multitudinis in arte præcedit. Alter est proprius de singulis. In genere dicendum est plus adhibendum fidei rationibus, quàm testibus: quoniam argumenta sunt rerum propria, id est, natura monstrant ea quorum sunt & ostenduntur argumenta, & inde nomen habent à demonstratione. Testimonia autem sunt voluntatum: idcirco quisque pro sua libidine confingere potest. Vtẽdúmq; est exemplis, quibus testibus creditum non sit. Singuli refelluntur, si natura vani, hoc est veritatis inanes, & rerum bonarum vacui, nulliúsque bonæ frugis homines, si leues in sermone, sine grauitate, pondere, constãtiáq; dictorũ. Si cum ignominia, vt adulteri deprehẽsi. Si spe, boni assequẽdi. Si metu, mali impendentis. Si iracundia, id est feruore animi. Si misericordia impulsi, si præmio, si gratia, id est, fauore vel amicitia inducti. Comparandíque superiore cum authoritate testium, quorum exemplis paulò antè dixerat vtendum: vt si melioribus creditum non sit, deterioribus multò minus.

credatur. Vsus est hac arte pro Flacco, vbi primum infectatur vniuersum genus testiũ Græcorum tanquam diffluens vanitate atque leuitate. Testimoniorum, inquit, religionem & fidem nunquã ista natio coluit, & quæ sequuntur. Deinde comparat eos Romanis testibus, iis quibus etiam credi non vult. postea accedit ad singulos: tandemque colligit, nihil religione testatum, nihil veritate fundatum, nihil dolore expressum: contráque omnia corrupta libidine, iracundia, studio, precio, periurio reperientur, quæ, quoniam longiora sunt, apud eum legenda tibi relinquo. Argumenta testibus anteposuit pro Cælio, Vos abducam à testibus, neq; huius iudicij veritatem, quæ mutari nullo modo potest, in voluntate testium collocari sinam: quæ facillimè fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest. Argumentis agemus. Reliqua sumes ex oratione in Vatinium testem. Hæc & similia dicuntur in testes. Pro testibus autem dicenda sunt contraria. Assumpta, extrinsecus in causam recepta. Ecquonam modo, an aliquo modo. Quæstiones tormenta sunt, quibus exquiritur veritas. Illis nõ esse credendũ probatur, quòd alis patientia facilè mẽdacium faciat, alis infirmitas necessarium. Infirmi dolorem fugiunt: ideóque falsum confitentur. Robusti metu supplicij aut mortis vim tormentorum perferunt: alij ementiuntur in eos quos oderunt, vt Casca pro Milone: aut pro charis amicis ne vitæ quidem parcunt. Id eò frequentius accidebat, quòd Romæ serui, miserum hominum genus, non liberi, tormento cruciabantur. De seruis in tormenta coniectis, quædam pro Cluentio, quædam pro Milone: sed nihil ad hæc præcepta, quæ temporibus nostris etsi vsu euenire possunt, non tamen apud nos habent firmum præsidium. In vtranque partem sunt exempla: vt argentarij cuiusdam seruus innocens, qui dolorem ferre non posset, in tormentis ementitus, supplicio mortis affectus est. Contrà seruus Antonij oratoris noluit verum confiteri. Item ad coniecturam faciendam loci sunt, quales assignauit in statu coniecturali, vnde sumuntur argumenta. Ad hæc testimonia & quæstiones refelluntur, si quid ambiguè dictum, quod in alium sensum trahi possit: aut inconstanter, vt dissentaneum prioribus: aut incredibiliter, quod alienum à veritate: aut aliter ab alio teste dictum. Cicero pro Cecinna, Fiduciarium testem arguit, quoniam aliter dixisset quàm cæteri testes, quoniam inconstanter, qui nullos armatos fuisse quum dixisset, postea seruos suos armatos fuisse dixit.

LATOMVS. Quid illa quæ sine arte appellantur?) Dixit de argumentis insitis, quomodo in confirmatione & reprehensione tractanda sint, nunc de assumptis loquitur, quæ priuatam præceptionem habent. De toto genere testium ipse disputat in oratione pro Flacco, vbi Græcos testes reprehendit. Argumenta & testimonia confert in oratione pro Cælio, item pro Sylla, vbi vitam anteactam testimoniis opponit. De singulis testibus dicit in eadem oratione pro Flacco, item pro Cæcinna. Sæpe etiam quæstionibus resistendum est.) Quæstiones sunt tormenta, quæ & confirmari & reprehendi solent, vt pro Milone, pro Cælio, pro Cluentio. Sed tota disputandi ratio & in his, & in testibus circa personas, & circa ea quæ dicta sunt, versatur. Itaq; in personis spectatur natura, affectio, fortuna. In dictis, si quid ambiguè, inconstanter, incredibiliter, variè dictum est. de quo toto genere tradit Fabius lib. 5.

LEODEGARIVS. Quid illa, quæ sine arte appellantur.) Quintilianus initio libri quinti facit sex species argumentorum inartificialium. Aristoteles cap. 2. lib. 1. ad Theodecten facit tres. Cicero hoc loco duas, in Topicis vnam: & profectò præiudicium, rumor, tormentum, tabulæ, iusiurandum, testes, continentur vna appellatione testimonij. Vtendúmque est exemplis.) Vide Valerium Max. lib. 8. cap. 5. De singulis.) Huc pertinet lex prima, cum secũda, & tertia, tit. de testib. apud pandectas. Huc etiam spectat caput septimum lib. quinti apud pandectas. Huc etiam spectat caput septimum lib. quinti apud Quintilianum. Et cap. 5. lib. 8. apud Valerium Max. Sæpe etiam quæstionibus.) De his locis à quæstionibus contra quæstiones, à rumoribus contra rumores, à testibus contra testes, agit familiariter author rhet. ad Heren. lib. 2. In tormentis.) Vlpianus. l. prima. ff. de quæstionibus sic ait, Quæstioni nec semper, nec nunquam fidem esse habendam, constitutionibus declaratur. Vide Valerium Maximum lib. 8. cap. 4. Multi etiam.) His de rebus multa, eáque præclara exempla habes apud Alexandrum ab Alexandro: cap. vlt. lib. primi.

COMMENTARIVS. Quid illa &c.) Seorsum docet refutationem inartificialium locorum, qui ferè proprij sunt coniecturæ, eorum tamen omisit confirmationem, aut leuiter hoc loco attingit, quòd quanquam industriam oratoris aliquam postulent vt cõfirmentur, tamen

suo momẽto satis valent, ac maximo labore refelluntur. Illa verò indigent.) Rodolphus Agricola in capite de pronunciatis hæc argumenta putat artificialia, quatenus ab oratore accommodantur ad propositum: inartificialia, quatenus à testibus ducuntur in rem præsentem. Itaque Ciceronem reprehendit: sed nobis satis est dicere inuentionem arte carere, non tractationem. & alioqui hæc præcepta dantur de causis iudicialibus, in quibus horum locorum inuentio caret arte.

Nam de toto.) Locos communes appellant rhetores confirmationes aut refutationes locorum inartificialium. Sunt igitur hi loci communes in testimonijs, testibus an maior fides adhibenda sit, an argumentis. Et argumenta.) Sic Cicero in oratione pro Cælio testibus opponit argumenta, ac vtitur hac ratione. Voluntatum.) Id est, pro libidine & voluntate cuiusque.

Quibus testibus creditum non sit.) Cicero in oratione pro Fonteio Gallorum testimonio opponit exemplum Scauri & Lucij Crassi oratoris. Quibus in testimonio dicendo non sit credendũ, exponit Valerius libro octauo in capite de testibus. Si cum ignominia.) Apud iurisconsultos fides nõ habebatur eius testimonio, qui esset ignominia notatus & infamia: vt hoc quoque tempore, qui exercent artem ludicram, à testimonio repelli possunt. Denique poterunt duci argumenta ad testem refutandum ex attributis personæ. Misericordia.) Fabius ait præcipuum esse locum in refellendis testibus, si causam propter quam nocere velit, in medium adferre possimus. Hic igitur Cicero multas enumerat causas. Sæpe etiam.) Quæstiones appellat tormenta quæ adhibentur ad verum eruendum. Meminit autem duorum locorum inartificialium, quia eorum operosissima est tractatio. Itaque apud iurisconsultos prolixissimis duobus titulis tractantur. Quæstionum refutatio locos habet communes. Est locus, de vi doloris: inde prouerbium illud apud Fabium, Mẽtietur in tormentis qui dolorem feret, mentietur qui non feret. In tormentis ementiti persæpe sunt.) Vt seruus argentarij, qui Alexandrum Fabij seruum interfecisse dicebatur, tortus cædem est confessus, & pauculis post diebus domum est reuersus Alexander. Huius rei exempla multa sunt apud Valerium libro octauo, in capite de quæstionibus. Alij autem &c.) Vt Philippus seruus Flacci octies tortus nihil dixit in herum. & seruus Antonij septies tortus non obtinuit dominum. Alij ementiti sunt, &c.) Vt Zeno Eleates, qui cùm torqueretur à Phalaride, coniurationis conscios indicauit eius amicos omnes, quos æquè atque tyrannum oderat. Valerius de patientia. Neque est obscurum, &c.) Cùm exempla proposuerimus vel de tolerantia doloris, vel de doloris impatiẽtia, coniecturis & suspicionibus vtemur ad vtilitatem rei præsentis, vt ostendamus hominem tortum vel perpessione doloris, vel ex impatientia doloris culpam agnouisse. Atque etiam incurrit.) Loci superiores vel à re ducebantur, vel à persona, vel à factis: sequentes à dictis. Etenim si quid deprehendi possit repugnans, varium, aut incredibile, potentissimum est argumentum vel ad refellendum testem, vt cogatur dicere aliquid contrarium. Id autem efficitur inductione Socratica. Ait item optimum esse, ea quæ dixerint, inter se comparare & collidere.

Si aut ambigué.) Ambiguum est in oratione homonymum. In dictione aliquando ambiguum fit in homonymis.

Cõclusionis partes.

C. F. Extrema tibi pars restat orationis, quę posita in perorando est, de qua sanè velim audire. C. P. Facilior est explicatio perorationis. Nam est diuisa in duas partes, amplificationem, & enumerationem. Augendi autẽ & hic est proprius locus in perorando: & in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehẽsa. Est igitur amplificatio grauior quędam affirmatio, quę motu animorũ conciliet in dicendo fidem. Ea & verborũ genere conficitur, & rerũ. Verba ponenda sunt, quæ vim habeant illustran

Amplificatio qui fiat.

di, neq; ab vsu sint abhorrentia, grauia, plena, sonãtia, iuncta, facta, cognominata, non vulgata, superlata, in primisque trãslata: neq; in singulis verbis, sed in continentibus soluta, quæ dicũtur sine coniunctione, vt plura videantur. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, & ea quæ ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora. Omninoque semper quasi naturalis, & nõ explanata oratio, sed grauibus referta verbis, ad augendum accommodatior.

Amplificatio in verbis.

STREBAEVS. Peroratio est extrema conclusio, quæ natura sequitur alias partes, vt finis ac modus orationis. Diuiditur in duas partes, amplificationem, & enumerationem. aut enim mouere volumus affectus, facilius obtinendæ causæ gratia: aut dissipata sparsáque argumenta in vnum colligere, vt quid efficiant, intelligat auditor. Vtrũque locus vtile. Inde natæ duæ partes, dupléxque ratio perorandi. Motus est prior. Is in amplificatione maximè consistit. Amplificationi locum attribuit: eam deinde finit: & demum qua ratione conficiatur, ostendit. Locus est ei proprius in perorando. Sed & aliquando primas habet: aliquando sequitur in cursu quæstiones, quum egreditur & declinat orator ad amplificandum quod argumentando probauit. Exempla vtriúsque suprà citauimus. Amplificatio est grauior quædam affirmatio, quàm simplex illa argumentatio, quæ motu animorum magis quàm rebus probandis conciliet in dicendo fidem. iis enim quibus animus mouetur, multo facilius credimus. Conficitur amplificatio, quemadmodum omnis ratio, certo quodam genere verborum, ac sententiarum. Prius autem verba tractat, deinde sententias, etsi natura sententiæ verbis sunt priores, & inuentio rerum præfertur elocutioni, sed initio faciliorem maluit expedire partem. Nam quemadmodum ordine naturæ progredi possumus ab animi conceptione ad explicationem vocis, ita contrà à notioribus nobis ad occultiora: ab ore ad animum mentémque penetrare. Vtranque viam methodici probant. Verba ponenda sunt quæ vim habeant illustrandi, illa insignia, quæ rem constituant penè ante oculos, & orationis lumina, ac verba figurata: vt, Importuni locutores nullo rerum pondere innixi, verbis humidis & lapsantibus diffluunt. His verbis res euidenter exprimitur. Ponenda ab vsu nihil abhorrẽtia, quoniam inusitata sunt illustribus aduersa: & absurdum videtur, in illustri genere dicendi reperiri verba paucis aut nemini cognita, vt Silenta, Manciolæ, Trisecliseneх. Sunt autem grauia verba cum pondere & authoritate, vt, Patrem patriæ parricida trucidauit, grauius est quàm istuc, Cæsarem Brutus occidit. Plena à sonantibus differunt, Sonus est in amplitudine literarum: vt a, o, r. thrax, hos, ros, ampla verba & sonantia, etiam si constant vna syllaba: Plenum est in magnitudine verborum, quæ complet actionem, & illam pronunciandi contentionem, & ex illa mole verborum res quodammodo facit videri grãdiores: vt, Luctantes ventos, tempestatesque sonoras. Cæsar deorum immortalium beneficio, cum sua virtute, tum approbatione authoritatis meæ incitatos latronis impetus retardauit. His adde iuncta, quæ sunt cõposita, vt conscleratus, perturbare, condolere, & si qua sunt cõpositione grauiora. Facta, quæ facit orator, vt, Dilturiebat impotens animi, & æstuabat collusione verborum teterrima. Facies autem partus in hac misera superstitione Latinorum. Cognominata reddidit ad verbũ συνώνυμα, quæ re sunt eadem, sed nomine diuersa, vt immanis, tetra, crudelis, & importuna bellua. Non vulgata, non adeo trita, vt nihil moueant animos, qui solent excitari noua dignitate verborũ: vt vulgatum est: De re tanta nemo potest mediocriter loqui. Non vulgatũ, & ideo robustius, Tãta rerum magnitudine omnis inferior esse videtur oratio. Extollitur vltra vulgare dicendi genus. Vulgatum est, Nos patriam fugimus. Amplius est, Extorres à patria profugimus. Sic oratio in amplificatione summouetur à vulgo, non vt ambiat affectationem, & inauditum verborum genus, sed vt ampliorem acquirat ex verbo dignitatem. Superlata, hyperbolica: Ferit æthera clamor. An superlata, quæ grammatici superlatiua dicunt? iis enim frequenter vtuntur illi qui res

amplificant. Translata, metaphorica. Habet Lucium fratrem, quam facem dij immortales? quod facinus? quod scelus? quem gurgitem? quam voraginem? Soluta sunt quæ dicuntur sine coniunctione, vt plura esse videantur. Soluuntur autem singula, soluuntur & continentia, quæ sunt cohærentia, & sic inter se iuncta, vt vno conatu pronunciari debeant. Cicero, Nos penates, aras, focos, sepulchra maiorum: nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus: hæc singula. M. Antonius id molitur, id pugnat, vt hæc omnia perturbet, euertat, prædam Reipub. causam belli putet, fortunas nostras partim distipet, partim dispertiat parricidis. Hæc continentia dissoluta. Relata verba dicuntur, quum propositis aliquot, & constitutis, totidem penè referuntur. Cicero, Antonij promissa cruenta, tetra, scelerata, diis hominibusque inuisa, nec diuturna, neque salutaria: nostra contrà honesta, integra, gloriosa, plena lætitiæ, plena pietatis. Iterata sunt, verba repetita. Cicero pro Milone, Vbi nunc Senatus est quem secuti sumus? Vbi equites Romani illi, illi, inquit, tui? vbi studia municipiorum? vbi Italiæ voces? Duplicata sunt in eadem peroratione. Valeant, inquit, valeant ciues mei, &, Equites Romani illi, illi tui. Ea quæ ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora, sic habent, vt maius alio gradatim superueniat. Cicero in Verrem, Facinus est vincire ciuem Romanum: scelus verberare: propè parricidium, necare: quid dicam in crucem tollere? In amplificatione semper quasi naturalis oratio, hoc est velut sponte fusa, etsi latet aliquid ornatus, accommodatior est quàm explanata, id est elegantia verborum plana ac molli perpolita. Quærenda igitur grauia, non ambitiosè ac nimis eleganter ornata.

LATOMVS. Extrema tibi pars orationis restat.) Peroratio in amplificationem & enumerationem diuiditur. Amplificatio earundem rerum est, quarum confirmatio. Sed in exornando ad voluptatem, in suadendo ad spem, in dissuadendo ad metum, in iudiciis ad sæuitiam, vel ad clementiam iudicis accommodatur. Enumeratio pertinet ad capita & firmamenta orationis, & memoriam renouat. Est igitur amplificatio.) Amplificatio argumentatio est inflexa ad motum, de qua prædictum est. Grauior hic appellatur, quòd vehementior sit. Tota enim vis eius in augendo posita est, vt id quod sumitur ad mouendum, grauius efficiatur. Itaq; nomen amplificationis propriè accipit, cùm argumentationis sit generale. Ea fidem conciliat, hoc est, firmã opinionẽ in hãc, vel illã partẽ efficit argumẽtatio, nõ docẽdo, sicut directa ad fidẽ, quæ dubia ex certis vel probabilibus colligit, sed motu animorũ in hãc vel illam partẽ auditorem impellendo. Vt enim quisque affectus est, ita ferè credit: neque idem in eadem causa inuido ac beneuolo, irato ac miseranti verum esse videtur, sed suam sibi quisque opinionem ex affectu induit. Itaque non solùm in perorando amplificationes adhibentur, sed implicantur etiam argumentationibus, & in toto cursu dicendi crebrò interponuntur. Verba ponenda sunt.) De hoc toto genere verborum dictum est, sed rursus singula percurramus. Illustrant, quæ rem quasi ante oculos constituunt. Non abhorrent ab vsu, quæ nota sunt omnibus. Noua enim & obsoleta vetustate, quia obscurant orationem, ideo nec mouent. Grauia sunt aspera intellectu, atque atrocia, δεινότητα Græcis: vt, quem tu in crucẽ rapiebas. Plena, grãdia, vt illud ipsum, rapiebas: &, Ductores Danaũm, Regnatorem Asiæ, immania pocula. Sonantia, vocalia, vt quæcunque aures clarè, iucundè, acriter feriunt. Iuncta, Compositione nouata, vt hominem proripi ac deligari, conscelerata mens: quæ etiam grauia & sonantia sunt. Facta, nouata sunt aut similitudine, aut inflexione, aut imitatione, vt stridentes laminæ, crepitus plagarum: quæ rerum naturam imitantur. Cognominata, συνώνυμα, & idem significãtia, vt confici, concidi, expelli, exterminari, eici. Nõ vulgata, quia communia quæ sunt, humilem orationem efficiunt, vt Milo domum venit, calceos & vestimenta mutauit, paulisper dum se vxor, vt fit, comparat, commoratus est. quæ narrationi conueniunt illo in loco, amplificationi non essent idonea, quæ noua, insignia, & magna requirit. Superlata, vt, saxa & solitudines voce respondent. Translata, flumen eloquentiæ, tempestas seditionis, inflammatus animus. In continentibus soluta, quæ membratim & sine coniunctionibus dicuntur: vt, Me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos coniugémque meam vexauerat. Relata, vt, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia: vbi tria ad vnum, vicit, referuntur. Iterata, non ego tibi vllum perfugium, vllam salutem putem? Duplicata, Iam iã minimè miror: occidi, occidi. Et quæ ascendunt gradatim, vt inflammari, excindi, funestari. Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Omninóque semper.) Naturalis oratio est, quæ ex affectu erumpit. Non expli-

nata, quæ non perfectè exposita, sed quasi abrupta est: vt, En cui liberos tuos committas. Quæ malùm est ista tanta audacia atque amentia? item, Tantæne tuæ Verres libidines erunt? Talis est ferè tota peroratio pro Milone, præsertim vbi ardet. Nam initio sedatior est, ac proinde explanatior. Nolite, si in nostro omnium fletu nullam lachrymam aspexistis Milonis. At quanto vehementiora quæ sequuntur, ac proinde minus explanata, O frustra, inquit, suscepti mei labores, ô spes fallaces, ô inanes cogitationes meæ. Ardẽtissima verò illa, & iam planè abrupta, Quid iam restat? quid habeo? quid dicam pro tuis in me meritis? Item, ô me miserum, ô me infœlicem. Quod etiam valet plurimùm in exprimendis affectibus, vt non tantùm subita & quasi erumpens sit ratio, sed etiam interclusa motu ac sensu ipso abrupta: vt, Quos ego: sed motos præstat componere fluctus. & apud Terentium, Egóne illam? quæ me? quæ illum? quæ non? mori me malim. Hæc grauibus referta verbis esse debent, quòd iis adiuuatur amplificatio, sine qua nullus magnus affectus excitari potest.

LEODECARIVS. Extrema.) Conclusio (quæ & peroratio, & cumulus dicitur) est exitus & determinatio totius orationis. Eius duplex ratio posita est (inquit Quintilianus cap. 1. lib. 6.) aut in rebus, aut in affectibus. rerum repetitio, vel congregatio, vet anacephalæosis, vel enumeratio, memoriam iudicis reficit, & totam simul causam ponit ante oculos, & etiam si per singula minus mouerat, turba valet: sed tamen multæ sunt causæ, in quibus nullo modo sit necessaria rerum repetitio, si breues & simplices sint. Affectus autem mouentur, si aliter non potest obtineri vera & iusta & in commune profutura causa: mouentur autem affectus rebus & verbis. Motu animorum conciliet in dicendo fidem.) Affectus plus possunt ad fidem faciendam quàm probationes. Nam probationes duntaxat efficiunt, vt causam nostram meliorem putent iudices: affectus verò præstant, vt etiam velint: sed id quia volunt, credunt quoque. Nam cum irasci, fauere, odisse, misereri cœperunt, agi iam rem suam existimant, & sicut amantes iudicare de forma non possunt (quia sensum oculorum premit amor) ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus, æstu fertur, & velut rapido flumini obsequitur.

COMMENTARIVS. Nam est diuisa.) Quidam dixerunt (vt oratores Attici & philosophi) vnam esse perorationis partem per enumerationem, quæ ἀνακεφαλαίωσις dicitur, id est recapitulatio. Reiiciebant affectus, quando positus erat in amplificatione: quia affectus est vitium. Porrò non semper enumeratione opus est, vt si causa est simplex & breuis: nec amplificatione semper, vt si causa est tenuis, quales sunt pleræq; priuatæ, in quibus duntaxat cõclusiuncula vtimur. Ad amplificandum.) Quod scribit de amplificatione, scribi etiam potest de enumeratione. Nam quanquam proprium habet locum conclusionem, si tamen causa est multiplex, varieque ab Oratore defenditur, enumerationes esse poterunt in aliis locis. quod autem nunc ait, antea scripsit cùm ageret de partibus orationis. Ab amplificatione alij separant commiserationem. Quæ motu animorum &c.) Motus autem accipiendus est ex finitione causarũ, vt in demõstratiuo genere amplificatio tendat ad delectationem, in deliberatiuo ad spem aut metum: in iudiciali ad spem aut commiserationem. Sedenim hæc præcepta ferè omnia ad iudiciale genus tendunt. Ea & verborum &c.) Quemadmodum omnis oratio rem & verba desiderat, id est inuentionem & elocutionem: ita quoque amplificatio, quæ species est orationis. Ait quoque Fabius amplificationem nonnunquam solo verbo fieri, vt quum homicidam appellem improbum latronem, sed id aliquantulum est dissimile. Quæ vim habeant illustrandi.) Verba illustrant, quæ rem declarant ita vt oculis penè subiiciant. Huc igitur pertinebit energia, id est euidentia, & illustratio. Recurrite ad orationem illustrem. Non vulgata.) Illæ enim potius solent extenuare. In continentibus &c.) Continentia verba appellat singulis opposita, id est coniuncta, in quibus fit Asyndeton, quo rem vsam multiplicamus idem dicendo: vt, Reipublicæ parricida fuisti, ciuitatem euertisti, impius patriæ sicarius fuisti. Augent etiam.) Aquila Romanus epanaphoram vertit relatum, & relationem: anadiplosin, duplicationem: palilogiam verò iterationem, quas figuras in Latinum vertisse videtur Cicero: quãquam interpres sit in alta sententia. Est autem relatio, vt cùm principia incipiunt ab eadem dictione. Iteratio, cum verbum ex aliquo interuallo iteratur, non tamen principio. quanquam hanc figuram alij aliter interpretẽtur. Duplicatio est eiusdem sine interuallo duplicatio. Fabius tamen lib. 9. fatetur se igno-

rare quid appellet Cicero relationem. Et ea quæ ascendunt.) Ea est figura quæ dicitur κλίμαξ, status vertere solent nonnulli. Alij gradiculos: Cornificius gradationem. Hoc genus amplificandi appellat Fabius, per incrementum. Quasi naturalis &c.) Fabius libro decimo, cùm de modo scribendi loquitur, ait affectus non tam constare diligentia, quàm calore. atque ita significat non opus esse magna arte, sed naturali impetu. Macrobius autem lib. 4. vbi verba facit de habitu orationis patheticæ, ait eam orationem esse debere abruptam: vt primo Æneidos, Méne incepto desistere victam? Ea est oratio, quam vocat non explanatam Cicero. Huc etiam faciunt eclipsis & aposiopesis.

Amplificatio in rebus.

Hæc igitur in verbis, quibus actio vocis, vultus, & gestus congruens, & apta ad animos permouendos accommodata est. Sed & in verbis, & in actione causa erit tenenda, & pro re agenda. Nam hæc, quia videntur perabsurda, cum grauiora sunt quàm causa, diligenter ferè quid quenque deceat, iudicandum est.

STREBAEVS. Nihil proderit optimis verbis vti, nisi qualia sunt, talia in aurem perferantur: quod fiet apta pronunciatione, quam antè distribuit in vocem, in vultum, & in gestum, causámque scripsimus. Sed & in verbis, & in actione causa erit tenenda, vt sciamus, sitne digna tam grauibus tragœdiis, quia furiosum esset parvis in rebus deos atque homines commouere. Hic igitur, vt in aliis rebus, obseruandum est in arte præcipuum decorum. Qui nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partitè, definitè, distinctè, facetè dicere, præsertim quum causæ partim totæ sint eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ: si is non præparatis auribus inflammare rem cœpit, furere apud sanos, & quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur. Hæc Cicero in oratore. Idem ibidem. Quàm enim indecorũ est, de stillicidiis quum apud vnum iudicem dicas, amplissimis verbis, & locis vti communibus: de maiestate verò pop. Romani summissè & subtiliter? In omnibus rebus videndum est quatenus. Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium quàm parum.

LATOMVS. Quibus actio vocis.) Actio elocutionis est propria, idcirco verbis adiungitur. Sed in hac moderanda, causa noscenda est, & pro re agendum, ne vt in capitis periculo, ita in re pecuniaria contendamus.

LEODEGARIVS. Quibus actio vocis.) Nam vt ait Horatius in arte,

-tristia mœstum

Vultum verba decent, iratum plena minarum:

Ludentem, lasciua: seuerum, seria dictu. Sed & in verbis.) Sic Cicero in Oratore ad Brutum. est autem quid deceat, oratori videndum non in sententiis solum, sed etiam in verbis: non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis authoritas, non omnis ætas, nec verò locus aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum, semperque in omni parte orationis, vt vitæ, quid deceat, est considerandum.

Grauiora sunt quàm causa.) Hinc Horatius in arte,

Si dicentis erunt fortunis absona dicta,

Romani tollent equites, peditésque cachinnum.

COMMENTARIVS. Hæc igitur.) Dictum est in rhetorices partibus, pronunciatio comes est eloquendi. Est igitur ea elocutioni accommodanda: alioqui si ab elocutione dissideret, summopere obesset. Huc faciunt quæ scribit Fabius libro vndecimo de apta pronunciatione. In actione causa erit &c.) In veteri duntaxat legitur, causa erit prouidenda. hic autem locus pertinet ad decorum, quod obseruandum est in tractatione affectuũ. Sunt enim quædam causæ prorsus ab affectibus remotæ, vt exiles. Sunt quædam quanquam affectum desiderant,

eum tamen postulant minorem & remissiorem, vt mediocres. Huc pertinet diuisio illa Graecorum, quasdam causas esse ethicas, quasdam patheticas, quasdam concertatiuas.

Rerum amplificatio sumitur eisdem locis omnibus quibus illa quæ dicta sunt ad fidem: maximéque definitiones valent conglobatæ, & consequentium frequentatio, & contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio, & causæ, & ea quæ sunt de causis orta, maximéq; similitudines & exempla: fictæ etiam personæ, muta denique loquantur.

Amplificatio in rebus.

STREBAEVS. Rerum amplificatio sumitur eisdem locis omnibus, quibus argumenta eruuntur: vt definitione, consequentibus, contrariis, dissimilibus, repugnantibus, causis, effectis, & exemplis: quorum vim naturámque prius exposuimus. Definitiones valent conglobatæ, & in vnum collectæ, quia rem vehemẽter illustrant. Antonius secundo de Oratore sic amplificat historiam, Historia verò testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis, qua voce alia nisi oratoris, immortalitati commendatur? Hic quinque sunt tanquam definitiones. Tibine vilis est illa doctrina Rhetoricæ? quæ sit orandi facultas? ars bene diccendi? scientia grauiter & copiosè disserendi? inueniendi magistra atque disponendi, cum elocutione, memoria, & apta pronunciatione? quæ dicit accommodatè ad persuadendum? quæ docet, mouet, atque delectat? hic sex definitiones conglobatæ. An definitiones conglobatas dicit singulas descriptiones, quæ rerum frequentia densæ, rem auctius commonstrant? Certè definitio multis & verbis & rebus grauibus aucta, non tantum genere & proprietate vel differentia comprehensa, ad demonstrandũ quid res sit plurimũ valet, & eiusmodi conglobata dici potest. Consequentium frequẽtatio est enumeratio consequentiũ crebra, qualis est in cõclusione pro Milone, Quid vos iudices? quo tandem animo eritis? memoriã Milonis retinebitis, ipsum eiicietis? & quæ sequuntur. Damnationẽ Milonis hæc sequũtur, eiectio viri, & dignioré esse locum in terris qui hãc virtutem excipiat, & milites quondam fortissimos, ignauos fuisse in ciuis inuicti periculo, & à Cicerone in patria non eum potuisse retineri, à quo reuocatus erat in patriã, & eundem non habiturum quod respõdeat liberis, Quintóque fratri. Idem facit in oratione pro Murena multo fusius ac vehemẽtius. Contraria si conferuntur, elucescunt, & inde vires addunt orationi. Cicero, O spectaculum illud non modò hominibus, sed vndis ipsis & littoribus luctuosum, cedere patria seruatorem eius, manere in patria perditores. Dissimilia, sunt differentia quæ differunt à pugnantibus: quòd etsi omnia pugnantia sunt dissimilia, tamen omnia dissimilia non sunt pugnantia: vt luxuries & arrogantia non repugnant, sed dissimilia sunt. Cicero de villa M. Varronis, O tecta ipsa misera, quàm dispari domino tenebantur? Studiorum enim suorum M. Varro voluit esse illud, non libidinum diuersorium. Quæ in illa villa antè dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mãdabantur? iura pop. Rom. monumenta maiorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrina. Atenim te inquilino, non enim domino, personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pauimenta vino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matresfamiliàs versabantur. Repugnantia sunt decima Philip. Quæ est enim ista tua oratio Calene? quæ mens, qui nunquam post Calendas Ianuarias idem senseris, quod is qui te sententiam prius rogat? Cur nunquam tam frequens senatus fuit, quo vnus aliquis tuam sententiam secutus sit? Cur semper tui dissimiles defendis? Cur quum te & vita & fortuna tua ad otium & dignitatem inuitet, ea probas, ea decernis, ea sentis, quæ sunt inimica & otio communi, & dignitati tuæ? Hæc in repugnantibus pono, quia (vt ait) dignitas hominis & eius verba pugnant, & sui dissimiles, id est, probus improbos ille defendit. Aptius est exemplum pro Roscio Comœdo, Qua in re mihi ridiculè es visus esse inconstans, qui eundem & lederes, & laudares, & virum optimum, & hominem improbissimum esse diceres. Eundem tu & honoris causa appellabas, & virum primarium esse dicebas, & socium fraudasse arguebas. Causæ, & ea quæ sunt de causis orta, id est effecta, iuuant ampli-

ficationem. Cicero, Tantæne tuæ Verres libidines erunt, vt eas capere ac sustinere non prouinciæ pop. Rom. non nationes exteræ possint? Túne quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum præsto fuerit, nisi libidini tuæ cupiditatique paruerit, immittentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modò pacatæ, verùm etiam sociorum atque amicorum, ad vim atque arma confugient, vt ab se atque à liberis suis, legati pop. Rom. scelus atque libidinem propulsare possint? Causam præmittit effrenatam libidinem, deinde eff. cta postponit, & inde vehementer amplificat. Similitudines. Cicero pro Archia poëta, Saxa & solitudines voce respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis, non poëtarum voce moueamur? Hic tres similitudines addit. Exemplum. Homerum Colophonij esse dicunt suum, Chij suum vindicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi verò suum esse confirmant. itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt. Permulti alij præterea pugnant inter se atque contendunt. Hæc posuit ad amplificandam poëtæ laudem. Fictæ personæ, pro Cælio Pusio frater, Appius senex. Muta loquuntur, vt Cicero in Catilinam loquentem facit patriam. Exempla proposuimus hinc & inde sumpta, quia non poterant vno eodémque loco vniuersa reperiri. Nec eò data sunt præcepta, vt omnibus omni loco sine gratia varietatis vteremur, sed vt è multis optima quæque materia præsenti accommodaremus. Ne quis autem exemplorum multitudinem vt opus laboriosum relinquat: hoc apud se cogitet, inutilia fore & hæc & reliqua præcepta, nisi exemplorum demonstratione vsui cognoscantur.

LATOMVS. Rerum amplificatio sumitur.) Ex eisdem locis & argumenta ad fidem, & materia affectuum ducitur, id quod Agricola lib. secundo demonstrat. Definitiones conglobatæ sunt: Vidimus templum sanctitatis, aram sociorum, portum omnium gentium. quod exemplum suprà positum est. Consequentium frequentatio est, Hanc verò in palatio atque in pulcherrimo vrbis loco porticum esse patiemini furoris tribunitij, sceleris consularis, crudelitatis coniuratorum, calamitatis Reipub. doloris mei defixum indicium, ad memoriam omniũ gentium sempiternum? pro domo sua. & in Verrem, Constitue nihil opis esse in hac voce, cuius Rom. sum, iam omnes prouincias, iam omnia regna, iam omnes liberas ciuitates, iam omnẽ orbem terrarũ, qui semper nostris hominibus maximè patuit, ciuibus Rom. ista defensione præcluseris. Contraria, dissimilia, & inter se pugnantia ferè cohærent, id quod suprà etiam demonstratũ est. Contraria enim sunt, vt bellum & pax: Dissimilia, vt paci tempestas, bello tranquillitas. Repugnantia, contrariorum consequentia, vt cædes, incendia, rapinæ consequuntur bellum, paci repugnant: otium, iudicia, leges, consequuntur pacem, bello repugnant. Ergo ex his amplificationes ducuntur hoc modo, Ex contrariis, vt, quam damnatis seruis crucem fixeras, hãc indemnatis ciuibus reseruares. Ex dissimilibus, Sic habete iudices, plures esse à Syracusanis istius aduẽtu deos, quàm victoria Marcelli homines desideratos. Ex repugnantibus, Quid me reducem esse voluistis? an vt inspectante me expellerentur hi per quos essem restitutus? Valent etiam causæ ad amplificandum: vt, Verrés ne tibi tanti fuit, vt eius libidinem hominum innocentium sanguine lui velles? Et paulò post, Tú ne quod videris, quod audieris, quod cõcupieris, quod cogitaris, nisi libidini tuæ cupiditatique paruerit, immittentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modò pacatæ, verùmetiam sociorum atque amicorum, ad vim atque ad arma confugient? Item effecta ex causis, vt, Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos, interfecit Antonius. Desideratis clarissimos ciues: eos quoque vobis eripuit Antonius. Authoritas huius ordinis afflicta est: afflixit Antonius. omnia denique quæ postea vidimus (quid autem mali non vidimus?) si rectè ratiocinabimur, vni accepta referemus Antonio. Itẽ similitudines. vt, Hic dolor erat tantus, vt Verres, alter Orcus, venisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. Et alio in loco, Non enim Charybdim tam infestam, neque Scyllam nautis, quàm istum in eodem freto fuisse arbitror. Exemplis ipse vtitur in eundem Verrem, vbi Marcellum & Africanum aliquoties cum Verre comparat. Item Act. 6. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, vt cum vidisset monile, vt opinor, ex auro & gemmis, pulchritudine eius incensa salutem viri proderet. Similis istius cupiditas, &c. Et Act. 7. Versabatur in Sicilia longo interuallo alter non Dionysius ille, nec Phalaris, & quæ sequuntur. Ficta persona est, vt Appij Cæci in orat. pro Cælio. Muta loquuntur, vt patria cum ipso in Catilinam, Marce Tulli. quid agis?

COMMENTARIVS. Rerum amplificatio.) Eadem sunt emolumenta fidei faciendæ, & affectus mouendi, vt ex libro quarto Macrobij colligere licet, & Rodolpho Agricola. Cæterùm non omnes recensuit locos Cicero, sed eos duntaxat qui videbantur magis idonei ad affectum mouendum. Maximéque definitiones.) Definitio aut sola est, aut conglobata. Prior quanquam amplificare potest, minus tamen virium habet: posterior autem propter frequentationem atque conglobationem, longè magis amplificat. Sub definitione complecti oportet descriptionem, qua frequentius vtuntur oratores. omisit locum ab enumeratione, qui sequitur definitionem, & efficit amplificationem, quam appellant per congeriem & συναθροισμόν. De qua figura est apud Fabium. Et consequentium, &c.) Quanquam alius est locus à consequentibus, alius ab adiunctis, attamen locum ab adiunctis comprehensum putamus hic, qui totus est oratorius, aptus ad probandum & ad amplificandum. De his vide apud Fabium. Et contrariarum, &c.) Hos tres locos coniunxit, quia simul sunt. Contraria sunt, quæ ab eodem posita latissimè distant, vt pax & bellum. Solent autem firmissima argumenta & amplificationes grauissimas suppeditare, propter diuersitatis collocationem. Ficta etiam personæ.) Per fictas personas ethopœiam & idolopœiam accipere par est: per alteram partem prosopopœiam. quanquam ista omnia Fabius communi nomine prosopopœias appellat. Cicero in Topicis prosopopœias similitudini subiecit. non est igitur mirum, si eas posuerit inter locos. sunt enim veluti exempla ficta.

Omnino que ea sunt adhibenda, si causa patitur, quæ magna habentur: quorum est duplex genus. Alia enim magna natura videntur, alia vsu. Natura, vt cælestia, vt diuina, vt ea quorũ obscuræ causæ, vt in terris mundoque admirabilia quæ sunt: ex quibus, similibusque, si attendas, ad augendum permulta suppetunt. Vsu, quæ videntur hominibus aut prodesse aut obesse vehementius: quorum sunt genera ad amplificandũ tria. Nam aut charitate mouentur homines, vt deorum, vt patriæ, vt parentum: aut amore, vt fratrum, vt coniugum, vt liberorum, vt familiarium: aut honestate, vt virtutum, maximéque earum quæ ad communionem hominum, & liberalitatem valent. Ex iis & cohortationes sumuntur ad ea retinenda, & in eos à quibus ea violata sunt, odia incitantur, & miseratio nascitur. proprius locus augendi in iis rebus aut amissis, aut amittendi periculo. Nihil est enim tam miserabile, quam ex beato miser. Et hoc totum quidem moueat, si bona ex fortuna quis cadat: & à quorũ charitate diuellatur, quæ amittat, aut amiserit, in quibus malis sit, futurúsve sit, exprimatur breuiter. Citò enim arescit lachryma, præsertim in alienis malis. Nec quicquam in amplificatione nimis enucleandum est. Minuta est enim omnis diligentia. hic autem locus grandia requirit. Illud tamen est iudicij, quo quaque in causa genere vtamur augẽdi. In illis enim causis quæ ad delectationem exornantur, ij loci tractandi sunt, qui mouere possunt

expectationem, admirationem, voluptatem. In cohortationibus autem, bonorum ac malorũ enumerationes & exempla valent plurimum. In iudiciis, accusatori ferè, quę ad iracundiã: reo plerunque, quæ ad misericordiã pertinent. Nonnunquam tamen accusator misericordiam mouere debet, & defensor iracundiam.

STREBAEVS. Non omnis causa patitur adhiberi magna, sed si quando patietur, orationem efficient ampliorẽ. Cicero, Non vult pop. Rom. obsoletis criminibus accusari Verrem: noua postulat, inaudita desiderat: non de prætore Siciliæ, sed de crudelissimo tyranno fieri iudicium arbitratur. Includuntur in carcerem condemnati, supplicium constituitur in illos, sumitur de miseris parentibus nauarchorum, adire ad filios suos, liberis suis cibum vestitúmque inferre prohibentur. Patres hi quos videtis iacebant in limine, matrésque miseræ pernoctabãt ad ostium carceris, ab extremo complexu liberũm exclusæ: quæ nihil aliud orabant, nisi vt filiorũ extremum spiritum excipere sibi liceret. Hæc Cicero velut admiranda proponit. Alia sunt magna natura, alia vsu. Natura, vt cælestia, tonitrua, imbres, tempestates, syderum stellarúmque insolitæ mutationes: vt diuina, oracula, vaticinia, responsa, somnia: vt ea quorum obscuræ causæ latent, vt luce videri cometen, lupos vlulare in ciuitate, monstra gigni, tristem apparere naturam. Omnium istorum pulcherrimum reperies exemplum in fine lib. I. Georgicõn, vbi Virgilius admirabiliter amplificat illam Cæsarianæ mortis atrocitatem. Cicero tertia actione in Verrem, loquens de simulachris ex fano Apollinis à Verre sublatis, vtitur hoc amplificandi genere. Tum subitò tẽpestates coortæ sunt maximæ, Iudices: vt non modò proficisci quam cuperet Dolabella, non posset, sed vix in oppido consisteret: ita magni fluctus eiiciebantur. Hic nauis illa prædonis istius onusta signis religiosis, expulsa atque eiecta fluctu, frangitur, in littore signa illa Apollinis reperiuntur, iussu Dolabellæ reponuntur, tempestas sedatur. Vsu & consuetudine viuendi magna sunt, quæ prosunt vel obsunt homini vehementius, vt hæc tria, charitas, amor, virtus, & contraria. Charitas est in deos, in patriam, in parentes. Amor in fratres, coniuges, liberos, familiares. Charitas amor est sanctus: amor autem latius patet. Honestas est in omni genere virtutum: & quædam citra virtutem honesta sunt, vt elegans ratio loquendi, vt gestus decens. Qui fusius vtuntur nomine virtutis, eiusmodi paruas honestates dicunt esse virtutes. Hisce rebus vtitur in peroratione pro Milone, cuius in patriam charitatem, in ciues amorem, in agendo virtutem vehementer explicat. Ex iis & cohortationes sumuntur ad ea retinenda, & in eos à quibus ea violata sunt, odia incitantur, quæ tractat ipse grauiter II. Philip. in Dolabellam consulem, qui Trebonium crudeliter occiderat. In amplificationibus mouentur affectus à patribus pro liberis, à liberis pro patribus, ab infantibus, à propinquis, à familiaribus, ab iis qui vel authoritate vel miseratione possunt commouere iudices. Exempla pro Sylla, & pro Flacco. Nihil est tam miserabile, quàm ex beato miser: quale sit hoc, intelliges ex oratione pro Rabirio Posthumo. Occultat pecuniam Posthumus. Latent regiæ diuitiæ. Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirij Posthumi nummo sestertio sibi addici velit? Sed miserum me: Quanto hæc dixi cum dolore? Hem Posthume, túne es Curij filius? C. Rabirij iudicio & voluntate filius, natura sororis filius? túne ille in omneis tuos liberalis? cuius multos bonitas locupletauit? qui nihil profudisti? nihil vnquam in libidinem contulisti? Tua Posthume nummo sestertio à me addicuntur? O meum miserum acerbúmq; præconium. Hoc insigne amplificandi genus. In miseratione non esse commorandum monuit rhetor Apollonius, quia citò arescit lachryma, præsertim in alienis malis. quod sic Quintilianus exposuit, Nunquam debet esse longa miseratio. Nec enim sine causa dictum est, nihil facilius quàm lachrymas inarescere. Nam quum etiam veros dolores mitiget tempus, citius euanescat necesse est illa quam dicendo effinximus imago, in qua si moramur, lachrymis fatigatur auditor, & requiescit, & ab illo quem cœperat impetu ad rationem redit. Obseruandum præterea, ne quicquam minus enucleatum sit, hoc est fusè & subtiliter explicatum, quia minuta est omnis diligẽtia, nul-

tàque parua dicit, qui omnia dicere conatur. Amplificatio grãdia requirit, qualia sunt quæ paulò antè verbis & rebus diuisa ponebat. Faciendus ergo delectus, nitendúmque iudicio, quo quaq; in causa genere vtamur augendi. aliud enim aliis conueniet locus. Nec quæ de amplificatione dicuntur, in vnam causam cadunt omnia. Nam quum sint tria genera causarum, in exornatione siue demonstratione, quæ ad delectationem comparatur, ij loci tractandi sunt, qui mouere possunt expectationem, admirationem, voluptatem. Expectatio est ex nouo genere dicendi: quo laudauit Archiam poëtam, in cuius admirationem ducit auditores cum voluptate. Demonstratio ferè constat suaui narratione. Suauis autem narratio est, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos. In cohortationibus, & genere suasorio, bonorum ac malorum enumerationes & exempla valent plurimùm, vt in orationibus contra Seruilium Rullum videas: quale istuc est luculentissimum: Vnúmne fundum pulcherrimum pop. Rom. caput vestræ pecuniæ, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonæ, disperire patiemini? Subdit exemplum, An oblisti estis, Italico bello, amissis cæteris vectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis? In genere iudiciali disceptatores concitat accusator, vt ipse facit in Verrem frequentissimé. Contrà mitigat patronus, vt idem pro Milone. Aliquando mutantur officia pro quæstionum varietate, vt ipse erga Sthenium misericordiam mouet accusator: defensor idem iracundiam in Roscios Sexti Roscij propinquos, quod nunquam faceret in litigatorem suum.

LATOMVS. Omninóque ea sunt adhibenda.) Omnis affectus ex opinione boni vel mali nascitur, & personam subiectam habet, cui quid dignum vel indignum accidere, accidisse, casurum esse videatur: eáque aut nostra persona est, aut coniuncta, aut aliena. Itaque fit, vt quanto maius apparet id esse, quod alicui accidit, tanto grauior affectus oriatur. Magna autem videtur alia natura, alia vsu, quæ in bonis malísque rebus colligunturargumentatione ex eisdem locis, ex quibus paratur fides, quæ amplificatio appellatur. Naturâ magna videntur, vt cælestia ac diuina, quæ ad naturam potestatémque deorum pertinent. Obscuræ causæ eorum sunt, quæ in terris mundóque admirabilia sunt, vt ardorum cæli, terræmotuum, tempestatum, defectionis solis ac lunæ, vicissitudinis temporum, æstus maris, inundationum. quæ explicantur à philosophis, & à vulgi scientia remota sunt, atque idcirco admirabilia. Valent maximè in demonstratiuo genere, vbi mouent expectationem, & orationem admirabilem efficiunt. Vsu magna videntur, quæ prodesse nobis vel obesse vehementius possunt, eáque tum ad charitatem, tum ad amorem, tum ad honestatem pertinent. Chari nobis sunt dij, patria, parentes. Amore fratres, coniuges, liberos, familiares complectimur. Honesta sunt, quæ cum virtute coniuncta sunt: ex quibus ea maximi fiunt, quæ ad societatem hominum tuendam, & ad liberalitatem valent. In his obtinendis, tuendis, recuperandis, contrarísque eorum vitandis amplificationes versantur per cohortationem, vt Philip. 3. Aliquando per deos immortales P.C. patrium animum virtutemq; capiamus, aut libertatem propriam Romani generis & nominis recuperemus, aut mortem seruituti anteponamus. Odia incitantur in eos qui hæc violant, vt in Verrem de religionibus, locísque sacris spoliatis, Act. 6. Item de violatis pupillis ac viduis, Act. 3. de vi, libidine, & crudelitate, Act. 4. & 7. sed aliis etiam multis in locis. Miseratio mouetur ex eisdem rebus per conquestionẽ, vt de Philodamo & filio securi percussis, Nemo iam Dolabella neque tui neque liberũ tuorum, quos tu miseros in egestate & solitudine reliquisti, misereri potest. Verrésne tibi tãti fuit, &c. deinde odiũ incitatur in ipsum Verrem, Tantæne tuæ Verres libidines erunt. Item Act. 7. de ciue Rom. in crucem acto, Si hæc non ad ciues Rom. non ad aliquos amicos nostræ ciuitatis, nõ ad eos qui populi Rom. nomen audissent, denique si non ad homines, verùm ad bestias, aut etiam (vt longius progrediar) si in aliqua desertissima solitudine ad saxa & ad scopulos hæc conqueri & deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima tanta & tam indigna rerum atrocitate commouerentur. & quæ sequuntur. Proprius locus augendi in his omnibus est aut amissis, aut amittendi periculo. Amissis, vt Act. 3. de pupillis spoliatis. Itaque de Iunio pupillo, Quod ornamentum pueritiæ pater dederat, indicium atque insigne fortunæ, hoc ab isto prædone ereptũ esse grauiter & acerbè homines ferebant. Et pro Sylla, Domus erit credo ornata, aperientur maiorum imagines, ipse ornatum ac vestitum recuperabit. Omnia iudices hæc amissa sunt, omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta vnius iudicij calamitate occiderunt, Amit-

tendi periculum tractatur pro Milone, pro Sylla, pro Murena. Sed in his breuiter omnia exprimẽda erunt, ne languescat affectus, qui in medio etiam dolore abrumpendus est: vt pro Milone, in peroratione: Sed iam finis sit, neque enim præ lachrymis iam loqui possum. Nec nimis in augendo quicquam enucleandum est, nempe persequendo singula, sed præcipua duntaxat ponantur, eáque quasi vltro se offerentia.

LEO DEC ARIVS. Natura, vt cælestia.) Sic Cicero à cælestibus signis & diuinis prodigiis quæ contigerunt ante coniurationem Catilinæ (quorum meminit libro primo de Diuinatione) amplificat eam coniurationem. Ad communionem hominum.) Iustitia, & liberalitas, virtutes sunt maximè populares, quoniam positæ sunt in hominum societate & communione seruanda. Nihil est enim.) Naturalis fauor est pro laborantibus. Itaque in re dubia legum periti fauẽt potius reo quàm actori. l. fauorabiliores. ff. de reg. iur. Nã vbi non sis qui fueris, nõ est cur velis viuere. Cito enim arescit lachryma.) Significat hoc prouerbio auditores citò desinere moueri, & vehementem affectum facilè verti in tædium. Vide prouerbium, Lachryma nil citius arescit. Nec quicquam.) Amplificatio fit rebus magnis, & verbis gravibus. Sed qui nimium enucleatus est, & diligens, versatur in rebus minutis, quæ aduersantur amplificationi, ergo nihil in amplificatione nimis enucleandum est. Illud iam est iudicij.) Hoc præceptum etiam ad epistolas, & poëmata pertinet. Est autem eloquentiæ (sicut reliquarum rerum) fundamentum sapientia. Sapienter igitur aptabimus argumenta generibus causarum ex fine motus quem proprium habent. Nonnunquam.) Actor interdum (vt reus) misericordiam mouet, vt si conqueratur eum esse occisum cui multi supersint pupilli. Et contrà reus (vt actor) mouet iracundiam, cùm insectatur accusatorem calumniantem.

COMMENTARIVS. Omninóque.) Solent ferè homines postquam posuerunt locos cõmunes quatenus sunt Topici, subiicere locos proprios, vt nimirum tractatio sit facilior. Ceterum hi proprij loci petuntur ab illa opinione, quæ de rebus habetur: qua secundum Stoicos opinio affectus est causa. Natura, vt &c.) Exemplo poterit esse deploratio mortis Cæsaris in fine libri primi Georgicõrũ. Illic enim Virgilius hæc omnia persequitur. Est etiam exemplum apud Ciceronem libro primo de Diuinatione, cùm agit de prodigiis quæ præcesserunt coniurationem.

Vsu, quæ videntur.) Quanquam in virtute natura est, vt docet in Topicis, hic tamen illi tribuit vsum, non naturam, nimirum ex relatione, non rei speculatione. Respexit enim vsum eius in hominibus. Potest quæri cur omiserit bona fortunæ & corporis, quibus homines summopere mouentur: sed satis habet præstantiora complecti, vt bona animi: quanquam obiter aliorum meminit, vt cùm dicit, si bona ex fortuna &c. Et alioqui aliorum bonorum vsus refertur ad virtutem. Ex iis & cohortationes.) Materiam illam antea distributam nunc quadantenus aptat causis. Id autem postea faciet enucleatius. Nunc duntaxat meminit generis iudicialis & deliberatiui. Porrò hæc tota ratio pendet à quæstionibus actionis, quæ positæ sunt in officio & motu.

Proprius locus.) Posuit antea locos Topicos, & eos qui materiã suppeditant affectibus, suntq; affectibus proprij: Hic autem cuius meminit, proprius est cohortationis, odij, & commiserationis.

Nihil est enim.) Ex hac confirmatione videtur Cicero de commiseratione intellexisse locum superiorem duntaxat: quanquam (vt dictum est) aptari potest cohortationi. Et hoc totum quidem.) Accommodauit explicationem legibus Romanis, quæ reos capitis exilio mulctabant. Exules autem quibus interdictum erat aqua & igni, bona amittebant, & dicebantur proscripti. Alij erant qui prorsus bona nõ amittebant, neque interdicebantur aqua & igni, & hi erãt relegati & deportati: quod maiorem commiserationem conciliat, quàm si ostendatur aliquis miser, cùm fuerit antea beatus & fœlix. Citò enim arescit.) Dictum hoc Cicero libro primo de Inuentione tribuit Apollonio Moloni. Ac certè in prouerbium abiit, citatúrque ab Erasmo in Chiliadibus, explicatúrque à Fabio libro sexto. non est igitur diutius immorandum cõmiserationi, sed cùm iudices maximè cõmotos videbimus, derelinquenda erit. Hic autem locus grãdia requirit.) Cicero in oratore ad Brutum appellat genus dicendi enucleatum, tenue & exile. Est enim enucleare, ita explicare vt singula persequaris. qui autem singula persequitur, sæpenumero incidit in exigua. Ergo ea duntaxat in amplificatione debent esse, quæ magna sunt, omissis minutis. Illud iam est iudicij.) Suppeditatio materiæ pertinet ad inuentionem, accommodatio ad iudicium. Ergo materiam illam tribus causis accommodat, ita scilicet existimauit in-

uentionem non magnopere prodesse sine iudicio. In illis enim) Accommodat materiam singulis causis ex fine motus, quem proprium habent. Finis autem in demonstratiuo genere est delectatio. Bonorum ac malorum, &c.) Ista duo ad duos fines referri debent, spem, & metum. Spes erit in bonorum adeptione, & malorum fuga: Metus in amissione bonorum erit, & consecutione malorũ. Huic generi conuenunt quæ dicta sunt in vsu. Reo plerunque.) Eos locos qui pertinẽt ad iracundiam & misericordiam, tractauit cùm ageret de vsu. Nam vsum accommodauit generi deliberatiuo & iudiciali. Nonnunquam tamen.) Mouebit accusator affectum, vt si conqueratur interfectum à reo hominem cui multi sint liberi. Nam ex liberorum arbitratu nasceretur miseratio. Reus contrà mouet iracundiam, cùm insectatur accusatorem vt calumniantem. ita permutantur officia.

Enumeratio reliqua est, nõ vnquam laudatori, suasori non sæpe accusatori sæpius quàm reo necessaria. Huius ipsa tẽpora duo sunt, si aut memoriæ diffidas eorũ apud quos ágas, vel interuallo temporis, vel longitudine orationis: aut frequentatis firmamentis orationis, & breuiter expositis, vim est habitura causa maiorem. Et reo rarius vtendum est, quòd ponenda sunt contraria, quorum dissolutio in breuitate latebit, aculei pungent. Sed erit in enumeratione vitandum, ne ostentatio memoriæ suscepta videatur esse puerilis. Id effugiet, qui non omnia minima repetet, sed breuia singula attingens, pondera rerum ipsa comprehendet.

De epilogo per enumerationẽ.

STREBAEVS. Rerum repetitio, quod ait Quintilianus, & congregatio, quæ Græcè dicitur ἀνακεφαλαίωσις, à quibusdam Latinorum enumeratio, & memoriam iudicis reficit, & totam simul causam ponit ante oculos, & etiam si per singula minus mouerat, turba valet. Enumeratio laudatori nunquam, & suasori non sæpe necessaria. Ille memoriæ auditorum nõ diffidit, quia nihil periclitatur. Genus est ad voluptatem ferè comparatum, fusum, copiosum, secundum: in quo tam multa repetendo, noua quædam duceretur oratio. Hic sententiam dicit eã quam diceret si non vteretur argumentis. Studet breuitati, neque versatur in causa tam molesta, quàm iudicia tractant. Adde quòd in vtroque genere sunt rerum expositiones & amplificationes, quæ repetitione decrescunt. Nihil obest tamen aliquando breuiter argumenta firmiora collegisse, vt quid efficiatur ex illis, apertè cognoscat auditor, præsertim in confusiore causa. Quod si fiet, non erit tamen enumeratio necessaria, præsertim in laudatione, quum possit sine vllo periculo omitti. Enumeratio accusatori sæpius quàm reo necessaria, quia multa iactat accusator. infirma forte singula, sed quæ tandem collecta turbæ multitudine roborantur. Reo ponenda sunt contraria, quorum dissolutio in breuitate latebit, aculei pungent. Sic ille paulò post. Sensus est, Reo ponenda sunt contraria iis quæ obiecit accusator, quorum dissolutio & refutatio in breuitate & angusta enumeratione minus intelligetur, aculei pungent, hoc est, accusatoris frequentata firmamenta, repetitione defensoris iterũ ferient aures, pungent animos, & comparata breui dissolutione, maiorem vim habere videbuntur. Non sunt aculei defensoris argumenta, sed acria illa tela quæ vehementer intorsit accusator, vt aurem ferirent: quæ quidem reo ponenda sunt, si medelam contraria in enumeratione velit adhibere. Posteaquam præcepit à quo fiat enumeratio frequentius, & in quo genere causarum, temporis assignat opportunitatem. Fit igitur aut quia memoriæ disceptatorum diffidit orator, aut quod frequentatis firmamentis, id est, argumentis vnum in locum stipatis, vim est habitura causa maiorem. Memoriæ diffidit eorum apud quos agit, vel interuallo temporis, si

quis eandem causam multos dies egit: quod sæpe accidebat in difficilioribus causis, vt vltra decimum diem agendo producerentur, vel longitudine orationis, quæ memoriam confudit. Cicero paucis enumerationem conficit in frumentaria, pluribus in vltima actione, modicè in oratione pro Cecinna, Quum iudicium de vi sit, is qui arguitur, vim se hominibus armatis fecisse fateatur, & quæ sequuntur. Ea est enumeratio pro reo. In enumeratione vitandum, ne ostentatio memoriæ suscepta videatur esse puerilis. Etenim puerile est, artis memoriæ signũ dare, ostentare ingenium, præ se ferre nimiam diligentiam: quod fecisse multos hac præceptione mõstrat. Ergo singula delibanda seruato rerum pondere.

LATOMVS. Enumeratio reliqua est.) Enumeratio in perorando duabus de causis adhibetur, memoriæ reficiendæ & causæ confirmandæ gratia. Memoria reficienda erit, si interruptafuerit actio mora aliqua, aut si longior fuerit oratio. Causa confirmanda, si conductis in vnum firmamentis ac frequentatis, vis eorum maior futura est. Sed hoc reo quàm accusatori rarius faciendũ est, quia contraria, hoc est, firmamenta accusatoris ponenda sunt in enumerando, vt cum eisdem dissolutio nostra conferatur. quod cum fit, pungunt quasi aculei in animis iudicum, & crimen confirmant: nostra autem dissolutio, quia in breuitate enumerationis explicari non potest, latet.

HEGENDORPHINVS. Aut frequentatis firmamẽtis.) Id est, in vnũ locum coactis, quò aut grauior aut criminosior oratio sit. Fit enim frequentatio, cum res dispersæ in vnũ locum coguntur. ita Cicero libro ab Herennium quarto.

LEODEGARIVS. Breuiter expositis.) Hoc ideo breuiter fit, ne languescat affectus, qui in medio dolore abrumpendus est. hinc illud pro Milone, Sed iam finis sit, neque enim præ lachrymis loqui possum. Aculei pungent.) Vt cum refricatur vulnus, dolor recrudescit. sic cum reus iterat & enumerat argumenta quibus actor vsus fuerat, renouat memoriam eorum, & plurimum incommodat sibi.

COMMENTARIVS. Nonnunquam laudatori.) In vetusto codice legitur, nunquam laudatori: quódque ita sit legendum, videtur cõfirmare ductus gradationis. Sed & hæc quoque ratio valet. nam laudator delectare vult, & ingenium suum ostentare: qua in re nulla est opus enumeratione. Huius ipsa tempora &c.) Duæ sunt causæ enumerationis, renouatio memoriæ iudicis, vel collectio firmamenti, vt oratio illis congregatis fortior esse videatur. Caterum appellat firmamenta, firmissima capita, atque capita ea quibus causa nostra continetur. Aliter postea est hac voce vsurus, pro adiumento quod opponitur rationi defensoris. Vbi igitur vtraque causa, vel alterutra, enumeratione est vtendum. Et reo rarius &c.) Quod si reus enumeratione vteretur, cùm eius oratio sit posita in depulsione, necessarium esset vt firmamenta accusatoris poneret, ac singulis solutionem subiiceret. sic enim ostenderet se omnibus respondisse. sed cum enumeratio breuis esse debeat, breues forent solutiones: atque ita infirmæ viderentur, cùm interim pungerent firmamenta aduersarij. Latebit.) In vetusto Codice legitur, non latebit. Qui non omnia.) Idem monet Quintilianus. Ait enim in enumeratione nos sequi debere vocabulum Græcum, vt per capita decurramus. Nam hac de causa vocant ἀνακεφαλαίωσιν. Monet idem ne omnia capita repetamus, ne videatur esse altera oratio.

De quæstione.

C. F. Quoniam & de ipso oratore, & de oratione dixisti, exponе eum mihi nunc, quem ex tribus extremum proposuisti quæstionis locum. C. P. Duo sunt, vt initio dixi, quæstionum genera: quorum alterum finitum temporibus & personis, cõtrouersiam & causam appello: alterum infinitum, nullis neque personis neque temporibus notatum, propositum voco. Sed est consultatio quasi pars causæ quedam, & controuersiæ. Inest enim infinitum in definito, & ad illud tamen refe-

Quæstionũ duo genera.

runtur omnia. Quamobrem prius de proposito dicamus, cuius genera sunt duo: cognitionis alterum: eius scientia est finis, vt veríne sint sensus: alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid: vt si quæratur, quibus officiis amicitia colenda sit. Rursus superioris genera sunt tria: sit nécne, quid sit, quale sit. Sit nécne, vt, ius in natura sit, an in more. Quid autem sit, sítne ius id quod maiori parti sit vtile. Quale autem sit, iustè viuere sit nécne vtile.

De quæstione infinita.

Propositum cognitionis & actionis.

STREBAEVS. In treis partes distributa est omnis doctrina dicendi: in ipsam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quæstionem. Nunc de quæstione tertia parte, quæ est materia Rhetorices. Nec enim si cadit in præcepta, ideo non est materia Rhetoricæ. Est autem quæstio, quæ in vtranque partem disputatione trahi potest. Quæstio infinita, in qua aliquid generatim quæritur, vt expetendáne est eloquentia? Quæstio finita, in qua quid in personis atque certa & constituta re quæritur. Necesse est quidem aut de toto genere quæstiones fieri, aut de eius aliqua parte: vt de toto genere parricidij, vel de vno aliquo parricidio: vt de vniuerso hominum genere, aut natione, aut ordine, vel de vno paucisve certis. Nam infinitum, non tantùm genus, sed etiam speciem in hac parte complectitur. Sic natura rerum duas genuit quæstiones, certa, & incertam. Priorem ex singulis, vel tanquam singulis, quæ logica indiuidua, à Græcis ἄτομα dicuntur. Alteram ex tota specie, vel vniuerso genere. Quæstio infinita dicitur consultatio, de quo nomine suprà diximus: dicitur & propositum, quod est Græce θέσις. Quæstio finita, causa dicitur, & controuersia. Quærat aliquis, cur & hic, & secundo libro de Oratore finitam quæstionem solis comprehendat personis & temporibus, qui latiùs in Topicis metiatur? Causa, inquit, certis personis, locis, tẽporibus, actionibus, negocijs cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum. Nam & controuersiæ sunt de loco solo, de certa actione, de certo negocio. Arbitror eum personas & tẽpora, vt frequentiora posuisse, in quibus ea quæ sunt eiusdem rationis, intelliguntur. Consultatio est tanquam genus: & ideo pars causæ quædam, & controuersiæ: quia inest infinitum in definito, sicut in specie genus, quod explicabimus per definitionem: Homo est animal rationale. Duæ sunt partes hominis, animal, quod est genus: rationale, quæ differentia est. Aut consultatio dicitur pars causæ, quia causa ex peristasi & proposito conficitur, vt antè diximus. Ad genus tamen referuntur omnia, vt partes referuntur ad totũ, summámque comprehensionem. Genus itaque natura postremum, arte & tractatione primum. quamobrem incipit à consultatione. Scio Aristotelem & Porphyrium dicere genus esse natura primum: sed aliter species fecit æternas, alter posuit ideas Platonis. Ego verò dico ἄτομα primas esse substantias, vt Aristoteles: species autem & genera, secundas: & partes natura toto priores, & species genere, eodem modo: & cum fuisse ordinem rerum conditarum. aliam esse naturam logicam, qua genus si tollitur, permit speciem, non species genus. aliam naturam physicam, de qua loquor. Aristoteles in Politicis dicit totum prius esse natura partibus, sed prius intelligit excellentius. Nam ibidem ostendit ciuitates à societatum partibus duxisse originem. Quæstionis infinitæ genera sunt duo, Cognitionis alterum, cuius finis est scientia. Alterum actionis, quod refertur ad efficiẽdum quid. Etenim in mortalibus solus homo rerũ vim naturamq; speculatur, & illius propriæ sunt quæstiones. Si quid inquirit cognoscendi gratia, non agendi, quæstio est cõtemplationis, vt veríne sint sensus, dnne fallaces? Sólne maior est terra? vbi concrescunt pluuiæ? vnde fit tonitruum? súntne octauo cælo positæ stellæ? & innumerabiles eiusmodi quæstiones, quæ in philosophia tractãtur. vnde quæstio infinita à quibusdam quæstio philosophica nominata est. Hæc & similia sunt animi notiones, & ornamẽta, ad agendum non ita necessaria. Si quid inquirit homo agendi causa, quod vel persequatur tãquam bonum, vel fugiat tanquam malum, quæstio est actionis. His duobus membris omne propositum continetur: quia si quæstio est humanæ perscrutationis, homo aut tantum scire cupit, aut etiam agere sciendo. Necesse est his duobus omnia contineri. Dicat aliquis, Hæc diuisio conne-

uit etiam controuersia, ac finitæ quæstioni: vt quæsitum est, an Socrates esset omnium sapientissimus, quod est contemplationis: & an idem violasset religionem? quod est actionis. Existimo vtriusque partis esse diuisionem. Sic enim confirmat in Topicis, Quæstionum, quæcunque de re sint, duo sunt genera: vnum cognitionis, alterum actionis. Quod non magis absurdum, quàm diuisionem proximam vtriusque quæstionis esse communem, sit, nécne? quid sit? quale sit? Cur ergo tribuuntur infinitæ quæstioni? quia quod in genere mõstratum est, illud in specie quoque planum factum est. Quæstio speculationis igitur in tria genera partitur, Sit, nécne? quod est coniectura. Quid sit? quod est definitionis. Quale sit? quod est qualitatis. Plura de re quæri non posse, antè demonstrauimus, quoniam si rem non constat esse, sit nécne, quæritur. Si constat, aut de accidentibus agitur, aut de eo cui accidunt. Hic quid sit, illic quale sit, quæritur. Exempla non sunt huius interpretationis. Hoc nosse satis est, sensus plerunque veros haberi. Nam Aristoteles lib. de sensu, existimat in propria materia non decipi sensum, vt oculum in veris coloribus: aliquando in communi decipi, vt oculum in figura ac magnitudine. Cicero primo de Finibus, Quod porrò animo cernimus, id omne oritur à sensibus: qui si omnes veri erunt, vt Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci & recipi. Quos qui tollunt, & nihil posse percipi dicunt, ij, remotis sensibus, ne idipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Hisce verbis fuisse rem controuersam de sensibus, ostendit, & ea de re suam pronunciat sententiam. Ius tum natura, tum more cõstat, vt omnibus est notum. Nam è iure naturali profluxère bonæ leges, bonique mores. Nõ semper ius esse, quod maiori parti sit vtile, iudicarunt ij qui à legibus agrariis abhorruerunt, quique passim venari piscari ve prohibuerunt. Iustè viuere vtile est, si vtile ab honesto nõ separes. Quibus officiis colatur amicitia, cognosces ex eiusdem libro de amicitia. Amico concedenda sunt omnia vsque ad aras & deos, vt dicebat Pericles. Gellius de hac re, cap. tertio libri primi. Cicero de Amicitia paucis complectitur. Virtus, inquam, C. Fanni, & tu Q. Muti, & conciliat amicitias, & conseruat. In ea est enim conuenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia. Aristoteles Ethicorum 8. Quatenus communicant, eatenus est amicitia. Eodem modo se habet iustum: & prouerbium rectè ea quæ sunt animorum, communia dicit esse. Est enim amicitia in communione quadam, atque societate. Hæc ille.

LATOMVS. Controuersiam & causam appello.) Controuersia appellatur, quòd disceptationem in se contineat. Causa, quòd in disceptando in causam aliquam recidat, qua sublata, quæstio esse non possit. Propositum Græci θέσιν vocant, quòd in disputationem proponatur. Sed idem quia consultandum est in causa explicanda, cõsultatio à Cicerone nominatur. Ea pars causæ est, sicut genus speciei, cùm sit consultatio generalis de vniuersa re: causa specialis. Sicut igitur animal inest in homine, ita consultatio in controuersia: neque tamen explicari hæc sine illa potest, sicut nec species sine genere. Itaque in explicanda causa ad consultationem referuntur omnia.

Veri ne sint sensus.) Id est, fallant ne nos sensus sicut opiniones. Vide Aristotelem de sensu & sensibili. Ius in natura sit, an more.) Id est, à natura ortum ne sit ius, an à more, & hominum consensione.

HEGENDORPHINVS. Cognitionis.) Vt artium aliæ positæ sunt in inspectione, id est, cognitione, & æstimatione rerum, qualis est astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei intellectu contenta, quæ θεωρητικὰ vocantur. Aliæ in agendo: quarum in hoc finis est, vt ipso actu perficiantur, quæ πρακτικὰ appellantur. Ita quoque sunt quæstiones aliæ quidem cognitionis, aliæ actionis. Exempla quæstionum cognitionis require apud Aristotelem in Problematis, & Alexandrum Aphrodisæum.

LEODEGARIVS. Quoniam de ipso oratore.) Disputationem instituit de subiecto rhetorices, circa quod cura & cogitatio eius versatur: aliter vocant materiam oratoris, seu quæstionem, hoc est, quicquid tanquam dubitatum, in medium profertur. Duo sunt.) De his fusè diximus paulò suprà. Eius scientia est.) Quæstio cognitionis, ideo sic dicitur, quoniam quærit de re vt eam cognoscat & sciat: vt an sol sit maior terra? Quæstio actionis ideo sic vocatur, quoniam quærit de re vt eam agat & operetur, vt an eloquentiæ studendum. de qua re fusè agit Quintilianus cap. quinto, libri tertij. Sit nécne, quid sit, quale sit.) Optimus profectò seruatur à Cicerone ordo quæstionum. de rebus enim quærimus primũ sint nécne: vt, sit' ne animæ antea enim quàm esse res detur, nihil est quod vlterius possit quæri. At vbi cognoscimus rem esse,

proximum est quærere de substantia eius, hoc est, quid sit res: vt, Est'ne anima, vis qua cücta viuunt? Id autem definitione explicatur: deinde quærimus ea quæ circa vel extra substantiam rei sunt: vt, sit'ne anima indiuisibilis? id verò refertur ad qualitatem. Ius in natura sit.) Stoici putant ius esse à natura, quos sequitur Cicero libro primo de Legibus, cùm repetit ius scriptum à natura, & rectè: nam quanto ius scriptum propius accedit ad naturale, tanto melius est. In more.) Ea quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos obseruata: velut tacita ciuium conuentio, non minus quàm ea quæ scripta sunt iura, seruantur. l. sed ea. ff. de leg. diuturna enim consuetudo pro iure & lege in his quæ ex non scripto descendunt, obseruari solet. l. diuturna. ff. eodem titulo.

COMMENTARIVS. Quoniam de ipso oratore.) Tractatur hoc loco artis materia, quæ profectò est eadem cum materia dialectici, sed tractatione differt. Nam quod appellatur à dialecticis problema, & protasis, (est autem hæc dialectici materia) appellatur à rhetoribus quæstio. A quæstione oriuntur status & genera causarum, de quibus Cicero postea aget. Temporibus & personis.) Duntaxat posuit duas circunstantias, vel quia eas duas existimabat omnium maximas, vel quia sub tempore cæteras complectitur, vt sæpe solet in libris officiorum. Cæterùm quanquam reliquæ circumstantiæ iuuant ad hypothesin faciendam, tamen eius præcipua ratio est in persona, sine qua non potest esse hypothesis. Et causam appello.) In veteri codice legitur duntaxat, causam appello. Ac paulò post vbi legitur, sed est consultatio quasi pars causæ, illic legitur, sed est propositum latius, quasi pars causæ quædam. Causam appello.) Quia proponitur vt de ea disputetur. Propositum voco.) Sic definit, vt neget superioris definitionem. nec hoc ita est accipiendum, vt si tempus ponatur in quæstione, protinus esse hypothesin putemus. Nã hæc quæstio, An Respublica tẽpore tyrannidis sit administranda, vt ait Fabius libro tertio, neq; hypothesis erit, nisi accedat persona. Voluit igitur superiora inficiari, & præcipuam rationem in persona ponere. Pars causæ quædam.) Nimirum quia causa in se propositum continet, & à proposito constituitur. Nam an Socrati sit ducenda vxor, in se continet quæstionem infinitam, an ducenda vxor. Ad illud tamen referuntur omnia.) Hic locus eos confutat qui existimant materiam oratoris duntaxat esse in hypothesi. Orator enim magna ex parte hypothesin reuocat ad thesin, vt latius disputet. Neque hypothesis tractari potest aut probari, nisi probata thesi.

Cuius genera sunt duo.) Eadem est diuisio problematis apud Aristotelem libro primo Topicorum. Ait enim quædam ad electionem & actionem pertinere, quædam ad cognitionem & scientiam. Adiicit etiam quædam neutra, quæ neq; propter cognitionem persequerentur, sed aliorum causa, ea Cicero omisit vt non admodum necessaria. Rodolphus has quæstiones metitur ex differentia artium: nam quædam artes sunt cognitionis, vt astrologia: quædam actionis, vt ethica: quædam mediæ, vt artes logicæ. Verine sint sensus.) Veros sensus ait esse Epicurus, negat Arcesilas veros esse. Rursus.) Sic Aristoteles has quæstiones scientiæ tribuit in Analyticis, cùm ait tot esse quæstiones, quot res quæ sciuntur. Easdem quæstiones & eadem genera deprehendas in actionum quæstionibus, sed quatenus in illis est cognitio quædam, quæ præcedit actionem.

Ius in natura sit.) Id est, vt interpretatur in Topicis, Est'ne ius à natura profectum, an ab aliqua conditione hominum & pactione. certè probat in legibus verũ esse in natura, non in consuetudine. Nostrum tamen partim in natura, partim in consuetudine. Quid autem sit.) Ius æquabile esse debet, vt docet Cicero in Officiis: & secundum iustitiam distributiuam omnibus debet prodesse. Hæc igitur definitio mala est, sed vsurpata tamen à quibusdam philosophis.

Quale autem sit.) In hac opinione sunt Stoici, qui honesta omnia putant vtilia. Quidam tamen philosophi vtile ab honesto separant.

Actionis autem duo sunt genera. Vnum ad persequendum aliquid, aut declinandum: vt quibus rebus adipisci gloriam possis, aut quomodo inuidia vitetur. Alterum quod ad aliquod commodum vsúmq; refertur: vt quemadmodum sit Respublica administranda, aut quemadmodum in paupertate viuen-

Coniectura in quæstione infinita.

dum. Rursus autem ex cognitionis consultatione, vbi, sit nécne sit, aut fuerit futurúmve sit, quæritur, vnum genus est quæstionis, possítne aliquid effici: vt quum quæritur, ecquísnam perfectè sapiens esse possit? Alterum, quemadmodum quidque fiat, vt quonam pacto virtus pariatur, naturáne, an ratione, an vsu. Cuius generis sunt omnes, in quibus, vt in obscuris naturalibúsque quæstionibus, causæ rationésque rerum explicantur. Illius autē generis, in quo quid sit id de quo agitur, quæritur, duo sunt genera: quorum in altero disputandum est, aliud an idem sit, vt pertinacia & perseuerantia. In altero autem descriptio generis alicuius & quasi imago expriméda est, vt qualis sit auarus, aut quid sit superbia.

Definitio in quæstione infinita.

STREBAEVS. Tria sunt rerum genera nostræ mortalitati comparata: quædam bona, quæ natura persequimur, vt gloria: quædam mala, quæ declinamus, vt inuidia: quædam media, vt paupertas, & administratio Reipublicæ, quibus & bene vti, & abuti possumus. Hinc quæstiones actionis: Vna de bono persequendo, & de malo vitando. Altera de commodo vsúque rerum vtroque versus spectantium, quo pacto vertamus in commodum nostrum. Sunt & in ἀνθιστάσει, & controuersia. Gloria vera virtute comparatur. Inuidia, modestiæ nomine, & aliorum commoditate vitatur, quod Augustus Cæsar optimè vidit. Respub. administratur bonis legibus, maturo consilio, & viribus consilio obtemperantibus. Hæc latè patent, vt apud Platonem videre est, & Aristotelem in Politicis. In paupertate ita viuendum, vt te tuo pede metiare, tuóque sis contētus. Quæstio infinita cōiecturalis est præteriti tēporis, & instātis, & futuri. Ea natura prior est. Hoc genus quærit, possítne aliquid effici? quod est omnium primū. Si non potest, subsistimus. Si potest, vltra progredimur, & proximum est inuenire causam vnde aliquid oriatur, & quemadmodū quidque fiat, quod physicorum proprium est, causas rationésque rerum explicare. sed & orator persæpe retrolegit caussas, vt affecta deprehendat. Id esse physicorum, naturámque contemplantium, demonstrat his verbis. In quibus vt in obscuris naturalibúsque quæstionibus, causæ rationésque rerum explicantur. Causa refertur ad quæstionem an sit, vt ait in Topicis. Nam rem esse tum cognoscimus, quáque ratione fiat intelligimus, quum caussas eius & principia scimus. Sapientia duplex est, vna philosophiæ eius quæ natura potest homini contingere: & hac aliquis perfectè sapiens esse potest: vt is qui Aristoteli fœlix est in vita contemplationis. Altera perfectæ summæq; virtutis, quam Stoici negant cuiquam contigisse. Hoc modo nemo perfectè sapiens esse potest, nisi numinis afflatu longè vltra communem hominum conditionem euolarit. Virtutem à natura seminarium, ab ratione vsúque incrementum accepisse Cicero docet in Officiis. Aristoteles negat virtutes esse naturales, quia sint habitus ratione vsúque contracti. Sed & ipse de virtute naturali facit mentionem 6. Ethicorum. Ad fortitudinem, inquit, & ad temperantiam nati, & cæteras ex ortu virtutes habere videmur, sed tamen quærimus aliquid aliud quod est propriè bonum. Certè à temperamento corporis est inclinatio, à ratione & vsu virtutis perfectio. Coniecturam partitus, ex ordine partitur definitionem. Duo sunt tempora quum adhibemus definitionem. Si disputatur an aliud an idem sit, vtrumque definire oportet: quorúmque definitiones erunt vi persimiles, eadē esse iudicabimus, & contra: vt perseuerantia & pertinacia sunt alia, non eadem. Perseuerantia est in ratione bene constituta, stabilis permanénsque constantia. Pertinacia, in ratione malè constituta firma permansio. Aristoteles 6. Topic. Videndum si genus vtriusque non idem, sed hoc quidem bonum, illud autem malum: hoc virtus, illud scientia. Et si genus est idem, an differentiæ de vtroque non dicantur. Tra-

dit alia præcepta quibus cognoscamus idem & aliud. Transcribere nihil est necesse. Alterũ definiendi tempus est, quando vim naturámque rei breui descriptione volumus explicare. Id fit dupliciter, aut accidentium enumeratione rerum imaginem exprimimus, vt si pingas auarũ suis coloribus: aut genere ac proprietate vim totam comprehendimus: vt, superbia est animi elatio prætergrediens meritos honores.

LATOMVS. Duo sunt genera.) Horum alterum ad persequendum declinandúmve pertinet, alterum ad vtendum. Rursus autem.) Hæc iterata partitio est, qua priora rursus in alias partes diuiduntur: subdiuisionem scholastici vocant.

LEODEGARIVS. Adipisci gloriam.) Gloriam facilè adipiscitur, qui res agit gloria dignas: etiam si eam fugiat. nam gloria est huiusmodi, vt sequentem fugiat, fugientem sequatur. Inuidia vitetur.) Inuidia vitatur, si potes facilè omnes perferre & pati cum quibus sis, & eis te dedere, eorum obsequi studiis, aduersus nemini, nunquam illis præponens te. Ita facilè sine inuidia laudem inuenies, & amicos parabis. Quemadmodum sit Respub. administrãda.) Omnino qui Reipub. præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, vt totum corpus Reipub. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio Reipub. ad eorum vtilitatem qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerẽda est, vt ait in Officiis libro primo. Quemadmodum in paupertate viuẽdum.) Sic viuendum est in paupertate, vt non pereat animus cum re, sed eodem vultu afflantem & reflantem fortunam amplectamur: vt quanquam fortuna in omni re dominetur, tamen sit victrix fortunæ sapientia. Sic factum est à Curio dentato, sic à Fabritio, sic à Diogene, cæterisque quorum arca pauper fuit, animus autem dives. Perfectè sapiens.) Vt non est perfectus orator, quoniam constat ex iis rebus vniuersis, quibus in singulis elaborare permagnum est: Sic non est perfectè sapiens, quoniam non modò eum esse oportet virtute insignem, sed etiam habere perfectam cognitionem rerum omnium, id quod nulli datum est, si nihil est ab omni parte beatum. An ratione, an vsu.) Quintilianus libro tertio cap. 2. agens de initio Rhetorices, ait: Eloquẽtiæ initium dedit natura, studium & incrementum vtilitas, summam ratio, & exercitatio: id quod de virtute dicere propè licet. Qualis auarus.) Ille certè est qualis mendici pera, quæ non facilius impletur quàm dolium pertusum. Nam tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

COMMENTARIVS. Actionis autem.) Aristoteles, ex quo ista mutuatus est, problema ponit duntaxat in eligendo & fugiendo, omisso vsu. Ac certè vsus ad eligendum aut fugiendum pertinere potest. aliquid tamen videtur habere peculiare: Ista comprehendi rebus expetendis & fugiẽdis, quæ sunt propositæ in honestis & vtilibus rebus, in turpibus & inutilibus.

Alterum quod, &c.) Hoc membrum sequitur adeptionem. cùm enim adeptus fueris, proximũ est vt vtaris bene, aut secus. Hæ quæstiones videntur & sunt è medio ad finem. atque ad hunc locum pertinent quæ scribuntur ab Aristotele in Ethicis de consultatione & electione. Rursus autem ex.) Vtitur hypodiæresi, qua rursus diuidit coniecturam in tempora, præsens, præteritum, & futurum: deinde in naturam coniecturæ: vt, possitne aliquid effici, & quemadmodum quodque fiat. Vnum genus.) Quatuor membra facit in topicis coniecturæ, An esse possit, an possit commutari, quæ duo referuntur ad membrum prius: possitne aliquid effici. quæritur etiam in coniectura, vnde res orta sit, & quæ sit rei causa. Quæ duo (vt ait Fabius libro septimo) penè eadem sunt. Hæc autem referuntur ad quemadmodum quicque fiat. Ita in Topicis locutus est explicatius, hic rotundius. Ecquisnam perfectè.) Perfectè sapiens est ille, qui habet cognitionem diuinarum & humanarum rerum. sed is neque adhuc est inuentus, neque forsan reperietur.

Naturáne an ratione.) Aristoteles eos reprehendit qui natura virtutem putant acquiri. Ipse autem multum tribuit rationi & vsui: vnde virtutem collocat in habitu. attamen seminaria virtutis in natura sunt, vt existimauit Plato. Illius autem.) Aristoteles libro septimo Topicorum copiosissimè tractat quæstiones de eodem & alio. Cicero in Topicis hanc quæstionem subiecit qualitati: hac (vt arbitror) de causa, an sit talis res qualis altera. Quanquam ipse paulo pòst fatetur esse genus definitionis. Dialectici appellant definitionem per differentiam, vt dictum est suprá. Aliud an idem.) Aristoteles libro primo & septimo Topicorum ait idem hic accipiendum non genere aut specie, sed numero. Sunt autem eadem numero, quorum quanquam diuersa

sunt appellationes, res tamen est eadem, sic gladius & ensis sunt eadem numero. Vt pertinacia, &c.) Quæstio de eodem & alio non instituitur de rebus toto genere distantibus, sed in rebus ita finitimis, vt propemodum eædem esse videantur. In altero autem.) Has duas rationes definitionis intulit, vt apparet in quæstionibus, nimirum descriptionem, quæ constat frequentatione accidentium & proprietatum. Eam præterea definitionem intelligit, quæ constat complexione proprietatis. Sic interpres. Attamen, vt ego arbitror, hoc de sola descriptione est intelligendum: quoniam orator ea magis vtitur, quàm definitione propria.

Tertio autē in genere, in quo quale sit quæritur, aut de honestate, aut de vtilitate, aut de æquitate dicendum est. De honestate sic, vt honestúmne sit pro amico periculum aut inuidiam subire. De vtilitate autem sic, vt si'tne vtile in Republica administranda versari. De æquitate verò sic, vt sit ne æquum amicos cognatis anteferre. Atque in hoc eodem genere, in quo quale sit quæritur, exoritur aliud quoddam disputandi genus. Non enim simpliciter solum quæritur quid honestum sit, quid vtile, quid æquū, sed etiam ex comparatione, quid honestius, quid vtilius, quid æquius, atque etiam quid honestissimum, quid vtilissimum, quid æquissimum: cuius generis illa sunt, quæ præstantissima sit dignitas vitæ. Atque ea quidem quæ dixi, cognitionis sunt omnia. Restat actionis locus, cuius alterum est præcipiendi genus, quod ad rationem officij pertinet: vt quemadmodum colendi sint parentes. Alterum autem ad sedandos animos, & oratione sanandos, vt in consolandis mœroribus, vt in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda. Cui quidem generi contrarium est disputandi genus ad eosdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione sæpe faciēdum est, vel gignendos, vel concitandos. Atque ferè hæc est partitio consultationum.

Qualitas in consultatione.

Quæstio infinitæ actionis.

STREBAEVS. Hæc est partitio qualitatis, quæ tertia fuerat in speculatione. In qualitate aut simpliciter quæritur, aut comparatè. Comparatè quærimus dupliciter, aut comparatione facta duorum, aut multorum superlatione, in qua re nulla est difficultas. Cicero offic. lib. 1. Eorum autem ipsorum quæ honesta sunt, potest incidere sæpe contentio, & comparatio de duobus honestis, vtrum honestius. qui locus est à Panatio prætermissus. Simpliciter quæritur, aut de honestate, aut de vtilitate, aut de æquitate. Hic obrepit cogitatio, vtrúmne omnia sint honesta? aut vtilia? aut æqua? possitne tam fusa qualitas hisce tribus partibus comprehendi? Ego quidem sic existimo, voluisse Ciceronem tractare quæstiones pro oratorum dignitate: idcirco nullam habuisse rationem earum quæ rebus humanis vtilitatem nullam ferunt, nec putauit artem esse proponendam de vilissimis quibusq; sed optima quæque scribenda censuit, atque speculatione dignissima. Valeant igitur argutuli nugatores, qui minutim sectis infinitis propè quæstionibus, arbitrantur ingenium summi viri alta quadam speculatione superasse: quibúscum actum præclarè videretur,

si centesimam tanti viri partem essent assequuti: quem quum reprehendunt, suspicionem de se relinquũt omnibus doctis, singularis ingenij viuentes non potuisse complecti. An potuerit esse Fabius? an fuerit? vnde fuerit creatus? an arma ceperit? an in bello fuerit? an bellum gesserit in Veientes? Nónne si constat bellũ gessisse Fabium in Veientes, reliquæ sunt superuacuæ quæstiones? Ergo si rerum qualitas in dubitationem venerit, aut quæremus illa media, vt alborem, pallorem, frigus, sapores, odores, pondus, quæ raro perscrutatur orator: aut de bonis & malis agemus, in quibus oratoris frequens versatur oratio. Relictis itaque vanioribus, ad meliora progressus, in treis partes bona & mala distribuit, in honesta, turpia: in vtilia, inutilia: in æqua, iniqua: quæ quidem plurimum iuuant oratorem & in demonstratione, & deliberatione, & iudicio. Honesta quid ab vtilibus differant, sciunt omnes: quid ab æquis, non item sciunt. Honestum, iuris est etiam summi: æquum, clementiæ, mitioríque iuris. Illud spectat officium citra turpitudinem: hoc & officium, & quid cuique bonum sit, obseruat. Æquum bonum, vt docet nos Aristoteles 5. Ethicorum, est emendatio legis ea parte qua deficit. Lex omnis in vniuersum scribitur. Fieri autem non potest, vt de quibusdam vniuersè bene dicatur. Quod igitur omisit lex, id quod plerumque fit amplectens, illud supplet æquum bonúmque. Homo, inquit, bonus & æquus, qui non exactè iustum in deteriorem exequitur partem: sed & si ad aliud legem habet adiutricem, in mitius reducit. Honestúmne sit pro amico periculum subire? Pericula subiisse dicuntur Achilles pro Patroclo, Theseus pro Pirithoo, Pilades pro Oreste, Nisus pro Euryalo. In paupertate, inquit Aristoteles, cæterisq; calamitatibus vnicum esse perfugiũ amici putantur. Sitne vtile in Republica administranda versari? Vtile sanè, & honestum, si Rempublicam bene administres: quanquam Demosthenes aliique multi tum philosophi, tum regendæ Reipublicæ periti cæteros ab eo munere terruerunt. Sitne æquum amicos cognatis anteferre? Gradus societatis collocat Officiorum lib. 1. Vltimus est hominis alieni & ignoti: propior eiusdem gentis, nationis, linguæ: interior hominũ eiusdẽ ciuitatis, præterea familiaritatis: arctior est colligatio societatis propinquorũ. Hæc duo membra non tibi videbuntur absoluere totũ corpus actionis, nisi propius inspicias. Proponamus igitur hic poni quæstiones, quæ vtiliter oratione tractãtur. Constituamus oratorem, qui proponat aliquid vel agendũ, vel non agendum. Necesse est eum suadere quid vt bonũ & vtile, aut quid vt malum & inutile dissuadere, aut animos quodãmodo afficere. Sic duo genera nascuntur, vnũ quod ad rationẽ officij & virtutis, alterum quod ad mouendos animos pertinet. Motus animorũ dupliees, alij grauiores, alij mitiores. Rursum affectus sunt numero quatuor, vt antè dictum est. duo præsentium rerum, voluptas, ægritudo: duo futurarum, cupiditas, metus. Metum ponit, & cupiditatem. Mœrorem & iracundiam refert ad ægritudinem. horum definitiones pete à superiore commentario. Affectu mitiore sedamus animos, grauiore motu concitamus. Similis erit partitio finitæ quæstionis. Nam est aut cognitionis, aut actionis rerum singularũ. Et quærit an est, quid est, quale est: nec simpliciter, sed aliter & aliter, vt consultatio. Ad agendum autem proponit certa quædam persequenda & declinanda, & ad vsum transferida. Item officia quærit singula, vel motus animi. Nullum est ex iis quæstionum genus, quod non incidat in orationẽ. Orator enim treis habet status, & totidem quæstiones: multáque loco disserit non ad agendum modò, sed etiam cognoscendum, idq; facit aliquando generatim, sæpenumero singulatim: in quibus versatur omnis ratio quæstionum. Quemadmodum colendi sint parentes, id ostendit in officiis. In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus quid cuique præstet, intelligi possit, vt prima diis immortalibus, secunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur. Aristoteles 9. Ethicorum, Liberi parentibus alimentum ministrare, opem ferre, honorem sicuti diis exhibere debent, & illis sine quibus non fuissent, potius quàm sibi subuenire.

LATOMVS. Aut de honestate.) Separat æquitatem ab honestate, sicut laudabile à recto, non re, sed fine quærendi. Exoritur aliud quoddam.) Nempe comparatiuum, cum alterum simplex sit.



Cuius alterum est præcipiendi.) Alterum ad rationem officij, alterum ad regendos affectus pertinet.

LEODEGARIVS. In Repub. administranda.) Vtile est accedere ad Remp. administrandam: alioqui nos incidemus in genus secundum iniustitiæ, vt quos tueri debeamus, deseramus: non enim satis est, nulli iniuriam inferre, sed oportet (accedendo ad Rempub.) propulsare ab aliis iniuriam: vt vult Cicero 1. Offic. Non enim solum.) Cicero lib. 3. Offic. fusè agit de quæstione comparatiua: illuc recurrito. Quæ præstantißima sit dignitas vitæ.) Nempe ea, quæ comparata est rebus bene gestis, & magistratibus, & virtute quadam heroica. Restat actionis locus.) Vide Ciceronem sub finem Topic. & lib. 3. de Orat. vbi plenißimè de iisdem rebus disputat.

COMMENTARIVS. Tertio autem.) Non complexus est totam qualitatis naturam, sed eam duntaxat distribuit, quæ ab oratore tractatur. Nam reliquæ qualitates ad philosophos pertinent, aut rarò ab oratore tractantur. Potuisset autem duabus tantùm vti partibus, honestate, & vtilitate: (nam æquitas honestatis est pars) sed in hoc sequutus est commoditatem locorum finalium, qui proprij sunt vnicuique causæ. Nam potißimùm honestas tractatur in demonstratiuo genere: vtilitas in deliberatiuo: æquitas in iudiciali. Atque in hoc eodem genere.) Ista exempla videntur esse potius ex quæstionibus actionis: sed spectauit certè quatenus ignorãtur. Et vt dictum est antea, quæstio actionis in se habet cognitionem. Non enim simpliciter.) Simplex est qualitas, & comparatiua, atq; adeò superlatiua. Huc pertinet genus comparatiuum causæ, cuius meminit Fabius libro tertio. Cicero quoque libro primo Officiorum Panætium reprehendit quòd cùm posuisset in officij deliberatione vtilitatem & honestatem, omiserit earum cõparationem. Quæ præstantißima &c.) Nimirum quæ rebus ac magistratibus præclarè gestis, demúmque quadam heroica virtute est cõparata. Restat actionis locus.) Antea actionem posuit in adeptione, & fuga, & in vsu: nec tamen has partes hic rursus diuidit, quemadmodum antea fecit in quæstionibus cognitionis. Nec enim res in minora duci poterat. Posuit igitur duntaxat aliam diuisionẽ totius generis, vt res explicatior foret. Hæc tamen diuisio relabitur in partes superioris. Cicero libro tertio de Oratore, hoc totum genus reprehendit cohortatione ab obiurgatione. Quemadmodum colendi sint parentes.) Ita colendi sunt, vt secundum deos & patriam nihil charius habere debeamus. His igitur omnia sunt præstanda, quæ contraria non sunt virtuti. Alterum autem.) Duo sunt præcipua philosophiæ moralis officia, virtutum tractatio, & affectuum compositio. atque id meritò quidem: quoniam ab his duobus actiones humanæ pendent. Meritò igitur in hac duo diuisit quæstionem actionis. Vt in consolando.) Speciem posuit pro genere. debuit enim dicere ægritudinem, quæ est perturbatio orta ex magno malo præsenti.

In cupiditate.) Quatuor sunt perturbationes generales: sed quanquam quatuor, hic Cicero tamen tantùm tres significasse videtur. Iracundia enim species est cupiditatis: nisi fortè posita pro specie voluptatis, quia iracundi maximè gaudent cùm aliquem vlciscuntur. Quod in amplificanda.) Videtur à quæstionibus actionis separare generationem affectus, & tamen in Topicis

hanc partem actioni subiicit. nisi fortè illud ipsum quod contrarium ait, dictum est ex collatione, non ex remotione: quod certè probabilius videtur.

C. F. Cognoui: sed quæ ratio est in his inueniendi & disponendi, requiro. C. P. Quid tu? Aliámne censes, & non eandem esse quæ est exposita, vt ex eisdem locis ad fidem, & ad inueniendum ducantur omnia? Collocandi autem quæ est exposita in aliis ratio, eadem huc transfertur. Cognita igitur omni distributione propositarum consultationum, controuersiarum, causarum genera restant omnino. Et earum quidem forma duplex est: quarum altera delectationem sectatur aurium: alterius, vt obtineat, probet & efficiat quod agit, omnis est suscepta contentio. Itaque illud superius, exornatio dicitur: quod quum latum genus esse potest, sanéque varium, vnum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros suscepimus, & ad improbos vituperandos. Genus enim nullum est orationis, quod aut vberius ad dicendum, aut vtilius ciuitatibus esse possit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum vitiorumque versetur. Reliquum autem genus caussarum, aut in prouisione posteri temporis, aut in præteriti disceptatione versatur: quorum alterum deliberationis est, alterum iudicij. Ex qua partitione tria genera causarum extiterunt. Vnum, quod à meliori parte laudationis est appellatum, deliberationis alterum, tertium iudiciorum.

Dispositio quæstionis infinitæ

De generibus causarum

STREBAEVS. Qui βέλτιον & propositum tractare volet, è definitione, genere, specie, differentia, altisque locis ducet argumenta: nec alia ratione disponet, quàm quæ sunt finitæ controuersiæ. At hæc videtur repugnare superioribus. dicebat enim, Collocationis in infinita quæstione ordo est idem ferè quem expositi locorum. In definita autem adhibenda sunt etiam quæ ad motus animorum pertinent. Illic diuersam statuebat collocationem: hic constituit eandem. Dicemus vtroque modo thesin collocari posse, & ordine locorum, & dispositione causæ. Quamobrem subdiderat, quum de causa dixero in qua est propositum, de vtroque dixero. Si docere tantum volumus, ordinem locorum seruare possumus: si docere & mouere, eadem est dispositio consultationis & controuersiæ. At hæc de inuentione potius quàm de collocatione respondet, quod hæc verba significant, Ex eisdem locis ad fidem & inueniendum ducantur omnia. Propositæ sunt consultationes & quæstiones infinitæ, ad quas referuntur omnia, vt ad genera prima. Subsident in ordine controuersiæ & causæ, quæ sunt finitæ quæstiones, in tria genera distributæ. In quo putet aliquis inscitè nos affirmasse omnem consultationũ diuisionem caussæ conuenire, quia postea causam diuidat. Superioris, inquit, genera sunt tria, sit nécne, quid sit, quale sit. An nõ hæc pertinent ad causam? Negari non potest. At aliter ad propositũ, aliter ad causam pertinent. Sané est alia ratio generis, alia partis: sed quæstiones in arte proponuntur simplices, an est, quid est, quale est, vt vtroque referantur. An nõ est contemplatio & actio rerum singularum, id est καθεκάστου; sic-

ut & θέσεως. An Scipio euertet Numantinos? actionis est quæstio definita. An Scipio satus est à serpente? contemplationis quæstio definita. At contemplatio generis est vniuersi. Hoc dicitur, quia intellectus apprehendit genus vniuersum, non sensus. Sed & intellectus à sensu capit singula, ac ducit in contemplationem. Etsi scientia non est eorum quæ sentiuntur, ab illis tamen colligitur: oportétque percurrere & explorare singula, vt perfectè sciamus vniuersa. Et tria genera postrema infinitæ quæstioni conueniunt. Nam & in genere laudamus, vt omnem virtutem: & consultationes aliquando cadunt in deliberationem. Pugnandúmne auxiliis, an ciuibus? Et thesis frequens est in iudicio, an ciuem perniciosum indemnatum liceat occidere? At sunt diuersæ proprietates. Quis nescit? Sed vocabula quæstionum sunt eadem, an est, quid est, quale est, quomodo, quo pacto? an laudabile, an vtile? an æquum, an iniquum? Quid? nulla thesis sine hypothesi, nulla hypothesis sine thesi? Sunt igitur quæstiones vtriusque generis communes, sed aliæ diuersæq; rationes, quibus finitum distinguitur ab infinito. Sic Aristoteles quæstiones ponit simplices, an sit, quid sit, an hoc insit illi, quamobrem insit? Quòd tria genera causarum ferè tractat orator, ad eúmque deferuntur causæ & finitæ quæstiones, subiecit illi parti cui propius adhærere videbantur: vnde genera causarum dicuntur, non item consultationum. Id cognoscere non erit operosum, si retro flectas iter. Vbi causam detulit ad oratorem litigator, primùm contemplatur eius vim atque naturam, & quo genere dicendi contineatur: deinde qui status quæstionis: postea ad quem finem contendat oratio: tandem qua probatione finem assequatur. Remotiores sunt status, & actiones, & contemplationes quæ cadunt in probationem: quod qui spectauerit, videbit apertius omnem quæstionum partitionem. Genus est causæ quod sectatur aurium delectationem: demõstratio nominatur, & exornatio. Alterum contendit, vt obtineat, probet, efficiat quod agit. Id si versatur in prouisione, id est, cautione posteri temporis, deliberatio est: si in præteriti disputatione, iudicium. Ex qua partitione tria genera causarum nata sunt. Genus demonstrationis, inquit, latum, sanéque varium esse potest: quia nihil est in vniuersitate naturæ, de quo non aliquid in vtranque partem dici queat, aut ornandi gratia, aut improbandi, aut certè docendi. Sed quoniam hominum præcipua laus est, hoc vnum ex omnibus deligitur, ex quo cæterorum ratio cognoscatur. Posteaquam proposuit quinam vteretur nomine demonstrationis, eam commendat. Nullum vberius genus ad dicendum, quoniam in eo explicare liberè potest orator omnes eloquẽtiæ virtutes, eò quòd magna ex parte comparatum sit ad voluptatem. Nullum genus vtilius ciuitatibus, quia, quod paulò pòst affirmat, non ad bene dicendum solùm, sed etiam ad honestè viuendum valet. Hortatur ad virtutes, reuocat à vitiis. Commendat bonos: vituperat improbos. Implet animos admirabili quodam amore virtutum: quúmque plurimum orator in cognitione virtutum vitiorúmque versetur, non aliorum modò, sed suos ipse mores meliores efficit. Adde quòd deliberatio constat iisdem rebus aliter positis, honestis, & vtilibus. Aristoteles author est Rhetoricorũ primo. Et iudicia laude ac vituperatione miscentur. Vnde constat magnas generis huius esse partes, ideóque principio non incommodè tractari.

LATOMVS. Vberius ad dicendum.) Quia cæteris generibus intercurrit, & ad amplificandum magnam vim adfert. Vtile est ciuitatibus, quia in concionibus, iudiciis, consiliis, commendat virtutes, vitia & scelera insectatur.

LEODECARIVS. Cognita igitur omni distributione.) Aggreditur genera causarum, quæ tria sunt, demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale: sumitq; principium à genere demonstratiuo, quoniam etiam eo primum instituimur apud ludi moderatores, in eo genere versantur sophistæ, vt tradit in Orat. ad Brutum. Delectationem sectatur aurium.) Sic in Orat. ad Brutum, Epidicticon, quasi ad inspiciendum, delectationis causa comparatum est. Exornatio dicitur.) Demonstratiuum genus dicitur exornatio: tum propter ornamenta verborum & rerum, quæ crebra in eo sunt & aperta, (datur enim venia concinnitati sententiarum, & arguti, certíque, & circunscripti verborum ambitus conceduntur, de industriáque, non ex insidiis, sed apertè ac palàm elaboratur) tum quia eo deos hominésque exornamus. Ad laudandos claros.) Id quomodo fiat, eleganter docet Quintilianus lib. 3. cap. 9. Vberius ad dicendum.) Cicero in Oratore ad Brutũ, de forma generis epidictici sic disputat. Est enim illa quasi nutrix eius oratoris quem informare volumus, & de quo molimur aliquid exquisitius dicere: ab hac & verborum copia alitur, & eorũ constructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia. Vtilius.)

Attamen Antonius libro secundo de Oratore negligit illud laudatorium genus: vel quia facile, vel quia multa sunt orationum genera & grauiora, & maioris copiæ, de quibus nemo ferè præcipit, vel quia laudationibus non multum vti solemus. In prouisione posteri temporis.) Nam iudicamus de iam factis: deliberamus de futuris. Si enim de præteritis quærimus, non sunt deliberationes, sed quæstiones. A meliori parte.) Genus demonstratiuum est quod attribuitur in alicuius certæ personæ laudem, vel vituperationem: melius autem est laudare quàm vituperare: vt melius est mederi vulneribus, quàm infligere vulnera: à meliori igitur parte, hoc est à laude, dicitur laudatio.

COMMENTARIVS. Cognoui.) Thesis confirmatio petenda est ex locis topicis omnibus, si modò omnium capax est quæstio. Attamen illi qui progymnasmata scribunt, certos & paucos locos tribuunt, quod nimirum ab his factum est, vt rudis iuuentus facilius intelligeret. Itaq; complexi sunt locos celebriores quinque, qui frequentius in thesin cadunt. Ex eisdem locis.) Quanquam loci qui scripti sunt in confirmatione, ad thesin conducere poterant, eos tamen videtur Cicero in hypothesi ponere. Collocãdi autem.) Docuit initio eam dispositionem esse in thesi, quæ sequeretur ordinem locorum. Id quoque intelligit hoc loco. Alij aiunt thesin etiam esse quandam disponendi rationem ex natura hypotheseos, quod non placet. Quarum alter.) Fabius duo genera facit demonstrationis. Alterum enim ponit in parte negotiali, alterum in sola delectatione: sed Cicero hoc loco totum genus in delectatione posuit, more Aristotelis: ac hoc genus fecit ἐπιδεικτικὸν. Itaq; illud.) Fabius genus demonstratiuũ ponit in laudatione deorum & hominum, cæterorumque animalium: ac postremò rerum inanimatarum. Cicero hanc materiã magis construxit, ac in hominibus laudandis eam posuit: nimirum quia orator hic frequenter versatur. Aut vtilius, &c.) Hoc enim summopere Rebuspublicis conducit, vt boni laudentur, ac mali vituperentur. Sic enim homines accenduntur ad virtutem, & à malis deterrentur. Reliquum autem.) Quanquam Cicero hac in re est imitatus Aristotelem, attamẽ noluit omnia causarum genera partiri ex diuisione temporis triplici, more Aristotelis. Videbat enim, non satis aptè ab Aristotele tributum esse tempus præsens generi demonstratiuo. Itaque temporis differentiam tantùm in duabus causis posuit. Quod à meliori, &c.) Nimirum quia à Cræcis appellatur ἐγκωμιαστικὸν, ideo etiam appellatur laudatio. Hinc laudationes, orationes funebres. Ita igitur appellatur per synecdochen.

Quamobrem de primo primùm, si placet, disputemus. C.F. Mihi verò placet. C.P. Ac laudandi vituperandíque rationes, quæ non ad bene dicendum solùm, sed etiam ad honestè viuendum valent, exponam breuiter, atque à principiis exordiar & laudandi & vituperandi. Omnia enim sunt profectò laudanda, quæ coniuncta cum virtute sunt: & quæ cum vitiis, vituperanda. Quamobrem finis alterius est honestas, alterius turpitudo. Conficitur autem genus hoc dictionis, narrandis, exponendíque factis, sine vllis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos, magis quam ad fidem faciendam aut confirmandam accommodatè. Non enim dubia firmantur, sed ea quæ certa, aut pro certis posita sunt, augentur. Quamobrem ex iis quæ antè dicta sunt, & narrandi, & augendi præcepta repetentur.

De genere demonstratiuo.

Quæ laudanda sunt.

Demonstrationis finis.

Laudatio quis tractetur.

STREBAEVS. Principia laudandi & vituperandi sunt, habere nota omnia quæ

laudi, quæq; vitio cedunt. ea paucis amplectitur. Omnia, inquit, sunt profectò laudanda quæ coniunctæ cum virtute sunt: & quæ cum vitiis, vituperanda. Omnes enim virtutes, & omnia quæ referuntur ad virtutes, iure laudantur. Aristoteles enumerare conatur omnia quæ laudari solent. At, inquit Fabius, nimium multa dixit, nec tamen totum: quamobrem maluit Cicero paucis admodum comprehendere, quod ingenio quisque suo capere posset. Hæc si principia tenebit orator, finem sibi proponet aut honestatem, aut turpitudinem: non quòd omnis demonstratio tantum versetur circa honesti quæstionem, (id enim Fabius improbat) sed quòd ad eum finem præcipuum contendunt omnia: quem qui prouiderit, eò sine vllis erroribus facilius perueniet. Hoc genus habet liberum proœmium. De proœmio communiter antè dictum est, qua ratione adductus omisit hanc partem. Cõficitur genus hoc dictionis, id est perpetuæ orationis, narrãdis exponendisque factis, quibus etiam dicta & indicia quædam virtutum comprehendito. Sic est demonstratio, perpetua quædam factorum dictorúmque narratio. In ea nullæ sunt argumentationes. Causam ponit hanc, quia non dubia firmantur, sed ea quæ certa aut pro certis posita sunt, augentur: quibus argumentationem adhibere, tam stultum est, quàm lucem afferre soli. Quæ verba sic accipimus, argumentationẽ, firmámque probationem, & elocutione distinctã, huic generi non esse necessariam, spargi tamen seminaria argumentorum, & ex aliis alia colligi. Nam robustius est illud dicendi genus, quod inspergit argumenta, quódque loco dilatat argumentationem: quod & Cicero facit, & Quintilianus probat, his verbis: Vt desiderat autem laus quæ negocii adhibetur, probationem: sic etiam illa quæ ostentationi componitur, habet interim speciem aliquam probationis. Quale sit istuc, intelligemus exemplo proposito. Cicero pro Milone, sumit in defensionem, Clodium fuisse insidiatorem. Hoc si valere debet, necessariò probandum est, quia iudicium est: non ita res habet in demonstratione. Idem proponit Antonium decoxisse, vulgare scortum fuisse. Curioni prostitutum, familiarem Clodio in tribunatu fuisse, & alia complura, quæ non probat, quia genus est demonstrandi. Idem pro Cornelio Balbo, Pompeij virtutes argumẽtatione firma, quoniam etsi laus est, negocii tamen adhibetur. Hæc & similia præcepta non sunt aliqua necessitate firmata, sed his de rebus tradita, quæ frequenter accidunt. Deinde siquæ sunt argumẽtationes, non tam sunt ad fidem faciendam accommodatæ, quod proprium est argumentationis, quàm ad animi motus leniter suauitérque tractandos: vt sit potius amplificatio, quàm illa simplicior argumẽtatio. Quod si genus hoc expositione constat & amplificatione, certe innabitur his quæ de narrando amplificandóque superiore loco dicta sunt.

LATOMVS. Narrandis exponendísque factis.) Vt pro lege Manilia de laudibus Pompeij, & in Antonium, secunda Philip. & in Pisonem, quibus crebræ amplificationes implicantur.

LEODEGARIVS. De primo primùm.) Sic etiam Quintilianus ab eo principium sumpsit lib. 3. cap. 9. Omnia enim sunt.) Demonstratiui generis materia est, virtus & vitium: quoniam eius oratio versatur in laude & criminatione. sola enim virtus laudatur, solum vitium vituperatur: quidquid est inter hæc interiectum, nec laudari, nec vituperari propriè debet: quanquam animi causa laudemus aliquando vituperanda. Conficitur autem genus hoc dictionis.) Agit de tractatione generis demonstratiui.

COMMENTARIVS. Ad bene dicendum solùm,) Id ait propterea quòd tractatio generis demonstratiui petitur à philosophia morali. Ita qui tenuerit præcepta huius generis, intelliget etiam præcepta bene viuendi. Et quæ cum vitiis, vituperanda.) Sophistæ tamen quidam ad exercitationem ingenij malos homines laudauerunt, vt Isocrates Busirim sæuissimũ & crudelissimum tyrannum. Hæc autem est materia quæ appellatur à Gellio inopinabilis. Porrò Cicero quid bono viro, id est oratori, sit faciendum, docet. Quamobrem finis alterius.) Ex superiori diuisione colligit fines qui in memoria sunt habendi, propterea quòd tota materia laudandi ac vituperandi ad his petitur, & ad hos refertur. Narrandis, &c.) Breuiter describit quale sit totum genus demonstratiuũ, nec rectè illi tribuit omnes orationis partes, sed perpetuã expositionem cum amplificationibus. Sine vllis argumentationibus.) Fabius hoc distinguit. Nam putat hanc demonstrationem quæ posita est in negotiis, desiderare argumentationem, non autem eam quæ posita est in sola delectatione: quanquam ait in ea nonnunquam esse speciem quandam probationis. Cicero igitur argumentationem, qua tractatur res certa, quæ amplificanda & non

confirmanda est, intelligit. Ad animi motus.) Debent enim leues esse motus generis demonstratiui, propterea quòd delectare, non amplificare volumus. Hic igitur ἦθος potius esse debet, quàm πάθος.

Et quoniam in his causis omnis ratio, ferè ad voluptatem auditoris, & ad delectationem refertur, vtendum erit his in oratione singulorum verborum insignibus, quæ habent plurimum suauitatis: id est, vt factis verbis, aut vetustis, aut translatis frequenter vtamur; & in ipsa constructione verborum, vt paria paribus, & similia similibus sæpe referantur, vt contraria, vt geminata, vt circumscripta numerosè, non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurium sensum apto quasi quodam verborum modo. Adhibendaque frequentius etiam illa ornamenta rerum sunt, siue quæ mirabilia, nec opinata, siue significata monstris, prodigiis, oraculis: siue quæ videbuntur ei de quo agimus, accidisse diuina atque fatalia. Omnis enim expectatio eius qui audit, & admiratio, & improuisi exitus habet aliquam in audiendo voluptatem.

Genus orationis in demonstratione.

Figuræ sententiarum in laudatione.

STREBAEVS. Materiam laudandi posuit, deinde finem, postea tractationem. Nunc addit ornamenta verborum & sententiarum. Quoniam in his causis omnis ratio, id est, doctrina dicendi, ad voluptatem auditoris refertur, vtendum erit insignibus, id est, ornamentis, quæ habent plurimum suauitatis. Insignia non modò appellat insignitores verborum figuras, sed omnia verba illustriora, quæ maiori quodam lumine splendescunt: vt facta, vt vetusta, vt sonantia, vt grauia, vt translata. Insigniores figuræ sunt, paria paribus, similia similibus relata, contraria, geminata, amplificationis figuræ. His omnibus accedit numerosa circunscriptio, quæ suauis est periodus, & compositio, & ad aurium voluptatem pedibus excurrēs oratio. Cicero in Oratore, Omnino duo sunt quæ condiant orationem, verborum numerorúmque iucunditas. In verbis inest quasi materia quædam: in numero autem expolitio. Horum quidem posuimus exempla: iterum tamen illustrasse locum non pigebit. Sumamus illud de laudibus Siciliæ prouinciæ, quarta actione in Verrem. Et quoniam quasi quædam prædia populi Romani sunt vectigalia nostra atque prouinciæ: quemadmodum propinquis vos vestris prædiis maximè delectamini, sic populo Romano iucunda suburbanitas est huiusce prouinciæ. Iam verò hominum ipsorum, Iudices, ea patientia, virtus, frugalitásque est, vt proximè ad nostram disciplinam illam veterem, non hanc quæ nunc increbuit, videantur accedere. Nihil simile Græcorum, nulla desidia, nulla luxuria: contrà summus labor in publicis priuatísque rebus, summa parsimonia, summa diligētia. Tres hic sunt numerosæ circunscriptiones, non certis pedibus ad similitudinem versuum inceden tes, quod vitiosum esset, sed ad explendum aurium sensum apto quasi quodam verborum modo, hoc est, suaui quadam mensura atque modulatione confectæ. Paria paribus relata sunt periodo prima. Nam tria sunt membra eodem propè numero syllabarum: nec enim syllabæ in pari relatione nemerantur exactè, vt censet author ille qui scripsit ad Herennium. Contraria sunt, desidia & diligentia, luxuria & parsimonia. Verbum factum, suburbanitas. Ad hæc repetitio verborum, aggeratio, dissolutio coniunctionum, imago, similitudo, verba sonantia, grauia, epithetis aucta, in hac oratione breui reperiuntur. Translatio est paulò antè, Cella penaria, nutrix plebis Romanæ: & postea, Ara legum. Similia sunt eodem in loco. Sed ita reliquit ornatam, vt es-

set idem monumentum victoriæ, mansuetudinis, cõtinentiæ, quum homines viderent, & quid expugnasset, & quibus pepercisset, & quæ reliquisset. Nam paria referimus ad numerum syllabarum, similia ad similiter cadentia, & desinentia, & verba finitima: vt possis, prosis: fama flamma: de quibus multa Quintilianus in nono. Paria certè sunt quantitate, similia qualitate. Vetusta sunt,

Egregiè cordatus homo, catus Aelius Sextus,
Cethegus dictus ollis popularibus olim,
Qui tum vivebant homines, atque ævum agitabant,
Flos delibatus populis, & suada medulla.

Infinita sunt apud veteres, non tum vetusta quum dicerẽtur, sed iam vetusta, si quis vtatur: quod more Ciceronis parcè decentérque faciendum est. Ceminata, Vidit, vidit homo sapiẽtissimus quid se deceret. Ceminatis autem omnis repetitio verborum includi mihi videtur. Posteaquam leuiora posuit ornamenta verborum, quorum pulchritudine iucundior efformatur exornatio, grauiora posuit ornamenta rerum, id est sententias quæ habent aliquam in audiendo voluptatem: & mirabilia, nec opinata monstra, prodigia, oracula diuina, atque fatalia. hæc porrò complent expectationem atque desiderium audientis: inducunt admirationem: eóque sæpenumero perueniunt, quò ventum iri non suspicabatur auditor: qui exitus improuisus gratiorem iniicit voluptatem. Quid si nihil est huiusmodi in eo qui laudatur? Sunt in eo virtutes, & res gestæ, quæ viribus eloquentiæ ad cælum tolli, diuinaq; dici possunt. Quædam commodè finguntur. Quum Virgilius ad ampliorem Aeneæ gloriam Turnum exornare vellet, mirabilia, nec opinata finxit: hoc est insolita, & hominum opinione maiora. Nam libro nono Turnum, qui hostium mœnibus inclusus esset, summóque periculo versaretur, interritum, constantem, & securum facit.

Olli subridens sedato pectore Turnus,
Incipe, siqua animo virtus, & consere dextram.

Istuc profectò mirabile vbi accepit auditor, inclusum vnum virum, magna hostium manu circumuentum, mirabundus expectat quónam res sit abitura: tum nec opinatum subiicit, (sic inopinatum vocat Cicero etiam Philippica prima,)

Tum demum præceps saltu sese omnibus armis In fluuium dedit.

Idem poëta ad matrimonij commendationem, quo Lauiniam diuinitus adscitus Aeneas ducturus erat, excogitat monstrum, libro septimo,

Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis:
Huius apes summum densæ, mirabile dictu, Obsedere apicem.

Id pro monstro posuit à vatibus explicando, etsi potest natura factum videri. Paulò post de re eadem attulit prodigium,

Visa, nefas, longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari.
Continuò superiora firmat oraculo Fauni:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis:
Externi veniunt generi.

Nec ita multò post reperies accidisse diuina atque fatalia, quum penuria adegit edendi violare malis audacibus orbem fatalis crusti: Aeneásque dixit, Salue fatis mihi debita tellus. Hæc ex arte sunt omnia, ideóque conuenientiora. Si oratoria quæris exempla, suppeditabit panegyricus ad Traianum: subministrabunt orationes Isocratis. Id quærendum potius, quid à monstris differant prodigia. Cicero de Diuinatione libro primo confundere videtur. Portentorum, inquit, exercitatissimi interpretes extiterunt, quorum quidem vim, vt tu soles dicere, verba ipsa prudenter maioribus posita declarant. Quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, prædicunt: ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur. Valerius Maximus etiam mõstra prodigiis complectitur. Donatus in Eunuchum Terentij, monstrum finit, quicquid est contra naturam: & prodigium contra naturam est. Hoc tantum differunt, quòd monstrum minus est admirabile quàm prodigium. Monstrat hic Cicero, qui enumeratione à minimo progreditur ad maximum.

LATOMVS. Factis verbis aut vetustis.) Hæc enim delectãt. Itaque factis sæpe vti-

tur Horatius, Virgilius vetustis. Circunscripta numerosè.) Id est, apto numero comprehensa, sicut ipse explanat in Bruto. Illa ornamenta rerum.) Quæ magna & mirabilia sunt natura, & de Romulo, Tarquinio Prisco, Iunio Bruto.

LEODEGARIVS. Et quoniã in his caussis.) Ostẽdit quo genere elocutionis vtẽdum sit in demonstratiua causa, illúdque à fine metitur. Vetustis.) Nam in vetustis est quædam (præter venerãdam canitiem) iucunditas. Vt paria paribus.) In hanc sententiam sic in Orat. ad Brutum: Vt verba verbis quasi demensa & paria respondeant, vt cebrò conferantur pugnantia, comparenturq; contraria, & vt pariter extrema terminentur, eundémque referant in cadendo sonum. Non ad similitudinem versuum.) Etenim quanquam in oratione soluta sint pedes, vt in versibus poeticis, tamen nihil tam inimicum orationi quàm carmen. Sicut quæ mirabilia.) Vt si quis laudet Cyrum quòd sit educatus à cane, Romulum à lupa. Prodigiis.) Vt si quis laudet Tarquinium Priscum à prodigio quod ei contigit, quum aquila ei pileum eripuit & rursus capiti imposuit, significando portendi ei imperium. Oraculis.) Vt si laudes Achillem, quòd oraculo denuntiatum sit eum fore maiorem patre: qua causa Iupiter timuit congredi cum eius matre.

COMMENTARIVS. Et quoniam.) Genus elocutionis metitur à fine, aitque genus orationis debere suauissimum esse & comptissimum. Itaque suauitatis præcepta, de quibus egimus in elocutionis præceptis, hoc loco penè omnia sunt repetita. Id est, vt factis, &c.) More suo hic quoque elocutionem partitur in singula verba & coniuncta. In vniuersum autem in hoc genere omnia inuoluta explicantur & ostentantur, quæ in genere iudiciali (vt ait Cicero) vel sunt rariora, vel certè occultantur. Hoc genere vtebantur sophistæ, qui appellantur λογοδαίδαλοι à Platone in Phædro. Vt paria paribus.) Ita significat isocolum, quod est periodus membris exæquata. Huic finitimum est parison. Et similia similibus.) Videtur intelligere homœoptoton, & homœoteleuton, quanquam Fabius facit quadruplicem similium rationem libro nono. Cæterùm hæ tres figuræ minus frequentabantur à sophistis, vt ait Cicero in Bruto: efficiũntque numerum concinnitatis, fatetúrque Isocrates hæc ornamenta se studiose esse consectatũ.

Non ad similitudinem versuum.) In genere demonstratiuo apertissimus esse debet numerus, vt est apud Isocratẽ: ita tamẽ vt versus fugiatur. Quocirca Cicero damnat Thrasymachum Calchydonium, & Gorgiam, quòd in hoc genere ita picturarent orationem, vt sæpenumero versus sub oculos effunderent. Adhibendáque.) Suauem orationem fieri docuit antea & genere elocutionis & genere rerum. Itaque res quæ ad suauitatem faciunt, in hunc locum redegit. In audiendo voluptatem.) Itaque poëtæ qui delectare volunt, huiusmodi res persequuntur, vt Homerus in Odyssea.

Sed quoniam in tribus generibus bona maláve versantur, externis, corporis, & animi: prima sunt externa, quæ ducuntur à genere: quo breuiter modicéque laudato, aut si erit infame, prætermisso: si humile, vel præterito, vel ad augenda eius quem laudas, gloriam tacto: deinceps, si res patiatur, de fortunis erit & facultatibus dicendum: postea de corporis bonis: in quibus quidem quæ virtutem maximè significat, facillimè forma laudatur. Deinde est ad facta veniendum: quorum collocatio triplex est, aut enim temporum seruandus est ordo: aut in primis recentissimum quodque dicẽdum: aut multa & varia facta in propria virtutum genera sunt digerenda.

Bonorum genera tria, vnde laus ducitur.

STREBAEVS. Tria sunt genera bonorum, malorúmve. hic enim bona & mala

ad hominem solùm comparata dicuntur. Aut igitur extrinsecus assumuntur, vt externa: aut in eius corpore & animo sunt, ex quibus homo componitur. Prima sunt externa, non dignitate, sed ordine naturæ: quoniam ante nos est natio, patria, genus, & quædam facultates. Ex genere nascitur corpus, animus autem postremus accedit: aut certè ab extremis incipit, vt ad propiora conscendat. Genus est in maioribus & parentibus nostris. Eius ratio triplex, aut illustre est, aut infame, aut humile. Laudatur illustre breuiter modicèque, id est temperatè, modóque seruato, ne quid nimis: quoniam vera laus est animi, non generis, & externorum. Caius Cæsar in ea laudatione qua Quæstor Iuliam amitam laudauit è more pro Rostris. Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus cõiunctum est. Nam ab Ancõ Martio sunt Martij reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent: & cæremonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. Hæc è Suetonio. Infame genus prætermittitur in laude, tractatur in vituperatione. Cicero Philippica 3. Quæ porrò amẽtia est, cum dicere aliquid de vxorum ignobilitate, cuius pater Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam habuerit vxorem, ipse ex libertini filia suscepit liberos? Si genus Antonij fuisset infame, vt acerbè notaret, qui vellicat vxorium? Humile præteritur: vel ad augendam eius quem laudas, gloriam, tangitur. Cicero cõtra Rullum, Mihi quidem apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur, non quin tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis, sed quòd laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt. Ex his efficit Consulatum suum paulò celebriorem. Exempla duco à partibus orationum, quoniam nihil refert vnde sumas, si modò pars est generis huius, veraq; demonstrationis. In rebus externis fortunæ sunt, hoc est diuitiæ. Sunt etiam facultates, quæ sunt opes in hominibus rebúsque positæ. Plinius Secundus Epist. lib. primo verecundè commendat Aciliani facultates, Nescio an adiiciam esse patri eius amplas facultates. Nam quum imaginor vos, quibus quærimus generum, de facultatibus silendum puto: quum publicos mores, atque etiam ciuitatis leges intueor, quæ vel in primis census hominum spectandos arbitrãtur, ne id quidem prætereundum videtur. Et sanè de posteris, & his pluribus cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus. Postea de bonis corporis agendum, de valetudine, robore, laborum patientia, agilitate, forma. In quibus quæ virtutem significat, facillimè forma laudatur. Plato in Gorgia refert istuc in conuiuiis solitum cani, Primum bonum prosperam esse valetudinem: alterum egregiam formam: tertium, diuitias. Certè forma, id est, corporis totius elegantia, habet aliquid liberale, dignúmque laude maximè cum virtute coniuncta. Inde pulcher Iulus à Virgilio dicitur, & præstanti corpore Turnus, & formosus Euryalus, quo pulchrior alter Non fuit Æneadum. Plinius in epistola modò citata de Minutio Aciliano, Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa. Est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam senatorius decor: quæ ego nequaquam arbitror negligenda. Sæpe tamen forma ducitur in argumentum libidinis: quamobrem nõ sine re dicit eam formam posse laudari, quæ virtutem maxime significat. Factorum dictorúmque collocatio triplex est. Aut enim temporum seruandus est ordo, vt quo quaq; facta sunt ordine, sic exponendo digerantur, quod Ciceronem plerunque seruare, superiori commentario diximus. Sic enim res est dilucidior, & memoria firmior, si ratio narrandi, & temporis ordo seruatur. Aut in primis recentissimum quodque dicendum, & à nouissimis ad prima veniendum, vt sit temporis ordo superiori contrarius. Aut varia facta permiscentur, non habita ratione temporum, sed virtutibus in genera partitis, ad prudentiam reducuntur facta prudenter: ad fortitudinem, gesta fortiter. Sunt hi tres ordines, nec pauciores. Aut enim rectà progredimur à primis ad vltima: aut reuoluimur ab vltimis ad prima: aut tempora confundimus. Primo ordine vsus est in Antonium Philippica secunda: postremo pro lege Manilia, quum dicit de Pompeij scientia militari, de virtute, de authoritate, & fœlicitate, quæ pro ratione causæ tum maximè laudanda videbãtur. De medio apud eum nullam reperies integram orationem, sed tantum fragmenta quædam: vt quum Antoniana tertia C. Octauium commendat à patre adoptionis Iulio Cæsare, deinde à patre naturali, postea à Iulia, vnde venit Accia mater Augusti. Hoc modo genus retrolegit.

LATOMVS. Modicè.) Id est modestè. Ad augendam eius quem laudas.) Vt ipse de se: Satius est me meis rebus gestis florere, quàm maiorum opinione niti. in Sallustium.

Forma laudatur.) Vt laus Helenæ. & Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. Temporum ordo.) Vt in Antonium & Pisonem. In propria autem genera.) Vt pro Pompeio, in virtutem, scientiam rei militaris, authoritatem, fœlicitatem.

LEODEGARIVS. Sed quoniam in tribus generibus.) Vide quæ de his præcipiat Quintil. in cap. de genere demonstr. Porrò non tam laudamur quòd hæc tria habuerimus bona, quàm quòd non abusi sumus illis. Breuiter.) Breuiter debet laudari genus, tum quia vera laus non est à nobilitate, sed à virtute, tum quia si nimium laudemus nobilitatem, videbimur exprobrare obscuris vilitatem sui generis, & hinc comparabitur nobis maleuolentia. Infame.) Vt si quis genus ducat à Simone proditore. Ad augendam eius quem laudas.) Hinc illud Iuuenalis saty. 8.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodò tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniáque arma capessas,

Quàm te Thersitæ similem producat Achilles. Itaque Cicero in Catilinam, sic (inquit) meum genus à me incipit: tuum in te desinit. Quæ virtutem significat forma.) Vt nemo includeret rubiginosum cultellum in vagina eburnea, sic nec deus creditur includere in formoso corpore deformem animum & vitiosum: qua causa magis quisque propendere solet in formosum quàm in deformem: vnde passim dicitur, Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

COMMENTARIVS. Sed quoniam.) Hanc materiam generis demonstratiui tractat, ex qua ducitur tota fides. Est autem hoc obseruandum, à Cicerone duntaxat tradi hominum laudationem. Sed ne illud quidem est omittendum, in bonorum enumeratione hunc ordinem à Cicerone seruatũ, vt à vilioribus ad meliora progrediatur. Vel ad augendam, &c.) Quanquam hæc materia pertinet ad inuentionem, tamen (quod summopere est obseruandum) simul à Cicerone tractatur collocatio. Hunc locum sic perstringit Fabius, præclarum esse illustri generi respondere, aut obscurum genus illustrare. Deinde est ad facta veniendum.) Ab hoc loco verissima laus ducitur, neque enim aliquis laudatur, quòd habuerit bona externa aut corporis, sed quòd illis sit bene vsus. ergo superiora ad hunc locum referuntur. Cæterùm cùm initio traderet præcepta collocationis in genere demonstratiuo duntaxat, huius loci meminit, sed alios tamen collocandi ordines præterea posuit. Fabius duntaxat meminit duorum, vel cùm sequimur ordinem temporum, vel cùm genera virtutum.

Sed hic locus virtutum atque vitiorum latissimè patens, ex multis & variis disputationibus nunc in quandam angustam & breuem cõcludetur. Est igitur vis virtutis duplex. Aut enim scientia cernitur virtus, aut actione. Nam quæ prudentia, quæ calliditas, quæque grauissimo nomine sapientia appellatur, hæc scientia pollet vna. Quæ verò moderandis cupiditatibus, regendísque animi motibus laudatur, eius est munus in agendo: cui temperantiæ nomen est. Atque illa prudentia in suis rebus, domestica: in publicis, ciuilis appellari solet. Temperantia autem in suas itidem res, & in communes distributa est: duobusque modis in rebus commodis discernitur: & ea quæ absunt, non expetendo: & ab iis quæ in potestate sunt, abstinendo. In rebus autem incommodis est itidem duplex. Nam quæ venientibus malis obstat, fortitudo: quæ quod iam adest, tolerat & perfert, patientia nominatur.

Diuisio virtutũ.
Prudentia.
Calliditas.
Sapientia.
Temperantia.
Abstinentia.
Fortitudo.
Patientia.

Magnitudo animi.

Quæ autem hæc vno genere complectitur, magnitudo animi dicitur: cuius est liberalitas in vsu pecuniæ: simúlque altitudo animi in capiendis incommodis, & maximè iniuriis, & omne quod est eius generis, graue, infestatum, & turbulentum. In communione autem quæ posita pars est, iustitia dicitur: eáque erga deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animaduertendi lenitas, amicitia in beneuolentia nominatur. Atque hæ quidem virtutes cernuntur in agendo.

Iustitia. Religio. Pietas. Fides. Lenitas. Amicitia.

STREBAEVS. Si laus omnis ad virtutem reducitur, fons & origo laudationis est virtus, & inde vera sumuntur argumenta laudis. Ergo locum virtutum latissimè patentem, tritúmq; disputatione philosophorum, & Platonis, Aristotelis, atq; Theophrasti, in angustam quãdam breuémq; formam concludit: vt locus generis huius aperiatur, non ad exactam philosophorũ disputationem, sed ad veræ laudis eruendam probationem. Quicquid autem inde sumetur, ad genus & speciem communes locos pertinebit: vt si constet omnem virtutem esse laudabilem, singulæ species generis sui participes ad laudis ornamenta referantur. Id verum est, quum virtus aliqua simpliciter vt laudabilis proponitur. alioqui potest definiri, comparari, causa statui, ad alios locos referri. Virtus omnis aut scientia & contemplatione, quæ non in appetitu, sed in consideratione intellectus est, cernitur, vt prudentia: aut actione, quæ non vna & sola speculatione cõtenta, operam actúmque desiderat, vt temperantia. In priore genere sunt prudẽtia, calliditas, atque sapientia. Prudentia est, quæ constat scientia rerum bonarum & malarum. Hoc modo definit ipse de natura Deorum tertio: & eodem libro, Callidos, inquit, appello, quorum tanquam manus opere, sic animus vsu concalluit. Sic definit Aristoteles Ethicorum 9. Prudentia habitus est agendi cum ratione vera in iis quæ sunt homini bona ac mala. Quid autem à sapientia distet prudentia, distinguit Officiorum libro secundo. Princeps omnium virtutum est illa sapientia quam σοφίαν Græci vocant. Prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligemus, quæ est rerum expetendarum fugiendarúmque scientia. Illa autem sapientia quam principem dixi, rerum est diuinarum & humanarum scientia, in qua continetur deorum & hominum communitas, atque societas inter ipsos. Hæc ille. Quibus verbis ostendit esse multo inferiorem prudentiam, quæ tantum circa res expetendas fugiendásque versatur. Sapientiam multo superiorem, quæ expetenda fugiendáque videt: rationes omnium rerum scrutatur: vera & falsa, diuina & humana cognoscit: quæ princeps est omnium virtutum, nec ab illis separari potest. Sapientia, inquit Aristoteles, scientia est & intellectus eorum quæ natura primi sunt honoris. Prudentia est actionis, sapientia contemplationis. Illa res singulas & vniuersas, & singulas magis, hæc vniuersas inspicit. Prudentia est duplex: altera versatur in rebus domesticis, οἰκονομικὴν dicitur, ea est scientia dispensationis vniuersæ domus: altera est prudentia ciuilis, Græcè πολιτικὴν, quæ ratio est & scientia bene administrandæ ciuitatis. Igitur prudentia, calliditas, & sapientia pollent, vimque suam ostendunt vna scientia, quoniam sunt virtutes intellectus, non appetitus. In actione quidem capiunt aliud nomen. Etenim vt bene quis agat, in primis cognitione rerum opus est, vt prudentia, sapientiaq; : deinde actione, quoniam virtus in agendo perficitur. Virtutis, inquit Offic. 1. laus omnis in actione consistit. Hæc virtus agendi, Temperantia nominatur: cuius proprium est, moderari cupiditatibus, regere motus animi, sedare perturbationes, modúmq; rebus adhibere. Hic autem nomine temperantiæ complectitur omnes virtutes quæ in actione cõsistunt, & morales vocantur: & ab vna temperantia, tanquam ab vno fonte, deriuat alia genera virtutum: vnde constat hoc nomen extendi latius, quàm quum temperantia quarta virtutum species constituitur. Sic accipi videtur ab Aristotele Ethicorum lib. 6. quum temperantiam dicit esse conser-

uationem prudentiæ, quia moderatur voluptatibus & doloribus, à quibus corrumpitur principium bene agendi. Illa autem non modò sunt gustus & tactus, sed (vt ait) eorum quæ cadunt in actionem. Ad temperantiam Cicero refert decorum: quod vt latè patet, ita ostendit virtutis huius amplitudinem. Temperantiam facit duplicem, vnam priuatis in rebus, quæ nomine generis appellatur, aut moderationis. Alteram in publicis, quæ propriè iustitia nominatur. Tẽperantia priuatis in rebus est duplex. Aut enim res commodæ sunt, aut incommodæ. Temperantia in rebus commodis, iterum duplex: aut enim adsunt, aut absunt commoda. Hinc continentia est in prætermittendis voluptatibus: quod affirmat ipse. Voluptates autem sunt ex opinione boni præsentis, author idem in Quæstionibus Tusculanis. Hinc etiam abstinentia, quæ res absentes non concupiscit. Continentiam dicit Aristoteles eam virtutem, quæ voluptates gustus ac tactus moderatur, non vt temperantia, quæ domat appetitum, sed vt pugnatrix aduersus inferiorem animum bella ferè perpetua superiori cientem. Abstinentiam & continentiam alij dicunt idem: alij id esse abstinentiam in rebus alienis, quod est continentia in nostris. Certè abstinentia in nostris, & in alienis est. Alia est temperantia in rebus incommodis. Quæ autem futuris incommodis obstat, fortitudo: quæ præsentia tolerat & perfert, patientia nominatur. Fortitudinem atque patientiam magnitudo animi complectitur: quia præsentibus incommodis & futuris opponitur. Ea duplex, aut enim in rerum externarum despicientia ponitur, & pecuniam tribuit, id est, quodlibet possessionum genus: ea vocatur liberalitas. Aut res gerit magnas, plenásque laborum & periculorum: hæc vocatur altitudo animi, quæ capit incommoda, iniurias, grauia, insedata, turbulenta, qualia suscepisse se pro Republica gloriatur. De fortitudine & magnitudine animi, Officiorum primo, Omnis fortis animus & magnus duabus rebus maximè cernitur: quarum vna in rerum externarum despicientia ponitur: altera est, vt res geras magnas illas quidem, & maximè vtiles, sed vehementer arduas, plenásque laborum & periculorum tum vitæ, tum multorum quæ ad vitam pertinent. Patientia sic definitur ab eo secundo de Inuentione, Patientia est honestatis aut vtilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. Ex his colligas licet fortitudinem à Cicerone longius extendi, quàm ab Aristotele. Temperantia, in suas res, & in communes distributa est. In communione, & hominum societate posita pars est, iustitia nomine, quæ cuique suum reddit. Iustitia multiplex, Alia erga deos, quæ religio vocatur. Alia erga parentes & patriam, quæ pietas aut bonitas appellatur. alia creditis in rebus, vt in pactis atque cõuentis. Ea fides est, quæ finitur, dictorum conuentorúmque constantia & veritas. Alia in moderatione & temperantia animaduertendi, hoc est maleficij corrigendi, cui lenitati nomen est. Alia in benevolentia, & animorum coniunctione, quæ dicitur amicitia. In his omnibus officium est, tribuere cuique suum, atque seruare hominum communionem ac societatem. Hæc sunt igitur nomina virtutum scientiæ, prudentia domestica & ciuilis, calliditas atque sapientia. Actionis autem sunt, temperantia, continentia, abstinẽtia, fortitudo, patientia, liberalitas, altitudo animi, iustitia. Iustitiæ partes, religio, pietas, fides, lenitas, amicitia. Quòd si philosophi & idem Cicero aliam fecerunt virtutum diuisionem, non ea de causa hæc traditio repudiãda est. Quid enim vetat idem aliter & aliter dici, quum sit ea virtutum affinitas, vt vna perfecta sine aliis esse non possit: & quancunque posueris, aliæ veluti catenatæ sequantur? Quis vnam perpetuò miser angustè persequitur orbitam? Quis vnquam breuius aut melius ista partitus est? Ridere possis inanem Georgiorũ gloriam, qui totos Aristotelis locos huc adiiciunt: non vt apertius expatiari, rémque circunspectare liceat, quod faceret bonus interpres, sed vt extincto lumine confusis omnibus, peregrina & Græca tenere videantur. Nec arduum est Aristotelis Ethica sumere in manum, & inde multa transcribere: nisi aliter Aristoteles, aliter Cicero tractare voluisset: & melius esset ex ipso petere fonte, quæ possunt accommodari. Ego quidem existimo, ad Ciceronis interpretationem nihil esse melius, quàm dicta Ciceronis opportunè citata. In tradẽdis virtutibus naturam secutus est. Quia nulla est sine cognitione virtus, hinc auspicãdum fuit. Cognitio rerum excellẽtior est prudentia. Hæc vsu firmata, calliditas: perfecta & omnibus numeris absoluta cognitio, sapientia est. Quòd autẽ virtus actione perficitur, alter fuit locus de virtutibus actionis. Tẽperantiam, vt animi quandam moderatricem in componendis affectibus, summum genus constituit, vt quæ fusa esset per omnia, sicut & decorum, quod genus antè fecerant ij qui dixêre Optimum esse modum, & Nihil nimis, & Modum summam esse virtutem. Nam temperãtia, vt hic

sumitur, propemodum significat mediocritatem. Ex eo fonte deriuauit fortitudinem, quæ se, non alium spectat: deduxit iustitiam, quæ virtus est ad alios comparata: subiecit illis species, vt prima quæque videbatur, propriúmque singularum declarandi causa dedit. Secuerunt alij minutius: sed professus est hunc locum virtutum latissimè patentem, in augustam quandam reuocaturum disputationem.

LATOMVS. Scientia pollet vna.) Id est, sola scientia, & rerum agendarum cognitione, qua constat. Itaque subiectam materiam habet veritatem. Domestica.) Domestica est οἰκονομία: *ciuilis* πολιτεία. *Temperantia autem in suas.) Temperantia subiicit cæteras virtutes, quæ actionis sunt propriæ, eásque rebus subiectis, hoc est, materia discernit.*

HEGENDORPHINVS. Hic locus virtutum.) Virtus est habitus qui incitat ad agendum secundum rectam rationem. Recta ratio est cognitio earum sententiarum quæ natura nobis insunt: vt,

1 *Neminem esse lædendum.*
2 *Benemerendum de benemerentibus: & vt Græci dicunt,* χαίρειν χάριν τοῖς εὖ πεποιηκόσι.
3 *Obtemperandum esse magistratibus, id quod Græci vno verbo exprimunt,* πειθαρχεῖν.

LEODEGARIVS. Nam quæ prudentia.) Exemplum adfert virtutis intellectualis. Quæ verò moderandis.) Exemplum virtutis moralis. Atque illa.) De his virtutibus vide librum primum Offic. Cic. & Ethic. Arist. In communione autem.) Cicero capite de iustitia, libro primo Offic. ait iustitiam virtutem esse qua societas hominum inter ipsos, & vitæ quasi communitas continetur. Id quod etiam colligitur ex. l. iustitia. ff. de iust. & iure. Ministræ comitésque.) Dialecticam & rhetoricam vocat ministras sapientiæ, vt significet eas esse tanquam quædam instrumenta quibus paretur philosophia. In disputando.) Quæ sint officia & partes artis disputatricis, pulchrè docet in dialogo de claris oratoribus. Porro hic per periphrasin describit logicen.

COMMENTARIVS. Sed hic locus.) Hic locus vitiorum & virtutum planè postulat totius moralis philosophiæ tractationem, cuius capita more epitomes declarauit Cicero. Alioqui recurrendum est ad philosophos, vt monebit in fine Partitionum. Est igitur, &c.) Aristoteles quoque libro sexto Ethicorum duas virtutes ponit: alteram moralem, quæ posita est in actione: alteram intellectiuam, quæ vel contemplatiua est, vt scientia, intellectus, sapientia: vel consultatiua, vt ars & prudentia. Nam quæ prudẽtia.) Prudentia est intellectus rerum bonarum & malarum. Itaque hac de causa est gubernatrix virtutum moralium. At calliditas peritia est quædam acquisita multo vsu atque experientia. Et hæ duæ virtutes sunt in intellectu πρακτικῷ. *At sapientia est cognitio rerum diuinarum & humanarum: éstque in intellectu contemplatiuo. Aristoteles tamen sapientiam ponit maximè in cognitione rerum diuinarum, qualis est in metaphysicis. Quæ verò moderandis.) Aristoteles virtutem moralem collocat in mediocritate perturbationum, earúmque temperatione, quæ res (vt opinor) Ciceronem mouit, vt virtutem moralem appellaret temperantiam: alioqui ipse in Officiis testatur temperantiam esse fontem omnis virtutis & omnis officij, vt hæc quoque causa eum impellere potuerit. Atque illa prudentia.) Aristotelici tamen tres prudentiæ faciunt partes,* μονοστικὴν, *quasi tu dicas solitariam:* οἰκονομικὴν, *in gubernatione familiæ: &* πολιτικὴν, *in administratione Reipublicæ. Has etiam partes tribuunt philosophiæ Ethicæ. Temperantia autem.) Virtutem moralem descripsit ex materia circa quam versatur, ita tamen vt semper doceat eam positam esse in moderandis affectibus & perturbationibus. Nam priuatam ponit in rebus cõmodis & incommodis, absentibus & præsentibus. Stoici tamen tradunt omnem perturbationem oriri à rebus commodis & incommodis. Et ea quæ absunt.) Ea virtus quoque dicitur abstinentia & sufficientia. Abstinentia non inuadit res alias, sufficientia suis rebus est contenta, ea* αὐτάρκεια *dicitur à Græcis. Et ab iis quæ in potestate sunt.) Ea virtus est continentia. ea cùm posset voluptatibus vti, abstinet tamen. Fortitudo.) Fortitudinem à temperantia distinguit tempore. Altera enim est in futuro incommodo, altera in præsenti. Itaque fortitudo tollit metum, patientia tollit ægritudinem: vt abstinentia cupiditatem, temperantia voluptatem. Magnitudo animi.) In officiis tamen animi magnitudo eadem est cum fortitudine. Est virtus posita in despicientia rerum externarum, & maximarum rerum administratione. Liberalitas.) Cicero tamen in Officiis lib*

beralitatem subiicit iustitiæ. Magnitudini tamen meritò subiicitur, quia despicit pecuniam.

Alitudo animi.) Hæc virtus ab Aristotele magnanimitas appellatur, quæ mediocritas in ferendo honore, & perpetiendo dedecore atque probro. Insedatum & turbulentum.) In veteri codice sic legitur, graue, sedatum, non turbulentum. Ac fortè optima est ista lectio, vt intelligamus cõstantiam, & animi grauitatem perturbationibus carentem, ad magnitudinem animi esse reducendam. In communione autem.) Hic locus trifariam potest intelligi: vel quòd pietas sit bonitas, vel quòd iustitia vulgo appelletur bonitas & æquitas: quemadmodum libro primo Officiorum à iustitia bonos viros appellari dicit. Inde æquum & bonum pro æquitate & iustitia appellamus.

Sunt autem aliæ quasi ministræ comitésque sapientiæ, quarũ altera, quæ sint in disputãdo vera atque falsa, quibúsque positis quid sequatur, distinguit, & iudicat: quæ virtus omnis in ratione scientiáq; disputandi sita est: altera autem oratoria. Nihil enim est aliud eloquentia, nisi copiosè loquens sapientia: quæ ex eodem hausta genere, quo illa quæ in disputando, vberior est atque latior, & ad motus animorum vulgique sensus accommodatior. Custos verò virtutum omnium, dedecus fugiens, laudémque maximè consequens, verecundia est.

Dialectice.

Rhetorice.

Verecundia.

STREBAEVS. Ministræ comitésque sapientiæ, Dialectice & Rhetorice. Dialectice vera distinguit à falsis: quid è rebus positis verè colligi possit, vt in syllogismo, iudicat: cuius proprium est ratione & scientia disputare. Rhetorice ex eodem hausta genere veluti seminario disserendi, vberior est atque latior, & vt Zeno dicebat, tanquã manus aperta: ad motus animorum, quos frequẽter admiscet, & ad vulgi sensus accõmodatior. Vulgus facilius capit expressum dicendi genus, quàm pressas abstrusasque dialecticorum subtilitates. Cur, inquies, hæ dicuntur ministræ comitésque sapientiæ, nõ item cæteræ disciplinæ? arbitror hanc esse causam: Reliquæ disciplinæ versantur in cognitione rerum, suntq; sapientiæ quædam particulæ. Ratio disserendi & eloquentia cognitione rerum posteriores sunt, quoniam antè rem animo cogitasse & cognouisse oporteat, quàm ore & verbis enuncietur. Nec vnum quid proprium spectant, sed omnium sunt communes artium: quod affirmat Aristoteles Rhetoricorum primo. Ea de caussa comites sunt ministræq; sapientiæ, quòd subseruiant in exprimendis ac sermone explicandis animi conceptis, vt vis illa sapientiæ condita virtute dicendi ad alios perferatur. Nam dialectica est disputans sapientia, eloquẽtia copiosè loquens sapientia. Quid igitur? eloquentiã sapientiámque facit eandem? Verba sunt eius lib. 3. de Oratore. Hanc cogitandi pronunciandique rationem, vimque dicendi veteres Græci sapientiam nominabant. Et paulò post, Stoicis, inquit, habeo gratiam, quòd soli ex omnibus eloquentiam virtutem ac sapientiam esse dixerunt. Fateor eloquentiam cognitioni omnium rerum coniunctam atque virtuti, sapientiam esse. Tamen semper hoc manebit, eloquẽtiæ vim elocutione & actione mõstrari, cuius officij ratione dicitur ministra comésque sapientiæ. Id ostendit illius oratio, Nihil est, inquit, aliud eloquentia, nisi copiosè loquens sapientia. Hoc modo sapientia non est eloquentia, nisi quum loquitur, & copiose dicit. Hoc etiam quæri potest, putétne Dialecticen siue rationem disserendi, & eloquentiã, esse virtutes? Certè alibi affirmat eloquentiã vnã esse de summis virtutibus, & id Quintilianus argumẽtatione cõfirmat 21. cap. lib. 2. vbi censet reliquas artes esse medias, quæ neque laudari per se, neque vituperari possint, sed vtiles aut secus secundum mores vtentium fiant. Rhetoricen autem, & illam Dialecticen disputatricem, virtutes esse demonstrat, & authoritate philosophorum, & argumentorum probatione, quam opinionem firmasse verisimile est ex eo, quòd Cicero duas artes in virtutibus ha-

beret, propterea quòd opera dicentis præstantiora sunt, ac hominum societati magis expetendæ. Addamus & hoc, quamobrem initio sapientiam proposuit, vt quæ scientia contineretur, & tamen aliò comites eius transtulit? Causa est, aliæ virtutes per se sunt expetendæ, proprióque hoc nomine dicuntur: sapientiæ comites, nisi cum virtute coniunctæ, nullam vim retinere possunt, & nomen amittunt, ideóque sapientiæ & virtutes natura sequuntur. Sic verecundia postrema collocatur, quia virtutum est omnium custos: cuius est natura, dedecus fugere, laudémque maximè consectari. Aristoteles Ethicorum lib. 4. De verecundia vt de aliqua virtute non est loquendum. Est enim potius affectus quàm habitus. Definitur φόβος τῆς ἀδοξίας, id est, timor quidam ignominiæ. huic opposita impudentia videtur.

LATOMVS. Sunt autem aliæ quasi ministræ) Artes disserendi & dicendi intelligit, quas prudẽtia quasi comites & ministras facit. Altera enim ad iudicium veri falsíq; comprehendendi, altera ad eloquendum pertinet. Custos verò virtutum omnium.) Hæc propriè temperantia, vel modestia, vel etiam verecundia appellatur, in quarto genere honestatis locata in officiis, ut certo ordine ac modo decorum in omnibus dictis factisque tueatur.

LEODEGARIVS. Quarum altera &c.) Harum sic meminit Cicero primo de leg. Atque hæc omnia quasi sepimento vallabit disserendi ratione, veri & falsi iudicandi scientia, & arte quadam intelligendi quid quanque rem sequatur, & quid sit cuique contrariũ.

COMMENTARIVS. Sunt autem.) Aristoteles (quemadmodum testatur Laërtius) tres philosophiæ partes non posuit, more reliquorum philosophorum, sed duas duntaxat, Ethicen & Physicen. Logicen instrumentum putauit philosophiæ, & organum nominauit. Huic ab altera parte respondet Rhetorica, quemadmodum testatur in rhetoricis ad Theodectem. Itaque Cicero has duas facultates philosophiæ ministras dixit, id est instrumenta. Nihil enim est.) Duo sunt genera orationis atque disputationis: alterum breue, quod est dialecticorum: alterum copiosum, quod est oratorum. His autem orationibus vtitur commodo suo philosophia, ac certè eloquentiam cum sapientia iungit: quia, vt docet libro tertio de Oratore, quidam olim erant eloquentes & sapientes: postea prauæ quædam ingenia has facultates separarunt, factúmque est dissidium linguæ & cordis. Custos verò.) Verecũdiam hoc loco appellat eam virtutem, quam dixit in Officiis temperantiam, & modestiam. Ea virtus est posita in reprimendis animi perturbationibus, & omnium rerum quadam moderatione. Hinc existit decorum, atque in hac parte tractatur à philosophis. Aristoteli verecundia est animi quidam motus atque pudor, qui à turpibus deterret.

Habitus virtutum.

Atque hi sunt quidem ferè quasi quidam habitus animi, sic affecti & constituti, vt sint singuli inter se proprio virtutis genere distincti: à quibus vt quæque res gesta est, ita sit honesta

Habitus artium & scientiarum.

necesse est, summéque laudabilis. Sunt autem alij quidam perfecti animi habitus, ad virtutem quasi præculti & præparati rectis studiis & artibus, vt in suis rebus studia literarum, & numerorum ac sonorum, vt mensuræ, vt syderum, vt equorum, vt venandi, vt armorum. In communibus propensiora studia in aliquo genere virtutis colendo, aut diuinis rebus deseruiendo, aut parentibus, amicis, hospitibus præcipuè atque insigniter diligendis.

STREBAEVS. Tria numero omnì virtuti conueniunt. Nam virtus omnis est habitus animi. Habet aliquid proprium. Honesta est, summéque laudabilis. Virtus habitus animi dicitur, vt quædam qualitas stabilis, ac diu manens, vsu & consuetudine comparata: qua mone-

tur animus ad illud genus rerum, ex quo nata firmatáque est. Virtutem habitum facit Aristoteles Ethicorũ secundo, ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ, ἕξις προαιρετικὴ, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε: *Id est, virtus est habitus electionis potẽs in eo medio cõstitutus, quod humanæ vitæ ratio, prudénsque definiat. Habitus illi sunt inter se proprio virtutis genere distinĉti. Aliter constituitur animus ad liberaliter agendum, aliter habet se ad pericula capessenda: aliter afficitur ad pietatis officia. Nam pro virtutum distinĉta varietate, animum varie comparari necesse est. Alij sunt habitus animi, & constitutiones eius in cognoscendis artibus. Etenim artium cognitio, qualitas est animi: sicut & virtus. Cicero in Academicis, scientiam nusquam esse censebat, nisi in animi motionibus atque rationibus. Habitus isti perfeĉti videntur, quòd animum excolendo perficiunt, quódq; rectis studiis & honestis artibus ad virtutem præparantur. Possis epitheton perfeĉti referre ad animum, sicut ad habitum, & forte rectius. Ii sunt duplices, alij versantur in suis rebus, hoc est propriis, non communibus, alij verò in communibus. In propriis sunt hæc: vt studia literarum, quæ grammatice est: vt studia numerorum, arithmetice: vt sonorum, musice: vt mẽsuræ, geometria: vt syderũ, astrologia: vt equorum,* ἱππικὴ, *ars equorum domãdorum: vt venandi,* κυνηγετικὴ, *de qua Xenophon scripsit libellum, sicut &* περὶ τῆς ἱππικῆς. *Dicitur &* θηρευτικὴ *ab Aristotele in Politicis: vt armorum tyrocinium: de quo Plato in Lachete,* καὶ δὴ καὶ τὸ ὁπλιτικὸν τοῦτο, εἰ μέν ἐστι μάθημα, ὅπερ φασὶν οἱ διδάσκοντες, καὶ Νικίας λέγει, χρὴ αὐτὸ μανθάνειν. *Hæc studia nonnunquam conferuntur in commune: tamen ex eo propria dicuntur, quòd haberi sine communicatione queunt, nec sic aliorum commodæ spectant, vt studia iustitiæ. Ex iis autem capit incrementum prudentia atque sapientia: quamobrem pro virtutibus quibusdam habentur, quia ad virtutem quasi præcoluntur, vt sint animi præclaræ quædam facultates. In communibus autem rebus, hoc est, ad iustitiam communionis hominum seruatricem pertinentibus, etiam sunt studia propensiora. Ii sunt habitus animi tanto præstantiores virtute populari, quanto liberalium artium cognitio communi sensu maior est. Ea sunt studia morum, quæ in philosophia versantur: præcipuè studia iustitiæ, religionis, pietatis, amicitiæ, fidei, beneuolentiæ. Hæc enim referre debemus ad iustitiam, quoniam paulo antè dixit eam virtutem in communione versari, cætera in suis rebus esse. Studia propensiora dicuntur, quia non modò posita sunt in vulgari opinione, communique omnium sensu, sed etiam institutione ac doctrina magistri percoluntur, quò sint in commune bonum propensiora. Aut certè propensiora, quòd inclinatiora sunt ad virtutem, quàm superiora. nam sapientiæ studium magis quàm artium reliquarum, virtutes alit. Ergo studia philosophiæ moralis & in suis rebus, & in communibus collocantur. Id ex actione cognosces. Viuit aliquis frugi, suo contentus est, suo se pede metitur: hæc virtus, & studiũ virtutis huius, in suis est rebus. Propulsat aliquis à quibus debet & potest iniuriam, Deos colit, parẽtes officio pietatis adiuuat, solatur amicos, benignè tractat hospites: hæc studia, & ex studiis actiones, in communionẽ conferuntur. Hic studia potius intelligenda, quàm actiones: quoniam numerat artes & habitus animi perfeĉti. Id planum fit ex proxima collatione, in qua studia bona postrema sunt.*

LATOMVS. Sunt autẽ alij.) Disciplinas & studia bonarum artium intelligit, quibus ad virtutem & ad omnem humanitatem formamur. Hæc differunt ab artibus dialecticis & rhetoricis, quòd illa instrumenta sunt prudentiæ exercendæ, hæc nos instituunt ad actionis officia, vt in iis sine errore & difficultate versemur.

LEODEGARIVS. Atque hi sunt.) Videtur significare esse quosdam habitus perfectiores, à quibus dicimur boni aut mali: alios autem esse præcultos ad virtutem ad quam nos incitant: vt si quis dicat esse quasdam præparationes tendentes ad virtutem intellectuam, vt Arithm. Geometr. ad philosophiam. Alias ad virtutem actiuam, vt propensionem ad iustitiam esse præparationem eius virtutis. Sunt autem alij quidam perfecti animi habitus.) Expungendum est τὸ *perfecti.*

COMMENTARIVS. Atque hi sunt quidem.) Virtutes illæ de quibus diximus, sunt habitus. Sic autem appellantur qualitates quædam studio & actionum frequentatione comparatæ. Alioqui nisi erunt habitus, erunt duntaxat virtutum innouationes, atque principia. quemadmodum paulò post dicetur. Sunt autem.) Quemadmodum virtutem posuerat in rebus propriis & cõmunibus, ita quoque præparationes distribuit. poterimus tamẽ hanc efficere distri-

butionem, vt sint quædam præparationes tendentes ad virtutem intellectiuam, vt arithmetica & geometria ad philosophiam. Itaque vetabat Plato ne quis in suam scholam veniret mathematum ignarus. Aliæ autem tendunt ad virtutem actiuam, vt propensio ad iustitiam, eius virtutis est præparatio. Sunt autem alij quidam perfecti animi habitus.) In vetusto codice nõ legitur, perfecti: ac certè contextus carere posset hac particula. In communibus.) Potest hic locus etiam accipi hoc modo, vt non intelligatur de virtutibus in oratione, sed de virtutis perfectione, quæ maxima est in aliquo, propterea quòd ad eam propensa est natura & studio.

Atque hæc quidem virtutum: vitiorum autem sunt genera contraria. Cernenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, & magnitudinem animi superbia in animis extollendis, & despicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & iustitiam acerbitas, & religionem superstitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam disputandi prudentiam concertatio, captatioque verborum, & hãc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi. Studiis autem bonis similia videtur ea quæ sunt in eodem genere nimia. Quamobrem omnis vis laudandi vituperandique ex his sumetur virtutum vitiorúmque partibus: sed in toto quasi contextu orationis hæc erunt illustranda maximè, quemadmodum quisque generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum institutus moratúsque fuerit: & si quid cui magnum aut incredibile acciderit, maximéque si id diuinitus accidisse potuerit videri: tum quod quisque senserit, dixerit, gesserit: ad ea quæ proposita sunt virtutum genera accommodabuntur, ex illísq; iisdem inueniendi locis causæ rerũ, & euentus, & consequentia requirentur. Neque verò mors eorum quorum vita laudabitur, silentio præteriri debebit, si modò quid erit animaduertendum aut in ipso genere mortis, aut in iis rebus quæ post mortem erunt consecutæ.

STREBAEVS. Si contrariorum disciplina persimilis est, ex virtutum diuisione cognoscimus vitiorum genera contraria, qualia sunt imprudentia, imperitia, stultitia, intẽperantia, libido, effrenata cupiditas, incontinentia, intolerantia, ignauia, desidia, impietas, inertia. Quum virtus sit mediocritas quædam, ponitur inter duo extrema vitiosa. In altero defectus est, in altero excessus. Ex quibus intelligitur plura esse vitia quàm virtutes. Extrema quædam nominantur, vt audacia, timiditas, profusio, auaritia: quædam nominibus carent, vt vitia opposita

intēperantiæ, ambitioni, iracūdiæ. Vitia quæ virtutem videtur imitari, trahunt nos in errorem, & ad prava deducūt, vt turpium rerū laudem sequamur: quod vir bonus euitabit orator, nisi cōmuni vtilitate ducetur. Tū licere putant malis rebus nomina bona imponere: de quo Quintil. in tertio. Idē Aristot. præcipit id quoq; quod mox Cornelius Celsus propè supra modū inuasit, quia sit quædā virtutibus ac vitiis vicinitas, vtēdū proxima derivatione verborū: vt pro temerario fortē, pro prodigo liberalē, pro auaro parcū vocemus: quæ eadem etiā contrà valent: quod quidē orator, id est, vir bonus, nunquā faciet, nisi forte cōmuni vtilitate ducatur. Prudentiam imitari videtur malitia, quā definit de natura deorum lib. tertio, Est malitia, versuta & fallax ratio nocēdi. Et Tusc. 4. Malitia, inquit, certi cuiusdā vitij nomen est: vitiositas omnium. Cicero malitiā, dolum fallacem, malumq; vulgus autem vitiositatem capit. Immanitas est feritas quædā asperitásq; morū in voluptatibus aspernādis, qualis est in nimia & prorsus inhumana viuendi seueritate. Quia propriū nomen huic vitio nō est impositum, illud periphrasi suppleuit. Magnitudo animi est inter superbiam, quæ præter modū extollit animos: & despicientiam, quæ despicit honores. Effusio est prodiga largitio. Audacia, est inconsulta in periculum propensio. Duritia immanis, est indigna ac nimia toleratio malorum. Acerbitas, in exigendo iure acrior & immanior seueritas. Quæ iustitiam ambiunt vitia, propriis carent nominibus. Superstitio, vana, importuna, inepta, formidolosa religio. Mollitia animi, remissior est indulgentia. Disputandi prudentiam, id est, dialecticen, imitatur concertatio, captatióque verborum, quæ est sophistarum cōtentiosa garrulitas. Eodem modo oratoriam vim & eloquentiam affectatur inanis quædam profluentia loquendi, hoc est immoderata verborum redundantia sine vllo pondere sententiarum. Studiis autem bonis, vt grammaticæ, arithmeticæ, geometriæ, similia videntur ea quæ sunt in eodem genere nimia: vt superuacuæ rerum subtilium inuestigationes, & inanis illa diligentia quæ curiositas appellatur: de qua Cicero quinto libro de finibus, Omnia quidem scire, cuiuscunque modi sint, cupere, curiosorum est: duci verò maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiæ, summorum virorum est putandum. Materia laudandi vituperandique sumitur è locis virtutum atque vitiorum. Virtutes igitur argumentorum loci dicentur, non amplissimi loci, generibus pauci, qui rhetorici nominantur, sed illorum species, propiorésque loci. Nam virtutis est velut vnum corpus, partes eius plurimæ: quæ quum ad vnum genus vt corpus reducuntur, vno loco generis cōtinentur. Est enim virtus, genus, cuius species paulò antè numeratæ sunt. Non dico omnia quæ sumūtur è virtutibus, ad genus referri, sed vt minores loci ad maiores referantur, ostendo. Quæ sumentur ab iis locis, siue erunt argumenta, siue materia dicendi, in toto quasi contextu orationis & filo quodam perpetuo erunt illustranda maximè, hoc est exponenda genere orationis illustri: quod quale sit, antè declarauit. In temporum gradibus ortus præcedet: educatio subsequetur: deinde institutio, morúmque disciplina. Tum ordine naturali, cogitata, dicta, facta ponentur, suóque generi singula accommodabuntur, vt prudentiæ, vt fortitudini, vt temperantiæ. Magna, incredibilia, diuina, quoniam animis afferunt voluptatem, ornatè & suauiter erunt explicanda: qualia exēpli gratia paulò antè ex Virgilio citabamus. Causæ mirum in modum faciunt ad laudem: propterea quæritur qua de causa quidque factum sit: vt si Spurius Melius annonam leuasset solo nomine liberalitatis, id erat factum laudabile. credita est alia causa, vt ambitio regni, quæ turpem videbatur effecisse largitionem. Constituendæ sunt igitur honestæ causæ, vt similes esse videantur effectus. Ex causis agunt aliæ necessariò, aliæ sine vlla necessitate. Ex illis consequentia, quæ necessariò consequi dicit in Topicis: ex his profluunt euentus, qui non euenient ex causis necessariò: vt quum Cicero D. Brutum laudat Antoniana tertia, O ciuem natum Reipublicæ, memorem sui nominis, imitatorémque maiorum, ponit euentum causæ minime necessariæ. Nam genus illud à Iunio Bruto, qui Tarquinios exegit, videtur impulisse D. Brutum ad interficiendum Cæsarem: sed non fuit necesse. Quum verò Seruium Sulpitium exornat his verbis, Nec verò silebitur admirabilis quædam & incredibilis & penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitate explicandis, scientia: ponit consequentia. Necesse est enim posita penè diuina scientia, consequi gloriam, & nomen eius apud multos. Hic ne quis requirat illam philosophorum necessitatem: necessaria cum Cicerone dicimus ea, quæ vix vnquam fiunt aliter agente sponte natura. Causæ rerum & euentus & consequentia requirentur ex illis inueniendi locis, qui principio numerabantur: non ex his minoribus, vnde laudandi vituperandique materia depromitur.

LATOMVS. Malitia.) Fraus, astutia, calliditas. Immanitas.) Duritia, quæ humanitati contraria est. Acerbitas.) Nimia seueritas. Profluentia.) Verbum nouum est, sicut paulò antè despicientia. In ipso genere mortu.) Vt ipse de iis qui ad Mutinam occubuerant Philip. 14. Cæsar autem laudari possit à cometa & prodigiis, quæ post mortem eius consecuta sunt, quasi diuinitatis ipsius & iræ deorum testimonia.

LEODEGARIVS. Cernenda autem.) Nam vt ait Iuuenalis satyra 14.

Fallit enim vitium specie virtutis & vmbra,
Cùm sit triste habitu, vultúque, & veste seuerum,
Nec dubiè tanquam frugi laudatur auarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela suarum
Certa magis quàm si fortunas seruet easdem
Hesperidum serpens, aut ponticus, &c.

Nam & prudentiam.) Ideo oratores vtũtur verborum deriuatione, vt si defendãt prodigũ, dicãt esse liberalem: si furiosum, dicãt fortẽ: si auarũ, dicant frugi. Omnis vis laudãdi.) Nihil enim laudabile est nisi iunctum cum virtute, nihil vituperandum nisi iunctum cum vitio: vti antè diximus. Quemadmodum quisq; generatus.) Vt si quis Romulum laudet quòd à deo bellorum Marte sit genitus. Diuinitus accidisse.) Hoc diuinitus contigisse Romulo videtur, quòd eiectus (recens natus) in Tyberim, à Tyberi reiectus sit in ripã, & à lupa nutritus. Senserit, dixerit, gesserit.) Cùm legeris plurimos illustres reges, aut duces, vix vnum è multis reperias qui tã sapienter senserit, tam circunspectè dixerit, tam fortiter fecerit, quàm fecisse Romulum historici ferunt. Neq; verò mors.) Vt si Romulum laudes quòd statim vbi mortuus sit, in cælum raptus sit, dixerítque Proculo Iulio se deum esse, & Quirinum vocari.

COMMENTARIVS. Atq; hæc quidem.) Non enumerauit vitia virtutibus contraria, quia satis intelliguntur ex virtute. Sedenim cùm virtus sit inter duo vitia, alterum tamen magis opponitur virtuti, alterum virtuti quasi finitimum est. Itaq; sæpenumero ab imprudentibus pro virtute accipitur. De vitiis omnino contrariis dicendum non fuit, sed duntaxat de illis quæ fallere possunt propter virtutis similitudinem. Cernendo autem.) Aristoteles tamẽ in Rhetoricis ait ex proximis vitiis & virtutibus faciẽdas esse deriuationes ad vituperationem & laudationem, vt pro audaci dicamus fortem, pro forti audacem: quod nunquam faciet orator aut vir bonus, vt ait Fabius, sine maxima vtilitate. Et temperantiam.) Iam non temperantiam accipit generaliter, vt suprà, sed pro ea virtute quæ resistit voluptatibus gustus & tactus, illi opponuntur intemperantia, de qua dicendum non fuit: & insensibilitas, vt vertunt Aristotelis interpretes, quæ est quando nullo voluptatum sensu tangitur homo. Magnitudinem animi.) Aristoteles inter pusillanimitatem & superbiam collocat magnanimitatem, quanquam Cicero videtur duo vitia enumerasse. Attamen ad superbiam referri possunt. Est enim cuiusdam superbiæ, ita despicere honores vt eos prorsus calcemus. Liberalitatem.) Alterum vitium quod opponitur liberalitati est illiberalitas & auaritia. Patientiam.) Quod ego sciam, Aristoteles inter virtutes morales non enumerauit patientiam. Nec dubium est quin eam complectatur sub fortitudine. Illi duo vitia opponuntur, mollities & intolerantia doloris & incommodi, & duritia immanis. Timiditas.) Hic timiditas accipi non debet vt opponitur fortitudini, sed vt est pudor nimius, qui plerunque deterret ab honestis rebus. Græci vocant Αἰσχυνόμενον, id est vitiosam verecundiam, de qua extat liber Plutarchi. Et illam disputandi, &c.) Intelligit dialectica opponi sophisticen, ita tamen vt dialecticam imitetur. sophisticæ tribuit λόγον ἐρίστικον. Appellauit autem Cicero concertationem, appellauit elenchos & paralogismos. Quamobrem.) Loci hi à virtutibus & vitiis dicti sunt, Rhetori & loci causarum appellantur. Attamen à locis topicis semper ducuntur. Itaque mentionem eorum faciet in fine huius generis. Quemadmodum institutus.) Resumit quosdam locos materiæ demonstratiuæ, qui sunt celebriores: ideóque magis illustrandi, quàm ab oratore tractantur. Tum quod quisque.) Non videtur hos locos resumsisse, vt magis illustrandos diceret, sed duntaxat vt ostenderet ordinem, nimirum hos locos prioribus esse subiiciendos.

C.F. Accepi ista, didicíque breuiter non solùm quemad-

modum laudarem alterum, sed etiam quemadmodum enitererer vt possem ipse iure laudari. Videamus igitur deinceps, in sententia dicenda quam viam & quæ præcepta teneamus.

De deliberatione.

C.P. Est igitur in deliberando finis vtilitas, ad quam omnia referuntur in consilio dando sententiáque dicenda: vt illa prima sint suasori aut dissuasori videnda, quid aut possit fieri, aut non possit: & quid aut necesse sit, aut non necesse. Nã & si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quanuis vtile sit: & siquid necesse est (necesse autem id est, sine quo salus liberive esse non possumus) id est reliquis & honestatibus in ciuili ratione, & commodis anteponendum. Cum autem quæritur quid fieri possit, videdum etiam est quàm facilè possit. Nam quæ perdifficilia sunt, perinde habenda sæpe sunt, ac si effici non possint. Et cum de necessitate attendemus, etsi aliquid no necessarium videbitur, videdum tamen erit quàm sit magnum. Quod enim permagni interest, pro necessario sæpe habetur. Itaq; cum constet hoc genus causarũ ex suasione & dissuasione, suasori proponitur simplex ratio, si & vtile est, & fieri potest, fiat. Dissuasori duplex: vna, si non vtile est, ne fiat; altera, si fieri non potest, nec suscipiatur. Sic suasori vtrunque docendum est, dissuasori alterum infirmare sat est.

Deliberãdi finis.
Deliberãti quid videndum.

STREBAEVS. Ab ipso genere mortis, & ab iis rebus quæ post mortem erunt consecutæ, laus accipi potest. sicut à maioribus ac parentibus ante nos, & à modo nascendi capitur: vt laudatus est Iulius Cæsar, qui vulneribus acceptis sinum ad ima crura deduxit, quò honestius caderet etiam inferiore corporis parte velata. Laudatus & ab iis rebus quæ post mortem erant consecutæ. Nam relatus est in deos, ac percussorum ferè neque triennio quisquam amplius superuixit, neque sua morte defunctus est. Hactenus de ratione virtutum, quarum tractatio sicut ad laudem facit, ita etiam ad bene beatéque viuendum. Sic enim voluit optimam disciplinam, quam magni faceret, ab vtilitate commendari. Dicere sententiam, est aliquid oratione decernere: quod fit in deliberando. An hoc genus statuitur secundum, quòd à facilioribus ad difficiliora, à leuioribus ad grauiora bene progredimur? An quòd thesis prior est hypothesi, sæpiúsque cadit in exornationem & in deliberationem, quàm in iudicium? Quòd autẽ honestas in demonstratione finis est, in deliberatione vtilitas, qua complectitur honestatem: præposuit illud genus in quo quæritur quid honestum sit: quia posterius est, an honestum vtile sit. Eundem ordinẽ Quintil. tenuit. Aristot. nõ anxiè seruat hũc ordinẽ. Sic ille, τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν. Paulò post, διαιρετέον πόσα ὡς συμβουλή, καὶ πόσα ὧν οἱ ἴσοι δεικτικοὶ λόγοι, τρίτον δὲ πόσα ὧν αἱ δίκαι. Principio constituit finẽ, vt ad quẽ referũtur omnia. Hoc eo fit, quod natura finem spectans initio, quem postremum assequatur, ad eum reducit omnia. In deliberatione rectè statuitur finis vtilitas, etsi Quintilianus improbat. Deliberationes, inquit, miror, à quibusdam sola vtilitate finitas. Eos excusat posteà: nec dubito quin secundum opinionem pulcherrimam, ne vtile quidem, nisi quod honestum esset, existimarint. Sic res habet.

Cicero paulò post, Vtilitas, inquit, in discernendis bonis malisque versatur. Bonis subiicit honesta quæ proficiscuntur à virtutibus, hoc modo vtilitate comprehendit honestatem. Sed vir sapiens intellexit in deliberando honesta considerari, non simpliciter, & vt sunt honesta, sed sæpius vt nobis vtilia vel ad gloriã, vel ad boni consecutionem: quod quum sit, vtilitas postremus est finis. Deliberationis sunt duæ partes: suasio, & dissuasio. Vtriusque est videre, primùm quid aut possit fieri, aut non possit: & quid necesse sit, aut non necesse. Si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quanuis vtile sit: vt si constet Isthmon intercidi non posse, frustra in posterum deliberet Cæsar. Necesse quid accipi velit, ostendit. videbat enim fore qui dicerent necessarium hic non habere locum, quod Quintilianus arripuit. Quãtalibet, inquit, vis ingruat, aliquid fortasse pati necesse sit, nihil facere. Necessariũ est igitur & quod aliter fieri non potest, & quod si fieri potest, tamen saluis nobis, aut salua dignitate nostra fieri nõ potest. Hic necesse est, quod arbitratur reliquis honestatibus in ciuili ratione & commodis anteponendum, vt Antoniana septima bellum cum Antonio necessarium dicit, quia pax esse non potest salua libertate populi Romani. Pax est tamen sua natura & honestior & commodior quàm pugna ciuilis. Rursus vtranque partem diuidit. Quærendum est an omnino fieri possit, & quàm facilè possit. Nam quæ perdifficilia sunt, perinde habenda sæpe sunt, ac si effici non possint: vt effici potuit, Annibalẽ in Italia vinci, verum quia perdifficile erat, non putarunt id effici posse Romani, ideóque reuocauerunt in Africam. Quærendum est eodem modo quid omnino necessarium, quidque magni interfit tanquam necessarium. Mancinus facere fœdus illud Numãtinum necessarium vidit, si militem seruare vellet: fecitque necessitate ductus. Roma seruos armauit in Annibalem propè necessariò: id enim videbat opem ferre posse Reip. Hoc quoque necesse duxit. Suasori proponitur vna ratio, si & vtile est, & fieri potest, fiat. Vna ratio dicitur, quum videatur esse duplex: quia vtrunq; docendum est, ac vt vnum colligandum, si & vtile est, & fieri potest, fiat. Sic Cicero bellum suadet in Antonium Philippica septima, Si pace frui volumus, bellum gerendum est: si bellum omittemus, pace nunquam fruemur. Vtile proponit pace frui. Quod autem bellum fieri possit, ostendit: Eos consules habemus, eam populi Romani alacritatem, eum consensum Italiæ, eos duces, eos exercitus, vt nullam calamitatem Respub. accipere possit sine culpa Senatus. Dissuasori duplex ratio proponitur: Vna, si non vtile est, ne fiat: Altera, si fieri non potest, ne suscipiatur. Idem in eadem oratione, in qua partes suasoris & dissuasoris agit. Cur igitur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Suasor igitur vtrunque docet, dissuasor altero contentus esse potest. Illi proponitur vnica via, hic habet optionem vtram malit viam tenere.

LATOMVS. Est igitur in deliberando finis vtilitas.) Tota deliberatio ad vtilitatem refertur, sed quia res futuri temporis est, videndum erit, ecquid possit fieri, quid non possit, quid sit necesse, quid non necesse, quæ sunt partes deliberationis, quibus in vtranque partem tractatur. Nam si vtile est, & fieri potest, fiat: multo autem magis, si etiam necesse est. Sin verò inutile, aut non potest fieri, ne fiat: multo minus, si non necessarium est. Ergo priores tres suasoris partes sunt, posteriores dissuasoris. Sed hoc interest, quòd suasori semper duo confirmãda sunt, vtile esse, & fieri posse, nec opus est docere quod sit necesse. Dissuasori è duobus alterum sufficit, aut non esse vtile, aut fieri non posse, nec satis est docere quod nõ sit necesse. Simplex igitur est suasoris ratio, quia duo semper confirmanda sunt: duplex dissuasoris, quia duobus propositis alterum infirmare satis est. Cæterum quanuis plures sint partes deliberationis, tamen omnes ad duo referuntur, vtilitatem & facultatẽ, hoc est, quid expediat, & quid fieri possit. itaque ad ea omnis præceptio accommodatur. Si vtile est, & fieri potest, fiat.) Vt, Antonium bello persequendũ esse. Octauio Cæsari imperium mandandum. Vna, si non vtile est, ne fiat.) Vt, Non esse pacem faciendam cum Antonio, quia turpis sit, quia periculosa Reipublicæ, quia fieri non possit.

HECENDORPHINVS. Quid autem possit.) Causæ quæ cõficiunt, vt ignis calorem facit. Deus omnium in nobis virtutum effector. Oppressio plebis seditionem in vrbe facit. Iniuriæ rixas pariunt.

LEODEGARIVS. Est igitur in deliberando.) Quintilianus cap. primo, libri tertij, ait spectanda esse tria in suadendo aut dissuadendo: Quid sit de quo deliberetur, qui sint qui deliberent, qui sit qui suadeat: deinde facit tres partes deliberandi, honestum, vtile, possibile: fidẽtque eos qui referunt necessarium ad deliberationem, quoniam deliberamus tãtum de dubiis,

necessaria autem non sunt dubia, nõ igitur deliberamus de necessariis. Legito diligenter illud caput, quoniam non mediocrem inde vtilitatem capies ad intelligendas deliberationes. Simplex ratio.) Simplicem vocat, non membris, sed tractatione.

COMMENTARIVS. Accepi iusta, &c.) Id meritò ait propter philosophiam moralem, à qua petitur materia laudationis & morum probitas. Inde igitur & laudare possumus alios, & laudabiles esse. Videamus igitur.) Fabius huius generis ait esse vtilitatem & honestatem, eósque reprehendit qui finem duntaxat esse dicunt vtilitatem. sed tamen ita de vtilitate loquitur Cicero, vt non solùm emolumenta & commoda contineat, sed etiam virtutes complectatur: vt liquebit ex diuisione vtilitatis. Illa prima.) Loci sunt in suasione, vtile, & possibile. Additur etiam necessarium, sed hic locus sæpenumero omittitur: satis est decoram rem esse, vtilem, & possibilem. Cæterùm Cicero possibile nõ dicit, qua dictione Fabius vtitur, sed quod possit fieri. Quid autem possit fieri, &c.) Duæ sunt res quæ tollunt omnem deliberationem, vt ait Aristoteles, Impossibilitas & possibilitas. Etenim omnis deliberatio est de cõtingentibus & possibilibus: quanquam Cicero hic necessitatem non accipit more Aristotelis. Si quid necesse est.) Necessarium duplex ponitur: Alterum enim simpliciter dicitur, quod aliter euenire non potest: alterum ex conditione dicitur, nimirum respectu grauiorum. prius deliberationem omnem tollit: posterius, de quo Cicero loquitur, quanquam deliberationem prorsus non tollit, ita tamẽ impellit vt vix contradici possit. Fabius hoc necessarium refert ad vtile, nec immeritò: Cicero tamen separare voluit propter maximum momentum. Quàm facile possit.) Quoniam animos nostros à re suscipienda difficultas deterret, ergo suasor facilitatem docebit, dissuasor difficultatẽ, quãquam interdum sic dissuasor agit, vt difficile quidem videatur. sed tamen possibile, sed vtile, sed necessarium. Et cùm de necessitate.) Duo loci sunt perpetui in suasione, Possibile & vtile, necessarium etsi magni momenti est, raro tamẽ in deliberationem cadit. Ergo cùm aberit, eius loco dicemus permagnam esse in re vtilitatem. Erit enim veluti quædam necessitas. Hos duos locos semper tractare debebit suasor: nam si alter duntaxat tractetur, non impelletur auditor ad rem suscipiendam. At dissuasor: satis est alterutrum labefactare.

Quare quoniam in his versatur omne consilium duobus, de vtilitate antè dicamus, quæ in discernendis bonis malisque versatur. Bonorum autem partim necessaria sunt, vt vita, pudicitia, libertas: vt liberi, coniuges, germani, parentes. Partim non necessaria, quorum alia sunt per se expetenda, vt ea quæ ista sunt in officiis atque virtutibus: alia quòd aliquid commodi efficiunt, vt opes & copiæ. Eorum autem quæ propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur. Honestate, ea quæ proficiscũtur ab iis virtutibus de quibus paulò antè dictum est: quæ sunt laudabilia ipsa per se. Commoditate autem aliqua, quæ sunt in corporis aut fortunæ bonis expetenda. Quorum alia sunt quasi quodammodo cum honestate coniuncta, vt honos, vt gloria: alia diuersa, vt vires, forma, valetudo, nobilitas, diuitiæ, clientelæ.

De vtilitate.

Quæ per se expetenda propter cõmoditatem.

STREBAEVS. Vtilitas in discernendis bonis malisque versatur, id est, rebus expetendis atque fugiendis. Bonorum quibus vtilitatẽ metimur, alia necessaria, hoc est sine quibus salui liberi ve esse non possumus (sic antè definit necessaria) vt vita, pudicitia, libertas: vt li-

beri, coniuges, germani, parentes. Tolle vitam, perimus. Si liberi, coniuges, germani aut vita aut fama periclitantur, iterum quodammodo perimus, aut periclitari velle debemus: quoniam illorum vita nobis æquè chara debet esse, atq; nostra. Si adimitur libertas aut pudicitia, misèrè turpitèrque seruimus. Seruitute mors omnis optabilior est, si Ciceroni credimus. Dicamus vno verbo, Nullam existimat vitam sine libertate, & honesta conditione vitæ. Hæc autem plurimum valent ad persuadendum, & in Antoniũ frequenter vsurpat. Bonorũ partim non necessaria, quibus destituti, vitã libertatémque retinere possumus, nõ vniuersis quidẽ destituti, sed aut singulis aut multis eorũ. Ea sunt duplicia: Alia sunt per se expetenda, vt officium, quod ab ipso finitur hoc modo: Officiũ est, quod ita factum est, vt eius facti probabilis ratio reddi possit. Quanquam officium ad alium finem tendit, vt ad fœlicitatem: tamen vt ea non sequatur, per se honestum est, & expetendum: quod & Aristoteles in Ethicis non modò de virtutibus, sed etiam de gloria & honore confirmat. Alia non per se expetuntur, sed quòd aliquid commodi efficiunt, vt opes & copiæ. Eorum quæ propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur. Quæ diuisio mirabilem quandam videtur habere difficultatem. Nam secundum membrum confundit, & priore commiscet. Et paulò pòst diuitias referre videtur ad ea quæ sunt per se expetenda, quæ antè subiecerat his quæ aliquid commodi efficiunt. Deinde tria genera bonorum reuocat ad ea quæ propter se expetuntur. Quomodo propter se expetuntur? Hæc mihi relinquenda videbantur iis qui putant omnia esse peruia. Non erat verẽdum, ne vitio darent meam negligentiam, si quid intactum reliquissem: sed timendum potius ne meam accusent diligentiam, quæ multo facilius sui tædium parit: etsi vereri non debeam eloquentiæ præcepta copiosè tractare, siqua mihi data fuisset eloquẽdi facultas: quia turpe sit in copiosa ratione dicẽdi, inopia & ieiunitate laborare. Illi sciunt, nescimus. Perficiunt, vix bene conamur. Compendia viarum sequuntur: longiora, si modò sunt apertiora, malumus. Nihil vsquam reperiunt impedimenti, nos circa momenta luctamur. Impellamus igitur & hunc scopulum. Expetendorum tria sunt genera. Aliud est simpliciter honestum, vt officium & virtus. Aliud honestum vtilitati copulatum, vt gloria. Aliud verò simpliciter vtile, vt diuitiæ. Primum genus honestate sola petitur, quæ nihil est vtilius. Alterum non honestate modò, quæ pòtior est, sed etiam commoditate quadam expetitur, vt honos & gloria. Tertium vtilitate sola ducitur, vt vires, forma, valetudo, nobilitas, diuitiæ, clientelæ. Sunt igitur duo genera commodorum, vnde totidem diuisiones. Diuitiæ pertinent ad secundum genus, nec sunt propter se expetendæ. Bonorum tria genera sunt propter se expetenda, si modò iunguntur honestati. Sed quædam bona sunt diuersa, hoc est, nulla cum honestate coniuncta, vt diuitiæ, clientelæ. Ex his obiecta dissoluimus. Hanc autem rerum diuisionem hîc videas, cum dicit, Quorum, scilicet commodorum, alia sunt quasi quodammodo cum honestate cõiuncta, vt honos, vt gloria: alia diuersa, vt forma, vires, valetudo. Videas & 2. lib. de Inuentione. Rerum expetendarum, inquit, tria genera sunt. Nam est quiddam quod sua vi nos alliciat ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate, quod genus virtus, scientia, veritas est. Aliud autem non propter suam vim & naturam, sed propter fructum atque vtilitatem petendum, quod genus pecunia est. Est porrò quiddam ex horum partibus iunctum, quod & sua vi & dignitate nos inducit, & præ se gerit quandam vtilitatem, quò magis expetatur, vt amicitia, bona existimatio. Hæc ille. Prima diuisio satis aperta est. Alia sunt per se expetenda, vt ea quæ sita sunt in officiis atque virtutibus: alia, quòd aliquid commodi efficiunt, vt opes & copiæ. Secunda est obscurior. Eorum quæ propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim cõmoditate aliqua expetuntur. Priore membro significat simpliciter honesta, vt eius verba demonstrant: posteriore honesta & commoda, quæ differunt ab iis quæ tãtum aliquid commodi efficiũt, quia laudem & vtilitatem afferunt, vt bona corporis, & fortunæ, non simpliciter, sed quum ad exercendam virtutem conferuntur. nam possunt cum honestate iungi, vt honos & gloria: possunt & citra virtutem haberi, vt vires, forma, valetudo. An ponit differentiã inter ea quæ sunt per se expetenda, & ea quæ propter se expetuntur? Per se expetẽda sunt laudabilia ipsã per se, vt virtutes, & quæ ab illis proficiscuntur. Propter se expetuntur omnia bona animi, corporis, & fortunæ: propter se inquam, hoc est, propterea quòd ipsa bona sunt, aut propter suam naturam bonam. Hæc interpretatio & breuior est, & apertior.

LEODEGARIVS. Quare quoniã in his versatur omne.) Licet plures sint par-

tes deliberationis, vt vtile, honestum, possibile, necessarium: tamen ad duo referuntur, nempe ad vtile & possibile. Bonorum autem partim.) Hæc bonorum distributio magis est oratoris qui se ad sensum vulgi accommodat, quàm philosophi qui veritatem sectatur.

COMMENTARIVS. Quare quoniam.) Loci sunt duo, possibile & vtile. Vtile est de fine cuius causa res suscipitur: possibile est de medio per quod adipiscimur finem. Prius autem agendum est de fine. Bonorum autem.) Necessitatem hoc loco complectitur sub vtilitate, quo modo & Fabius. Est autem necessitas, sine qua liberi aut salui esse non possumus, nec satu honesta conditione & commoda. Partim non necessaria.) Videtur instituisse hanc diuisionem ex opinione populari. Alioqui philosophi nihil esse magis necessarium virtute putant.

Quorum alia sunt per se &c.) Non est hic locus accipiendus vt significare videatur omnia bona corporis & fortunæ propter se esse expetenda: alioqui cõturbaretur diuisio: sed locus est dũtaxat de his bonis intelligendus, quæ immixtam habent cum vtilitate honestatem. Itaque subiecit paulò post quædam cum honestate coniuncta, de quibus locus est intelligendus: quædam diuersa, de quibus hoc loco non agit, sed egit suprà.

Est etiam quasi quædam materies subiecta honestati, quæ maximè spectatur in amicitiis: amicitiæ autem charitate & amore cernuntur. Nam cum deorum, tum parentum patriæque cultus, eorúmque hominum qui aut sapientia aut opibus excellũt, ad charitatem referri solet. Coniuges autem, & liberi, & fratres, & alij quos vsus familiaritásque coniunxit, quanquam etiam charitate ipsa, tamen amore maximè continentur. In his igitur rebus cùm bona sint, facile est intellectu quæ sint contraria. Quòd si semper optima tenere possemus, haud sanè, quoniam quidem ea perspicua sunt, consilio multum egeremus. Sed quia temporibus quæ vim habent maximam, persæpe euenit vt vtilitas cum honestate certet, earúmque rerum contentio plerunque deliberationes efficit: ne aut opportuna propter dignitatem, aut honesta propter vtilitatem relinquantur, ad hanc difficultatem explicandam præcepta referamus. Et quoniam non ad veritatem solùm, sed etiam ad opiniones eorum qui audiunt, accommodanda est oratio, hoc primum intelligamus, hominum duo esse genera: alterum indoctum & agreste, quod anteferat semper vtilitatem honestati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaq; huic generi, laus, honos, gloria, fides, iustitia, omnisque virtus: illi autem alteri quæstus, emolumentum, fructúsque proponitur, atque etiam voluptas, quæ maximè est inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat: quam immanissimus quisque acerrimè sequitur, neque solùm honestis rebus,

Charitas.

Amor.

Vtilitas cum honestate certat.

Personis accommodanda deliberatio.

sed etiam necessariis anteponit. In suadendo, cùm ei generi hominum consilium des, sæpe sanè laudanda est.

STREBAEVS. Est etiam quasi quædam materies subiecta honestati, quæ maximè spectatur in amicitiis: hoc est, amicitiæ partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur: ex quibus vt è materia ducitur argumentum deliberanti. Amicitia, inquit secundo de Inuentione, voluntas est erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius causa quem diligit cum eius pari voluntate. Hic quia de ciuilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adiungimus, vt eorum quoque causa petenda videatur: ne fortè qui nos de omni amicitia dicere existimant, reprehendere incipiant: quanquam sunt qui propter vtilitatem modò petendam putant amicitiam: sunt qui propter se solùm: sunt qui propter se, & vtilitatem: quorum quid verissimè constituatur, alius locus erit considerandi. Nunc hoc sic ad vsum oratorium relinquatur, vtrinque propter rem amicitiam esse expetendam. Hactenus Cicero. Ex his colliges cur amicitiam ab iis quæ per se expetuntur separauerit, quam paulò antè numerauit inter iustitiæ partes. Certè magna affinitas est amicitiæ & iustitiæ. Amicitia, inquit Aristoteles, & iustitia in eisdem videntur esse. In omni societate aliquid est iusti, aliquid amicitiæ. Est enim amicitia in communicatione. Amicitiæ duplices. Nam charitate & amore cernũtur. Charitas est sanctus amor & cultus deorum, parentum, patriæ, sapientium & illustrium virorum. Hæc charitas est amicitia quædam excellentior ac sanctior, quam colere debemus. In hoc genere, inferiores ac impares, & obseruantes magis officium nostrum, quàm quo nos amant amorem. Altera est amicitia, quæ amore maximè continetur: hoc est, quæ tum firma ac stabilis est, quum vtrinque certatim calescit amor. In charitate suspicimus maiestatem, in amore beneuolentiam. Dicet aliquis, coniuges, fratres, liberi etiam charitate iunguntur, nec in illis suspicitur maiestas. Non est ita. Veremur coniugium, & sanguinis propinquitatem, & familiaritatem: quorum nihil non maximum est, atque sanctissimum: & præter hæc habemus rationem amoris eius quo nos persequuntur aut pares aut minores. Ad deliberandum parata materia est, vt omnia genera bonorum, quæ vel honestate ipsa, vel commoditate expetuntur. Quid proximè cohæret? Proximum videtur id spectare, qui sint qui deliberent, vt habita ratione personarum, ex vtilitate causæ spectet orator, quæ quibus bona debeant accommodari. Si semper optima tenere possemus, vt in consilio bonorum atque sapientium, haud sanè consilio multum egeremus, quoniam quidem perspicua sunt optima quæque, nisi mortalitatem nostram occæcaret vtilitas. In aliena causa optima quæq; facilè videmus, & illa sequẽtem laude ferimus: in nostra plerunque cæcutimus. Nam varia temporum cõditio & opportunitas agendi capit hominum mẽtes. Diuortium facit honestorum & vtilium. Inde succrescit populare deliberandi genus, in quo opportuna cum dignitate, honesta cum vtilitate certant. Opportunitas autem, vt ait de finibus, est εὐκαιρία, & temporis occasio, rebus agẽdis conueniens, in qua maximè spectatur vtilitas, sicut honestas in dignitate. Vtrunque deliberandi genus oratori videndum, cuius oratio ad opiniones eorum qui audiunt accommodatur, vt animos tractare, & ad suum finem perducere queat, si non veritate rectáque via, certè errore viarum quæ ducunt ad veritatem. Is igitur indoctum & agreste hominum genus, hoc est, neque literis neque ciuili prudentia politum, vtilitate pelliciet: expolitum verò disciplinis, & honesta ratione viuendi, facilius dignitate rerum commouebit. Huic generi polito, laus, honor, gloria, fides, iustitia, omnisque virtus proponitur. Laus est omnium rerum bonarum. Honos exhibetur in testimonium virtutis, aut dignitatis: & in re, non in voce positus est. Gloria est incorrupta vox iudicantium de excellente virtute. Sic finit ipse Tusculana tertia. Illi generi indocto, quæstus, emolumẽtum, fructúsque proponitur. Quæstus est pecunia. Emolumentum dicitur quicquid prodest, ὠφέλημα Græcè. Huic contrarium, detrimentum. Fructus hic omne commodum accipitur. Quid autem differat ab emolumento, tradit ipse tertio de Finibus. Illa quæ prosunt, aut quæ nocent, id est, emolumẽta, & detrimenta, aut bona sunt, aut mala: quæ sint paria necesse est. Commoda autem & incommoda in eo genere sunt, quæ præposita & reiecta dicimus: ea possunt paria non esse. Significat emolumenta bona esse, fructus indifferẽtes, per se nec bonos, nec malos. Indocti etiam voluptate capiuntur, quam Stoici definiunt sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui. Habet le-

titiam in animo, cõmotionem suauẽ iucũditatis in corpore. Voluptas est maximè inimica virtuti, quia, vt inquit primo de legibus, imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium: cuius blanditiis corrupti nõ cernunt ea quæ natura bona sunt, quia res honestæ dulcedine hac & scabie carent. Hæc ille. Quòd igitur imitatrix boni voluptas, blãdissima domina est, & eadẽ illecebra turpitudinis, honesti bonique naturam fallaciter imitando adulterat: quippe quæ habeat quiddã simile naturali bono. lenitatis est enim, & suauitatis. Multæ voluptates sunt laudabiles: quod ostendit Aristoteles decimo Ethicorum, quamobrem non est absurdũ quod ait Cicero, Voluptas sæpe sanè laudanda est. Nemo bonus obscœnam fœdámque laudet, quæ turpibus tantùm & perditis est voluptas: sed eam laudet, quæ retinet aliquam speciem honesti. Voluptatem immanissimus quisque acerrimè sequitur: quoniam quanto immanior est quisque, tanto propius accedit ad belluas, quæ voluptate ducuntur. Atqui videntur hæc repugnare superioribus, dicebat antea, Tẽperantiam immanitas imitatur in voluptatibus aspernandis. Sed immanissimum capit hic, qui sensum secutus, à naturali bono longissimè recessit: immanitatem capiebat atrociorem nimiámque temperantiam.

LATOMVS. Est etiam quasi quædam.) Dicit charitatem & amorem honestati subiectam esse, quasi materiam quandam: quòd in eos, quos charitate & amore complectimur, certa officiorum genera conseruemus. Quòd si semper optima tenere possemus.) Monet vnde in cõsultationibus oriatur bonorum quæstio, quanuis optima ferè quæque perspicua sint. dicitque id fieri temporibus, hoc est, causis, quibus accidat, vt bona videantur pugnare cum vtilibus, & contrà vtilia quædam videri, quæ honesta non sint, quæ distrahantur in diuersas sententias. Itaque consultationibus opus esse, & quid veri in his sit oratione explicandum. Et quoniam non ad veritatem.) Præcipit non solùm ad veritatem, sed etiam ad opiniones auditorum deliberationem accommodandam esse. Itaque distinguit duo auditorum genera, in quibus non sit eadem bonarum & malarum rerum opinio.

LEODECARIVS. Est etiam quasi quædam materies.) Videtur agere de rebus quæ non sunt virtutes, sed tamen quodammodo ad virtutes referuntur. Quòd si optima.) Præmunitio est ad contentionem futuram honesti & vtilis: quanquam enim ea nõ distinguantur (secundum philosophos) tamen aliquando tempora & circumstantiæ faciunt, vt vulgus separet honestum ab vtili. Et quoniam non ad veritatem.) Ex hac auditorum distinctione intelligimus quid proponendum sit illis. Qui enim suadere conatur aliquid rudibus & imperitis, ostẽdet illud esse vtile: rudes enim magis spectant vtile quàm honestum. Qui autem suadere vult doctis, oportet ostendere illud quod suadetur esse honestum & iunctũ cum gloria: docti enim anteponunt honestum vtili. Inimica virtuti.) Vide Ciceronem de Finibus bonorũ & malorum.

COMMENTARIVS. Est etiam quasi.) Videtur idcirco copiose tractasse locum amicitiæ, propterea quòd amicitia latissimè patet, ab eáque petuntur cohortationes & suasiones maximè. hoc apud historicos legimus, pugnandum esse pro aris, pro coniugibus, pro liberis, pro ipsa patria. Interpres tamen sic locum accipit, vt putet à Cicerone dictum esse quia amicitia subiicienda est vtilitati, & non honestati. quod quanquam dixit in libro de Inuentione, nõ tamen hic idem sensisse videtur. Quòd si semper.) Locos superiores ita tractauit, quatenus cadunt in deliberationem de vtilitate & incommodo, de honestate & turpitudine. quia solet nonnunquam vtilitas cum honestate contendere, quæ quæstio tractatu est perdifficilis: idcirco de huius quæstione præcepta tradit. Vt vtilitas cum, &c.) Populariter loquitur: alioqui libro tertio Officiorum probat nunquam honestatem cum vtilitate pugnare, sed videri duntaxat. Et quoniam.) Si præferendam dicas vtilitati honestatem, nõ eadem via poteris vti, cùm alium atq; alium finem sibi proponant auditores. Itaq; si apud honestos dicas, rectus erit ductus vt de honestate loquaris, eiúsque ostendas dignitatem. sin apud imperitos, quique vtilitatem omnibus rebus anteponunt, non erit recta via vt dicas de dignitate honestatis, qua nihil mouerentur: sed vt dicas sequuturam ex honestate vtilitatem, addásque ignominiam & dedecus, nisi sequantur tuum consilium. Quod rebus omnibus, &c.) Quoniam auditores hos duos fines sibi proponunt, orator, vt dicat accommodatè ad eorum opinionem, hos fines oratione sequi debebit: ita de vtilitate dicet apud imperitos, de honestate apud doctos. quanquam vtrobique sit suasionis honestum. Quo pacto autem hic locus sit tractandus, videte Fabium in capite de deliberatiuo genere. Il-

li autem alteri.) Itaque cùm huic hominum generi suadebimus honesta contra vtilitatem, auxilia petemus ab honestate, ac ostendemus factum illud honestum fore fructuosum: sic auxilium petendum erit ab honestate. si suadeas vtilitatem contra honestatem, erit adhibendus color. Author Fabius.

Et illud videndum, quanto magis homines mala fugiant, quàm sequantur bona. Nam neque honesta tam expetunt, quàm deuitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis vllum decus tam vnquam expetat, quàm vt ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor grauis est. Est genus hominum ad honestatem natum, malo cultu, prauísque opinionibus omne corruptum. Quare in cohortando atque suadendo propositum quidem erit nobis illud, vt doceamus qua vi bona consequi, maláque vitare possimus. Sed apud homines bene institutos plurimum de laude & de honestate dicemus, maximéque ea virtutum genera tractabimus, quæ in communi hominum vtilitate tuenda augendáque versantur. Sin apud indoctos imperitósque dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationésque dolorum proferantur, addantur etiam contumeliæ atque ignominiæ. Nemo enim est tam agrestis, quem non si ipsa minus honestas, cõtumelia tamen & dedecus magnopere moueat. Quare quod ad vtilitatem spectat, ex iis quæ dicta sunt, reperietur.

Honesti quibus rebus ducantur.

Indocti quibus capiãtur rebus.

STREBAEVS. Quid rudibus & politis maximè conueniret, ostendit. Nunc vtrisque deliberando proponenda mala censet, quia multo magis homines mala fugiunt, quàm sequuntur bona, neque honesta tam expetunt, quàm deuitant turpia. Ergo sumenda etiam contraria, suasori, vt honos ignominia, gloria infamia, laus contumelia, decus dedecus. Hoc si feceris, honos, gloria, laus, decus te sequetur. Si non feceris (quod omen dij auertant) pessundabit te ignominia, infamia, contumelia, dedecus. Hominem ad honestatem esse natum, sic ostendit Aristoteles primo libro Ethicorum, Vt homini, sic stirpibus est facultas alendi. Vt homo sentit, sic & bestiæ. Restat igitur actio rationis. Est itaque hominis opus, actio animæ per rationem, vel non sine ratione. Quo fit, vt humanum bonum sit actio animi per virtutem. Sed quî fit vt genus hominum ad honestatem natum, nõ tam honesta expetat, quàm deuitet turpia? Subiicit causam, quòd malo cultu prauísque opinionibus omne corruptũ est, nec virtute & scientia excolitur, nec certa rectáque consectatur. Etenim vtilitas & voluptas, iactura & dolor, tenebras offuderunt oculis mortalium, & effecerũt vt honestum posthaberetur, vt mala pro bonis, bona pro malis essent. Ergo docebit orator in consilio, qua vi bona consequi, quáque ratione mala vitare possimus. Ex bonis autem plurimum valent, quæ in communi hominum vtilitate tuenda augendáque versantur, quod genus est iustitia, fides, liberalitas, omnísque virtus quæ spectat hominum societatem. Exemplorum quæ ferant hanc speciem, plenæ sunt Liuianæ conciones.

LATOMVS. Et illud videndum.) Hoc præceptum generale est, ad omnes pertinens, quare à priori sententia separatur. Est genus hominum.) Hoc addstur ἐπιφωνηματικῶς, & est prioris sententiæ approbatio. Genus hominum dicit, pro cunctis hominibus. Qua-

re in cohortando.) Concludit & præcipit quæ ratio suadendi sit, siue apud hos, siue apud illos dicamus.

LEODEGARIVS. Et illud videndum.) Si quis ita agrestis est vt non excitetur honestatis pulchritudine, hunc dihortabimur turpitudinis metu: nemo enim ita immanis est, quem si non honestas, contumelia tamen & dedecus moueat, ob id quod facilius sit sentire res turpes quàm honestas. Malo cultu) Vide principium Tusculanæ tertiæ Ciceronis, & librum primum de legibus eiusdem.

COMMENTARIVS. Et illud videndum.) Locus hic est à contrario, acerrimúmque suppeditat argumentum. Potest intelligi hoc præceptum de vtrisque auditoribus. Fabius tamen ista expressit de his auditoribus qui virtutem non sequuntur. ac certè Cicero in eadem esse sententia videtur. Est genus hominum.) Ex diuisione bimembri trium partium distributionem efficit. nam inter imperitos & expolitos quosdam homines alios ponit, quorũ optima natura degeneraui praua institutione, ita tamen vt in eorum animis sint adhuc superstites quidam igniculi virtutis. quòd autem sit ita intelligendum, ex eo patet, quia singulis partibus præcepta subiiciuntur, & sequuntur duæ aduersatiuæ particulæ. Quare in cohortando.) His homines quia bona præditi sunt natura, sed tamen depranata, his duabus rebus mouebũtur meritò, malorum vitatione, & bonorum adeptione. Interpretes tamen has duas periodos generaliter intelligunt, siue cum suadetur imperito, siue cùm doctis & expolitis. Nam omnis ratio suadendi pendet à malorum fuga, & bonorum adeptione. Quæ in communi &c.) Virtutes positæ sunt in cõmunione tuenda, religio, pietas, fides, iustitia, liberalitas. has autem dixit virtutes potissimum tractandas, propterea quòd gratiores sunt hominibus, & ad impellendum accommodatiores. Sin apud indoctos.) Itaque apud eos in bonis hæc capita sunt tractanda, de boni adeptione, conseruatione, incremento, vsu: & de mali vitatione, liberatione, diminutione, conuersione. Fab. lib. 5.

De efficiendi facultate.

Quid autem posit effici, nécne posit, in quo etiam quàm facilè posit, quámque expediat, quæri solet: maximè ex causis iis quæ quanque rem efficiant, est videndum. Causarum autem genera sunt plura. Nam sunt aliæ quę ipsæ conficiunt, aliæ quæ vim aliquam ad conficiendum afferunt. Itaque illæ superiores, conficientes vocentur: hæ reliquæ ponantur in eo genere, vt sine his confici non posit. Conficiens autem causa, alia est absoluta, & perfecta per se: alia aliquid adiuuans, & efficiendi socia quædam: cuius generis vis varia est, & sæpe aut maior, aut minor: vt & illa quæ maximam vim habet, sola sæpe causa dicatur. Sunt autem aliæ causæ, quæ aut propter principium, aut propter exitum conficientes vocantur. Cum autem quæritur quid sit optimum factu, aut vtilitas, aut spes efficiendi ad assentiendum impellit animos. Et quoniam de vtilitate iam diximus: de efficiendi ratione dicamus. Quo toto genere, quibúscum, & contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus, armorum, pecuniæ, sociorũ, earúmve rerum, quæ ad quanque rem efficiendam pertinent, posimus vti, requirendum est. Neque solùm ea sunt quæ nobis suppetunt, sed

Ex quibuserebus colligatur efficiẽdi facultas.

etiam illa quæ aduersantur, videnda. Et si ex contentione procliuiora erunt nostra, non solùm effici posse quæ suademus, erit persuadendum: sed curandum etiam, vt illa facilia, procliuia, iucunda videantur. Dissuadentibus autem, aut vtilitas labefactanda est, aut efficiendi difficultates efferendæ, neque aliis ex præceptis, sed iisdem ex suasionis locis.

Dissuadendi ratio.

STREBAEVS. In duobus versatur omne consilium, si & vtile est, & fieri potest, fiat. De vtili, priore loco dictum est, quod quidem videbatur esse natura secundum. Nam videtur omnium primum, cognoscere, possitne aliquid fieri: quia si quid effici non potest, deliberatio tollitur. Sed vtilia cupimus: qui fruamur, inquirimus: idcirco huc ordinem sequimur. Si veniat in dubiũ, possitne aliquid effici, quoniã coniectura ducitur, à caussis sumetur argumentum. Nam vt efficiatur aliquid, necesse est causam efficientẽ esse, & eam sine qua res effici nõ potest: cuiusmodi sunt materia & instrumentũ. Nihil est enim quod sine causa naturaliter fiat. Itaq; si dubitatio sit, possitne aliquid effici, à caussis ducitur probatio. Cicero in Diuinatione, In quo si te multum natura adiuuaret, si optimis à pueritia disciplinis & artibus studuisses, in his elaborasses: si literas Græcas Athenis, non Lilybæi: Latinas Romæ, non in Sicilia didicisses, tamen esset magnũ, tantam causam, tam expectatam, & diligentia consequi, & memoria complecti, & oratione exponere, & voce & viribus sustinere. Cæciliũ causam sustinere non posse monstrat, cui natura, ars, & exercitatio, tres eloquentiæ caussæ, defuerunt. Causa iudicialis est quidem, sed pars illæ cohortantis, ne quid tentet Cæcilius supra vires. Causarum aliæ conficiunt, quæ efficientes inde vocitantur: vt pudor efficit ruborem. Aliæ vim aliquam ad conficiendum afferunt, vt instrumenta, tempus, locus, sine quibus aliquid effici nõ potest. Efficiens autem causa, alia est absoluta & perfecta per se, quæ sola certò rem efficit, vt sol diem, ignis calorem. Alia aliquid iuuans, & efficiendi socia quædam: vt terra stirpes efficit, sed adiuta cultu, sole, pluuia, rore. Hæc aut maior est, aut minor: vt natura & vsus ad eloquentiam plus faciunt, quàm cognitio præceptorum. Sunt autem aliæ causæ quæ per se non cõficiunt, sed quia iuuant, conficientes, inquit Cicero, vocantur. Iuuant autem aut propter principium, vt materia, quod est principium rerum: aut propter exitum, vt finis rei quæ suscipitur. Ferrum, gladij causa est, quia materia. Artium finis est scientia. Quæ pertineant ad causas, alia tradit in Topicis. Hactenus de vtilitate, & efficiendi potestate. Nunc vsus est eorum, vt ad assentiendum impellant animos: quod facilius obtinebunt, si quæ rerum dicuntur appendices, vulgò circumstantiæ, ponentur, quibũscum, contra quos, quo tempore, quo loco, quibus facultatibus vtamur: si nostra & aduersa inter se comparemus, vt ex duobus procliuiora videamus. Quòd si ex contentione, id est, comparatione, procliuiora, hoc est, faciliora nostra videbuntur, non erit satis ita nobis videri, sed erunt oratione demonstranda, vt non modò dicenti, sed aliis etiam facilia, procliuia, iucunda videantur. Cicero Antoniana quarta facit hanc rerum contentionem, ad cohortandum populum Romanum aduersus Antonium, Quibũscum bellum suscipiat, vt D. Bruto, C. Cæsare, veteranisque. Contra quem, vt alterum Spartacum Antonium. Quo tempore, vt quum ad recuperandam libertatem exarsit omnis Italia. Quibus faultatibus, vt Republica, Senatu, ærario, quæ non habet Antonius. Hinc sua facilia, procliuia, iucunda colligit, his verbis, Vt igitur Catilinam diligentia mea, Senatus authoritate, vestro studio & virtute fregistis: sic Antonij nefarium latrocinium, vestra cum Senatu concordia tanta, quanta nunquam fuit, fœlicitate & virtute exercituum ducúmque vestrorum, breui tempore oppressum esse audietis. Quemadmodum autem suasori proponitur vna ratio, si & vtile est, & fieri potest, fiat: ita dissuasori duplex: aut vtilitas ab eo labefactanda est, quod agit in Servilium Rullum: aut efficiendi difficultates efferendæ: quod facit in dissuasione pacis, Antoniana septima.

LATOMVS. Quid autem possit effici.) Transit ad alterum principem locum, de eo

quod effici possit, vel non possit, & quàm facilè possit. qui totus spectatur ex causis, & ad facultatem pertinet. Illæ superiores, conficientes vocentur. Conficientes, quæ vi sua agunt, & conficiunt aliquid, vt duces, legati, auxilia, legiones, in bello: magistratus, leges, senatus, populus, in Repub. administranda. Vt sine his confici non possit.) Hoc genus nihil agit, sed quietum per se, & stolidum est: confert tamen ad efficiendum: itaque sine eo effici non potest, vt sunt materiæ, instrumenta, locus, tempus, cæterique apparatus. Alia est absoluta & perfecta per se.) Vt sapientia per se sapientem efficit: poëta, pictor, musicus, quisque suum opus per se ac solus. Sic prætor iudicia, & bonorum possessiones solus dabat: magistratus promulgabant leges: decernebat senatus: populus de capite iudicabat. Alia aliquid adiuuans.) Vt auxilia & legiones in bello: duces, centuriones, cohortes, in prælio: remiges in classe: magistratus & iudices in Republica.

Quæ maximam vim habet.) Vt imperator in bello, gubernator in classe. Sic ipse contra Catilinam Rempub. seruasse dicitur: Marius contra Cimbros. Propter principium.) Vt, Romulus conditor vrbis: Cato author deletæ Carthaginis, qui id bellum suasit: Helena causa belli Troiani. Aut propter exitum.) Vt Africanus minor confector belli Punici: Pompeius Mithridatici: Crassus seruilis. Cum autem quæritur.) Hoc est comparatiuum deliberationis genus, quod eisdem locis tractatur, vtilitatis & spei efficiendi.

HEGENDORPH. Absoluta, &c.) Vt, Deus per se agit omnia in omnibus: concionatores sunt causæ adiuuantes, vt verbum dei in pectoribus hominum fructum producat. 1. ad Corinth. 3. Maior causa.) Vt spiritus inclusus in terra, est maior causa terræmotus, quàm aqua subter in terrarum cauis vndans fluctibus. Vide Gellium lib. 2. cap. 6. Quo toto genere, &c.) Exemplum habes in prima Philippica τοῦ Δημοσθένους.

LEODEGARIVS. Causarum autem genera.) Eandem causarum distributionem habes apud Ciceronem sub finem Topicorum, vbi multò plenius de causis disputat quàm in Partitionibus: & singulas exemplis illustrat, qua causa ère tua (lector) fuerit illuc recurrere.

COMMENTARIVS. Quid autem possit.) Hoc etiam caput est coniecturale. Itaque à Fabio libro 7. tribuitur coniecturæ. capitis huius loci sunt facultates, opportunitates: in quibus est locus, tempus, causa. Cicero causam duntaxat ponit. Nam ea complectitur quoque locum & tempus. Nam sunt aliæ.) Cicero quoq; in Topicis ponit causas quasdam efficientes, quemadmodum ignis per se accendit: & quasdam sine quibus res effici non possit, vt sine ære non conficitur statua. Superiores rursum diuidit, vel vt sine adiumento per se efficiant, vt sapientia efficit sapientes: vel vt adiumentum aliquod requiras, vt sapientia efficit beatos, si adsunt opes, vt aiunt viri Peripatetici. Conficientes autem.) Has causas appellat efficientes, hic duntaxat priorem: rei proprietatē magis sequutus est. Alia aliquid.) Hanc causam appellauit in Topicis adiumento carentē. alioqui in Topicis causas sine quibus nō efficitur, diuisit in stolidas & quietas, vt locus, tēpus, & materia: & in adiuuātes & præcursionem habētes, vt congressio causa est amoris, amor flagitij. Sunt autem aliæ.) Videtur hic cōplecti materiā, quanquā in Topicis eam subiicit causis sine quibus nō efficitur. Posset & intelligi de qualicunque rei origine, vt si causam excidij Troiani diceres fuisse Helenā. Subuertit mox finalē causam, cuius gratia aliquid efficitur, vt suprà potuerit nomine conficientium complecti formalem & efficientem. Cùm autem.) Hactenus tales quæstiones tractatæ sunt simplices, de vtili, de honesto: Nunc easdem quæstiones tractat ex cōparatione & superlatione. In quibus sunt idē loci, vtile & possibile. Nā possibile intelligit cùm ait, spem efficiendi. Attamen illi loci tractandi sunt ex comparatione, non tamen simpliciter vt antea. Hic Cicero videtur Aristotelem sequutus. Aristoteles enim genus deliberatiuum facit concionale, vt & Cicero libro de Oratore secundo. Itaq; hæc materia quæ à Cicerone tractatur, ipsius est ciuitatis. Fortè hic totus locus non pertinet ad comparationem, quanquā aliter putat interpres, sed ad locum pertinet, quàm expediat, & quàm facile possit. Sed curandum.) Demum optimum erit, in suasione nostrum consilium conferre cum aliorum sententia, & ostendere esse longè facilius atq; procliuius, atq; etiam iucundum. sic enim maximè impellentur auditores. Dissuadentibus.) Dixit antea simplicem esse tractationem suasoris, dissuasoris duplicem. Satis enim est si ostendat vel inutile esse, vel esse non possibile. Sunt igitur contrarij loci sumendi.

De mouendis animis in deliberatione.

Deliberatiua qualis oratio.

Vterque verò ad augendum habeat exemplorum aut recentium, quò notiora sint: aut veterum, quò plus authoritatis habeant, copiam. Maximeq; sit in hoc genere meditatus, vt possit vel vtilia ac necessaria sæpe honestis, vel hæc illis anteferre. Ad commouendos autem animos maximè proficient, si incitandi erunt, huiusmodi sententiæ, quæ ad explendas cupiditates, aut ad odium satiandum, aut ad vlciscendas iniurias pertinebunt. Sin autem reprimendi, de incerto statu fortunæ, dubiisque euentis rerum futurarum, & retinendis suis fortunis, si erunt secundæ: sin autem aduersæ, de periculo commonendi. Atque hi quidem sunt perorationis loci. Principia autem in sententiis dicendis breuia esse debebunt. Non enim supplex vt ad iudicem venit orator, sed hortator, atque author. Quare proponere qua mente dicat, quid velit, quibus rebus dicturus sit, debet, hortaríque ad se breuiter dicentem audiendum. Tota autem oratio, simplex & grauis, & sententijs debet ornatior esse, quàm verbis.

STREBAEVS. A propriis argumentorum locis ad communes ordine perducitur. Vnus est exemplorum: alter contentionis honestorum & vtilium: tertius affectuum: quartus autem figuræ orationis. De exemplis in hoc genere Quintilianus hoc modo, Vsum exemplorum nulli materiæ magis conuenire meritò ferè omnes consentiunt, quum plerunque videantur respondere futura præteritis, habeátúrque experimentum velut quoddam rationis testimonium. Alia exempla sunt recentia, eáque notiora sunt: alia vetera, in quibus plus est authoritatis. vtraque Ciceroni frequentissima. Alterum est commune præceptum, oratorem in hoc genere deliberandi esse oportere meditatum, hoc est, exercitatum schola, & priuata cogitatione, ac paratos habere communes locos, vt promptius dicat, aliquando pro vtilitate contra dignitatē, aut pro dignitate contra opportunitatem: quoniam hæc aliquando conflictantur: vt qui voluerunt acta Syllæ manere, non dignitate, sed vtilitate firmarunt: aduersarij contrà: sed vicit vtilitas. Cicero de actis Cæsaris, Primùm igitur acta Cæsaris seruanda censeo: non quò probem, quis enim id quidem potest? sed quia rationem habendam maximè arbitror pacis & ocij. Ponit exemplum Quintilianus in tertio de Opiterginis. Honestum & vtile, consuetudine, non re, dissentiũt. Cicero in Officiis: Hoc autem de quo nunc agimus, id ipsum est quod vtile appellatur: in quo verbo lapsa consuetudo deflexit de via, sensimq; eò deducta est, vt honestatem ab vtilitate secernens, constitueret honestum aliquod, quod vtile nõ esset: & vtile, quod non honestum, qua nulla pernicies maior hominum vitæ potuit afferri. Aliud præceptum commune de mouendis affectibus: Aut incitantur animi, aut mitigantur atque reprimuntur. Si incitandi erunt, huiusmodi sententiæ proficient, quæ ad explendas cupiditates, hoc est, ad implenda desideria concepta opinione boni futuri pertinebunt. Aut ad odium satiandum, id est, ad conficiendum quod ira inueterata (sic odium finit) affectat. Aut ad vlciscendas iniurias. Etenim ex quatuor animi motibus duo incitant, ægritudo, cupiditas: duo reprimunt, voluptas, metus. Non dico voluptatem & metum nunquã incitare, sed affirmo, quod Cicero, animos ægritudine & cupiditate sæpius incitari, metu & voluptate reprimi. Ad ægritudinem odium pertinet: ad cupiditatem libido vlciscendi. Sic pro lege Manilia, odium cupiditatemque populi Romani concitat in Mithridatem, qui ciues Romanos in Asia necauerat. exhortatur ad vlciscendam iniuriam. Videte quem vobis animum suscipiendum putetis. Maiores ve-

stri sæpe mercatoribus ac nauiculatoribus iniuriosius tractatis, bella gesserunt: vos tot ciuium Romanorum militibus vno nuncio atque vno tempore necatis, quo tãdem animo esse debetis? & quæ sequuntur. Si reprimendi erunt animi, tum valebit metus: ad quem pertinet incerta fortuna, dubius euentus rerum futurarum, & periculum. Valebit & voluptas, quæ retinere secundam fortunam velit, quibus rebus vtitur in Rullum frequentissimè, vt legis Agrariæ cupiditas inflammata restinguatur. Dicet aliquis, Quæ sunt illæ sententiæ quæ sumuntur ex affectibus? Non est artis huius omnes explicare: opus est consuetudine & exemplis. Natura non deerit, quæ suggerat sententias ad odium commouẽdum, ad explendas cupiditates, ad vlciscendas iniurias. Sæpe eiusmodi rerum citra artem nimis abundamus. Quarta præceptio de modo & figura orationis. In deliberatione vtendum breuibus principiis, oratione simplici & graui, & sententiis quàm verbis ornatiore. quod præceptum Quintilianus, vt alia multa, arripuit atque dilatauit. In principio proponet qua mente dicat, vt Antoniana quarta: quid velit, vt septima: quibus de rebus dicturus sit, vt prima: hortetur ad se breuiter dicentem audiendum. Peto à vobis Patres Conscripti, vt eadem benignitate qua soletis, verba mea audiatis. Tota oratio simplex, non exultans insolentia verborum & sententiarum: non eleganter exornata, vt demonstratio: non contentiosa & subtilis, vt iudicialis actio: sed grauis, sententiosa, plena ponderis, & authoritatis. Quintilianus tamen sic iudicat: Ciceronis sententiæ, inquit, & conciones, non minus clarum, quàm est in accusationibus ac defensionibus, eloquentiæ lumen ostendunt.

LATOMVS. Vt possit vel vtilia, vel necessaria.) Vt, Turpe est Ciceronem fugere, sed vtile patriæ: quare vincat vtilitas, quæ honestatem ad se conuertit. Vtile non irritare Antonium, nec bellum suadere, sed turpe viro consulari deserere Rempub. & libertatem prodere. quare vincat honestas, quæ etiam si moriendum sit, tamen à vera vtilitate non seiungitur, cum satius sit emori, quàm tyranno seruire. Tota autem oratio simplex.) Simplex, id est, minus compta ornatáque, cùm ea probabilior sit, quales sunt Philippicæ ferè omnes, excepta secunda, quæ demonstratiui generis, ac proinde liberius ornata est.

HEGENDORPH. Ad explendas cupiditates.) Sententia, est oratio sumpta de moribus, quæ aut quid sit, aut quid in vita oporteat fieri, breuiter ostendit: author Cicero libro ad Herennium quarto: vt, Hominis est cordati, quo iure, quáque iniuria, quod suum est, vindicare.

Ad odium.) Præstat odiosum esse, quàm miserabilem: Seneca. Ad vlciscendas iniurias.) Vim vi repellere licet. Si bene dixisses, audisses bene. Cicero videtur nonnihil separare suasionem ab hortatione, id quod & plerique alij faciunt: ita quòd suadendo id agatur vt quis velit: hortando, vt audeat: suasio probationibus doceat, exhortatio stimulis excitet: suasor sententiam mutet, exhortator animum addat. Suadeamus aut errantibus, aut certè hæsitãtibus. Exhortemur cessantes. Vide Erasmum in de conscribendis epistolis. Verbis, &c.) Recipit tamen hoc genus orationis verba sonantia, ampla, grauiter translata, significantia. Sonantia: Soluite vela citi: Deus æthere missus ab alto, &c. Virgilius in quarto Aeneid. Ampla: Immortalia tuarum rerum decora, nulla vnquã obliuio obliterabit. Significantia: Fratrem ne desere frater. Item: Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis Tuq; puérque tuus. Virgilius in quarto Aeneid.

LEODEGARIVS. Vterque ad augendum habeat exemplorum.) Exemplum (à rhetoribus sic definitur) est rei gestæ, aut vt gestæ, vtilis ad persuadendum id quod intenderis, commemoratio. Exemplorum autem aliud à simili, aliud à dissimili: aliud à pari, aliud ab impari: aliud à maiori, aliud à minori sumitur. Ad exhortationem verò præcipuè valent impariæ. Admirabilior in fœmina quàm in viro virtus: quare si ad fortiter faciendum accendatur aliquis, non tantum adferet momenti Horatius Cocles, & Torquatus, quantum illa mulier cuius manu Pyrrhus est interfectus: Et ad moriendum non tam Cato & Scipio quàm Lucretia. Cæterum cum exempla sint quasi futurorum prænuntia, videntur valde pertinere ad deliberationes quæ de futuris sunt. Quò plus authoritatis.) Cicero in Oratore ad Brutum, Habet autem vt in ætatibus authoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas. Incerto statu fortunæ.) Vnde illud satyrographi,

Si fortuna volet, fies de rhetore consul:
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.

Et illud Ouidij,

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:
Et subito casu quæ valuêre ruunt.
Dubiisque euentis rerum futurarum.) Cum à poëta dictum fuisset,
Nemo desperet meliora lapsis:
Statim ab eodem memoratum est,
Nemo confidat nimium futuris.
Omnia enim quæ futura sunt, in incerto sic iacent, vt Vlpianus dixerit, Quod pendet non est pro eo quasi sit. l. is damnum. ff. de reg. iur. Et retinendis suis fortunis.)
Nam plus est seruasse repertum,
Quàm quæsisse nouum.
Nec minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.
Monebimus ergo vt sic vtantur rebus suis, vt non egeant alienis: præsertim cum videamus faciles dare summa deos, eadémque tueri difficiles.

COMMENTARIVS. Vterque verò.) Posuit antea propria vtriusque artis præcepta: nunc quæ communia sunt vtrique. Fabius autem testatur nullo in genere plus habere momenti exempla, quàm in deliberatione. Ad commouendos.) Hi motus quos latius explicat, referuntur ad duo genera, ad spem & metum, qui sunt finales motus huius generis. Nam cupiditas, vltio, odij expletio, ad spem referuntur: reliquæ sententiæ ad metum. Principia autem.) Vtile & possibile pertinent ad confirmationem & refutationem, spes & metus ad cõclusionem, quibus in partibus præcipua est inuentio in hoc genere. agit tamen de principio, non narratione, quæ rara est in deliberatione, vt antea dictum est. Quare proponere.) Omittit in principio præcepta beneuolentiæ, duntaxat vtitur docilitate & attentione. Fabius tamen in publicis deliberationibus nunquam ait opus esse benevolentia, vt in iudiciis. Tota autem.) Hic locus ductus est ab Aristotele & Theophrasto. Aiunt enim illi in hoc genere maximè vitandam esse affectationem. Fabius tamen ait elocutionem huic generi tribuendam pro rerum magnitudine. Neq; astipulatur Ciceroni prorsus, nec Aristoteli.

De genere iudiciali.

C. F. Cognoui iam laudationis & suasionis locos: nunc quæ iudiciis accommodata sunt, expecto, ídque nobis genus restare vnum puto. C. P. Rectè intelligis. atque eius quidem generis finis est æquitas, quæ nõ simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnunquam: vt cum de verissimo accusatore disputatur, aut cum hæreditatis sine lege, aut sine testamẽto petitur possessio: in quibus causis, quid æquius, æquissimúmue sit, quæritur: quas ad causas facultas petitur argumentationum, ex iis de quibus mox dicetur, æquitatis locis. Atque etiam ante iudicium, de constituendo ipso iudicio solet esse contentio, cũ aut sitne actio illi qui agit, aut iámne sit, aut num iam esse desierit, aut illáne lege, hísne verbis sit actio, quæritur: quę etiam si antequam res in iudicium venit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non sunt, tamen in ipsis iudiciis permagnum sæpe habent pondus, cum ita dicitur, Plus petisti, serò petisti, non fuit tua petitio, non à me, non hac lege, non his verbis, non hoc iudicio: quarum causarum genus est positum

in iure ciuili, quod est in priuatarum ac publicarum rerum lege aut more positum: cuius scientia neglecta ab oratoribus plerisque, nobis ad dicendum necessaria videtur.

STREBAEVS. *In omni genere tractando, statim initio prospiciendus est finis, vt rectius ad cum cætera dirigantur. Sicut igitur in exornando finis ponitur honestas, in deliberando vtilitas, sic etiam in iudiciis æquitas. Est autem æquitas, quam ratio naturalis persuasit, quæ etsi à iustitia non separatur, tamen alia est æquitas, alia iustitia. Cicero primo de Officiis, Difficile est, quum præstare omnibus cõcupieris, seruare æquitatem, quæ est iustitiæ maximè propria. Æquitatem & iustitiam non eandem fecit, quia æquitas est optima ratio iuris, recta moderatio legis & moris, vis honesti perpetuò constans, quæ neque legibus, neque scriptis continetur, sed vnde profluxêre bonæ leges, & à qua malæ corriguntur, per quam reguntur ea quæ non sunt lege comprehensa, quæ infinita sint necesse est. Hac vtuntur omnes boni: hanc requirunt qui summo iure vexantur: hanc ore versat omne genus hominum, quum subinde refert, Rationabile est istuc (sic enim vulgò dicitur) id est, æquum bonúmque. Inde lex & æquitas interdum videntur ita discordare, vt relicta lege appelletur æquitas. Leges igitur, & quæ proficiscuntur à legibus, & à iure ciuili, semper ad facilitatem æquitatémque referenda. Cicero de Seruio Sulpitio, Penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitate explicandis, scientia. Et paulò pòst, Itaque quæ proficiscebantur à legibus, & à iure ciuili, semper ad facilitatem æquitatemque referebat. Quum igitur æquitate nemo lædatur, permulti legibus iniquis, & moribus vexẽtur, iudiciorum finis cõstituitur æquitas, ad quam omne ius, lex omnis & consuetudo referuntur. Hanc æquitatem secuti sunt oratores illi veteres, qui nullum ius ciuile didicerant: & ea certè disputatio propria est oratorum materia. Oratores hic accipi volo, qui sint optimè instituti sapientiæ præceptis, sine quibus æquum bonúmque non facilè cognoscatur. Æquitas simpliciter spectatur. An æquum pro amico peierare? Et ex comparatione aut duorum aut multorum, vt Ceciliúsne an Cicero verior erit accusator? quæ controuersia, diuinatio nominatur: quæ quòd agitatur ante legitimum iudicium, hic primas obtinet. Eodem modo fiet cõparatio inter multos cõpetitores hæreditatis, si tres pluresve petent sine lege, aut sine testamento. Nam si lex esset, vt agnationis, aut testamẽtum, de re ipsa contenderetur: sed quia non est, agitur ante iudicium, cui detur hæreditatis actio. Quintilianus libro tertio, Diuersum his genus quod dicitur comparatiuum, cuius rei tractatus in parte causæ frequens est, vt quum apud Centumuiros post alia quæritur & hoc, vter dignior hæreditate sit. Sicut autem agi potest de accusatore statuendo, ita etiam nonnunquam de constituendo iudicio, quæ translatio nominatur: an huic? an cum hoc? an hac lege? an apud hunc? an hoc tempore liceat agere? & siqua sunt talia: vt, Non debes apud Prætorem petere fideicommissum, sed apud Consules, maior enim prætoria cognitione summa est. Non licet tibi agere mecum: cognitor enim fieri non potuisti. Non debuisti interdicere, sed petere. Formulas tradit, sítne actio illa qui agit? vt filio qui vocet in ius demẽtiam patris. Aut iámne sit? vt Fabio repetẽti creditum antequam cœptum sit deberi. Aut iámne esse desierit? vt qui vindicet agrum post decennium. Aut illáne lege? vt possítne cum Ebutio Cecinna ab agro prohibitus agere lege de vi, an potius iniuriarũ? Aut hiscéne verbis sit actio? vt Hipsco qui petebat à Crasso prætore, vt ei quem defendebat, causa cadere liceret. Hæc & similia nõ antequam in iudicium veniunt, concertata sunt, id est, à partibus disputata: aut si concertata, non tamen diiudicata, hoc est, sententia disceptatoris pronũciata: aut si diiudicata, non tamen confecta, & omnimo absoluta. Posteaquam igitur res in iudicium venerit, illa permagnum habebunt pondus, vel ad declinandum iudicium, vel etiam ad firmãdam defensionem. Hæc translatio pertinet ad actiones. Actio ius est persequendi iudicio quod sibi debetur. Vis eius in rebus, & in personis, sed in vtrisque multiplex, & ea causa perdiff. cilis: de qua permulta inrisperiti, nec tamen scribunt omnia. Quamobrem hoc causarum genus positum dicit in iure ciuili. Ius autem ciuile constat legibus & more. Lex & mos aut priuata spectant, vt bona singulorum: aut publica, vt ius totius ciuitatis. Iuris scientia neglecta ab oratoribus plerisque, vt à Galba & Antonio præstantissimis oratoribus: nobis, hoc est, Ciceroni, ad dicendum necessaria videtur, cuius rei causas explicat 1. lib. de Oratore.*

LATOMVS. De verissimo accusatore.) Vt prima actione in Verrem, quæ diuinatio appellatur, vter accusare debeat, Cicero an Cæcilius. Aut cum hæreditatis sine lege.) Vt inter emancipatum fratris, & sororis filium, ab intestato. Nullo enim testamento facto, lex duodecim tabularum post suos hæredes, agnatos vocabat. Agnatus autem nõ est sororis filius, nec fratris emancipatus, cum agnatio per emancipationem rumpatur. Itaque neuter hæreditatem lege petere poterat: petebat tamen vterq; bonorum possessionem à prætore, apud quẽ ea de re ex comparatione æquitatis disceptabatur. Sed hoc ius hodie mutatũ est, & res certa constituta. De cõstituendo ipso iudicio.) Vt in causa Milonis, de quo actũ fuit in senatu, veteribus legibus, an nouis quærendum esset, sicut tradit Asconius, & oratio ipsa declarat. Sítne actio illi.) Vt vxori in maritũ, liberto in patronum, pupillo in tutorem, de quibus iure ciuili constitutum est. Aut iám ne sit.) Vt ante diẽ dictã in contractu: ante impletam conditionẽ. Num iam esse desierit.) Vt in petenda bonorum possessione: & in iniuriis persequendis, in quibus certum tempus agẽdi præfinitũ est. His ne verbis.) Quia ex præscripta formula agebatur, quam definiebat prætor, à quo iudicia petebantur. Ab hac formula qui recedebat in agendo, causa cadebat, hoc est, litem eo iudicio amittebat. Plus petisti, sero petisti.) Hæc verba exceptionis erãt, quibus iniquitati actionis occurrebatur, vel ante iudicium, sicut modò dictum est: vel in ipso iudicio actione reprehendenda. Itaque ipse pro Planco queritur de iniquitate aduersarij, qui cum accuset de ambitu, vtatur lege de sodalitiis, vt iudices edat in reum.

HEGENDORPHINVS. Sine lege.) Id est lege nulla approbante: vt si filius spurius peteret hæreditatem paternam, à qua lege arcetur, in Authent. de incestis nup. Secus est si peteret maternam hæreditatem. l. siqua. C. ad senatusconf. Orfitici. Sine testamento.) Id est ab intestato, de quo Instit. de hæred. quæ ab intestato defe. Actio.) Est ius persequendi in iudicio quod sibi debetur. §. Actio autẽ. Instit. de Actio. Plus petisti.) De quo est. l. vnica. C. de plus petitio. vt in iur. Cano. de plus pe. Petitur autẽ plus, re, loco, tempore. Excipere est elidere actionem actoris. Æquum & bonum ius est non illud quidem lege comprehensum, id est legitimum, sed legitimi iuris emẽdatio. Aristoteles in quinto Ethicorum τὸ κρῖ τὸν νόμον δίκαιον, καὶ τὸ ἐπιεικὲς appellat. Ius est quod omnia iusta & inflexibilia exigit: author Don. in Adelph. Terentij. Rectum est, quod cum virtute & officio fit. Verum est, quod mouet vt rem sicuti est, & sicuti scimus, dicamus.

LEODEGARIVS. Finis est æquitas.) Si ius ciuile (vt ait Cicero initio Topic.) est æquitas constituta iis qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas, non est mirum si finem generis iudicialis faciat Cicero æquitatem. Nam vt ait iurisconsultus, in omnibus quidem, maxime tamen in iure, æquitas spectanda est. l. in omnibus. ff. de reg. iur. Quanquam Quintilianus cum de Finibus generum disputat, velit omnia mutuis stare auxiliis. Iám ne sit.) Huc pertinet lex, cedere diem. ff. de. verb. sign. Iam esse desierit.) Vt si post iuge vicennium inter absentes, aut post decennium inter præsentes, quando completa est vsuscapio rei mobilis (. l. vnica. Cod. de vsusc. transfor.) aliquis agat ad rem repetendam. His ne verbis.) Vide. Cod. Inst. tit. de formulis & interpretationibus actionum sublatis. Concertata.) Hoc est debatuta, vt vulgus loquitur. Diiudicata.) Hoc est appunctata, vt barbari dicunt. Confecta.) Hoc est, euacuata, vt passim vsurpant. Plus petisti.) Plus petit re, qui pro decem aureis sibi debitis petit viginti. Plus loco, qui petit Lutetiæ id quod sibi promissum est solui Lugduni. Plus causa, vt si quis stipuletur, Stichum aut decem aureos dare spondes? deinde (sublata alternatione) alterum petat. Plus tempore, qui ante diem, vel conditionem petit. Itaque Cicero primo de Oratore ridet imperitiam illius patroni qui non patiebatur aduersarium petere pecuniam antè quàm dies venisset. Si enim ante tempus petisset, (illud est enim plus petere tẽpore. §. plus autem, tit. de act. apud instit. Iustiniani) cecidisset causa: ex. l. 12. tab. non tamẽ statim cum agit: nam primum reus postulabat à prætore exceptionem dilatoriam (Cuius pecuniæ dies non fuisset) postea summouebatur ex. leg. 12. tabul. quod semel plus tempore petisset. Huc pertinet illa contentio Hypsei, & Octauij, apud Ciceronem libro primo de oratore.

COMMENTARIVS. Cognoui iam.) Materiam difficillimam vltimo tractat loco. Et quoniam in hoc causæ genere maximè apparet contentio, ideo hic à Cicerone statuũ ratio explicatur, vt à cæteris ferè rhetoribus. Subiicit singulis statibus suas probationes. Atque hæc

est huius generis tractatio. Genus iudiciale est, in quo est accusatio aut defensio. Finis est æquitas.) Æquitas videtur duntaxat esse finis in hoc genere status qualitatis, vt vel Cicero finem partis præcipuè tribuerit toti generi, vel certè vt intelligamus æquitatem quoque finem esse coniecturæ & finitionis, vt demum iudex ex æquitate statuat. Vt cum de verissimo.) Hæc iudicia de oratore constituendo appellantur diuinationes: vt si quæreretur, debeátne Cicero accusator esse Verris, an Cæcilius. Fabius ait genus cõparatiuum raro spectari in tota causa, sæpenumero in parte. Quid æquius.) Vt alla dixisset, vtrum æquius: & ita multis in locis dixit Cicero.

Atque etiam ante iudicium.) Iudicium constituere, vt ait Budæus, est euacuare finem, non vlterius procedendo. Ergo contentio est de iudicio constituendo, cùm quæritur an admittenda sit actio, quum exceptione ea submoueatur ab aduersario. Est autem hic status translationis. Aut sitne actio.) Vt ignominiosus agere non potest. Aut iámne.) Vt si ante diem in syngraphæ scriptam à me creditum exigeres, exceptione vterer, & repellerem actionem tuam. Aut num iam esse &c.) Vt si post viginti annos lege ciuili definitos ad vsucapionem rei aliquis rem vsurpatam suam assereret, repelleretur actio. Hisne verbis.) Certæ erant verborum conceptiones quibus vtebantur in actionibus. Itaque si verbum mutasses, causam amisisses, idque dicebatur, formula cadere. Iustinianus tamen sustulit huiusmodi formularum aucupia & captiones.

Etiam si antequam &c.) Translationes dupliciter tractantur, nonnunquam ante iudicij cõstitutionem, nonnunquam iudicio iam constituto, vt cum dicimus inter cætera causæ adiumenta, nos quoque trãslatione vti posse, & actionem posse submouere. Non fuit tua petitio.) Vt si pecuniam alicui debeas, & alius negabit eum petere posse, quia nec illi debetur, nec procurator est eius cui debes. Cuius scientia.) Translationes petuntur à præsidio iuris & effugio, vt ait Fabius. Quocirca vt his vti possit orator, comparare sibi debebit iuris peritiam, non autem pendere à pragmaticis leguleis, & formulariis.

Quare de constituendis actionibus, accipiendis subeundisque iudiciis, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda æquitate, quod ea ferè generis eius sunt, vt quanquam in ipsum iudicium sæpe dilabantur, tamen ante iudicium tractanda videantur: paululum ea separo à iudiciis, tempore magis agendi, quam dissimilitudine generis. Nam omnia quæ de iure ciuili, aut de æquo & bono disceptantur, cadunt in eam formam in qua quale quid sit ambigitur, de qua dicturi sumus, quæ in æquitate & iure maximè consistit.

STREBÆVS. Diuinationem & comparationem translationémque initio statuit, quòd hæc ante iudicium summum veniant in certamen. Separantur ergo à iudiciis, temporibus agendi, quia ante legitima iudicia agitantur: non dissimilitudine generis, quoniam cadunt in eadem præcepta, quæ postea tradentur. Constituere actionem, est actorem admittere, qui intendat actionem, hoc est, recipere in caussam. Accipere iudicium, est illum vnde petitur, admittere intentionem actoris, seclusa translatione. Excipere iniquitatem actionis, est agentis dolum malum & iniustitiam excludere, ne subeunti iudicium fiat iniuria. Antiquum est, Inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione. Æquitatẽ cõparare, est discernere ex duobus accusatoribus aut petitoribus vter sit dignior, aut qui dignissimus ex multis. Si quæris ad has controuersias vnde petatur facultas argumentationum: respondet hæc esse de iure ciuili, & de æquo & bono, hoc est de æquitate, idcirco pertinere ad qualitatem, in qua quale quid sit ambigitur. Est autẽ aliud ius ciuile, alia æquitas. Hæc legis & iustitiæ vera & recta moderatrix, illud est quod iurisprudentes condiderunt. quamobrem æquitatem à iure separat.

LATOMVS. Paululum ea separo.) Quanuis hæc antè tractantur, quàm ad causam veniatur, tamen & causa ipsa sæpe, & hæc omnia eodem genere quæstionis continentur, in quo quale sit, quæritur.

LEODEGARIVS. De constituendis actionibus.) De intendendis formulis & obiectionibus. De accipiendis, subeundisque iudiciis.) De admittendis intentionibus & actionibus. De excipienda iniquitate.) De repellenda & elidenda iniqua actione aduersarij. Nam exceptio, est actionis exclusio. l. 2. ff. de exceptionibus. Vide etiam tit. 13. libri 4. instit. ciuil. Iust. Omnia quæ de iure.) Intelligit omnes translationes, & comparationes. AEquo & bono.) AEquitas excogitata est, quæ multum remitteret de rigore iuris ciuilis. Hanc sequuntur prætores. l. ius autem. §. ius prætorium. ff. de iust. & iur. Et profectò benignius leges interpretãdæ sunt, vt earum voluntas habeatur. l. benignius. ff. de legibus. Præsertim cum ius sit ars boni, & equi, l. prima. ff. de iust. & iur.

COMMENTARIVS. Quare de constituendis.) Causæ translatiuæ & comparatiuæ sæpenumero tractantur ante legitimum iudicium. Interdum autè in iudicij parte tractantur. Quocirca eas causas separat à iudicialibus: quanquam eadem est causarum iudicialium & harum natura.

Defensionum genera.

In omnibus igitur causis tres sunt gradus, ex quibus vnus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum. Nam aut ita consistendum est, vt, quod obiicitur, factum neges: aut illud quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id esse, quod aduersarius criminetur. Aut si neque de facto, neque de facti appellatione ambigi potest, id quod arguêre, neges tale esse, quale ille dicat; & rectum esse quod feceris, concedendúmve defendas. Ita primus ille status, & quasi conflictio cum aduersario, coniectura quadam: secundus autem, definitione, aut descriptione, atque informatione verbi: tertius æqui, & veri, & recti, & humani ad ignoscendum disputatione tractandus est. Et quoniam semper is qui defendit, non solùm resistat oportet aliquo statu, aut inficiando, aut definiendo, aut æquitate opponenda, sed etiam rationem subiiciat recusationis suæ: primus ille status rationem habet iniqui criminis, ipsam negationem, inficiationémque facti: Secundus, quòd non sit in re, quod ab aduersario ponitur in verbo: Tertius, quòd id rectè factum esse defendet, quod sine vlla nominis controuersia factum fatetur. Deinde vnicuique rationi opponendum est ab accusatore id quod si non esset in accusatione, causa omnino esse non posset. Itaque ea quæ sic referuntur, continentia causarum vocentur: quanquam non ea magis quæ contra rationem defensionis afferuntur, quàm ipsæ defensionis rationes continent causas. Sed distinguendi gratia rationem appellamus

Status.

Ratio.

Continens.

eam, quæ affertur à reo ad recusandum, depellendi criminis causa, quæ nisi esset, quid defenderet non haberet. Firmamentum autem, quod contrà ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest. Ex rationis autem & ex firmamenti conflictione, & quasi concursu, quæstio exoritur quædam, quam disceptationem voco, in qua quid deueniat in iudicium, & de quo disceptetur, quæri solet. Nam prima aduersariorum contentio diffusam habet quæstionem, vt in coniectura, ceperitne pecunias Decius. In definitione, minuerítne maiestatem Norbanus. In æquitate, iuréne occiderit Opimius Gracchum. Hæc quæ primam contentionem habent ex arguendo & resistendo, lata, vt dixi, & confusa sunt. Rationum & firmamentorum contentio adducit in angustam disceptationem, ea in coniectura nulla est. Nemo enim eius quod negat factum, rationem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaque in his causis eadem & prima quæstio, & disceptatio est extrema. In illis autem, vbi ita dicitur, Non minuit maiestatem, quòd egit de Cepione turbulentius. Populi enim Romani dolor iustus vim tum illam excitauit, non Tribuni actio. Maiestas autem, quoniam est magnitudo quædam populi Romani in eius potestate ac iure retinendo, aucta est potius, quàm diminuta. & vbi ita refertur: Maiestas est in imperij, atque in omni pop. Romani dignitate: quam minuit, is qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocauit: existit illa disceptatio, minuerítne maiestatem, qui voluntate populi Romani rem gratam & æquam per vim egerit. In his autem causis, vbi aliquid rectè factum, aut concedendum esse factum, defenditur, cùm est facti subiecta ratio, sicut ab Opimio, iure feci, salutis omnium, & conseruandæ Reipub. causa: relatumque est ab Decio, Ne sceleratissimum quidem ciuem sine iudicio iure vllo necare potuisti: oritur illa disceptatio, potuerítne rectè salutis Reipublicæ causa ciuem euersorem ciuitatis indemnatum necare. Ita disceptationes eæ quæ in his controuersiis oriuntur, quæ sunt certis personis & temporibus notatæ, sunt rursus infinitæ: detractisque temporibus & personis, rursum ad consultationis formam rationémque reuocantur.

STREBAEVS. Ex depulsione rei, id est defensoris aut inficiatoris, tres sunt status, ex quibus oritur tripartita ratio iudicij tractandi. Sunt, inquit, tres gradus, qui sunt tanquam fundamenta defensionis, ex quibus vnus aliquis capiẽdus est, si plures non queas, ad resistendum. Nam ita consistẽdum, & velut in gradu pes firmandus est, vt quod obiicitur, factum neges: aut si fateare, neges id esse quod aduersarius criminetur, & de appellatione ac nomine contendas. Si neque de facto, vt in coniectura: neque de facti appellatione, vt in definitione, ambigitur: tertium est quod dicas, rectum esse quod feceris, vt fit in qualitate absoluta: concedendúmve defendas, vt fit in assumptiua. Ita primus ille status, qui est quasi conflictio cum aduersario (vt interpretatur) coniectura tractandus est. Secundus definitione ex genere & proprietatibus: aut descriptione ex iis quæ rebus accidunt, vt est qualitas & quãtitas: aut informatione verbi, hoc est definitione ex notatione & etymologia: quæ tria sunt definiendi genera. Tertius æqui & veri & recti & humani ad ignoscendum disputatione tractatur. Quid æquum sit, apertè mõstrauimus. Verum hic dicitur iustum, ac iure factum: sicut pro Murena, Atenim agit mecũ austerè & stoicè Cato, negat verũ esse allici benevolentiã cibo. Verũ, id est, iustũ. Rectũ dicitur κατόρθωμα, id officiũ quod ab omni vitio prauitatis alienũ est. Nã de Finibus, Recta, inquit, omnes numeros virtutis continent. Hinc licet intelligas, inter æquum, verum, rectúmque, nullum esse ferè discrimen. Humanum dicitur clementia atque mansuetudo, & lenitas animaduertendi, qualis fuit in Iulio Cæsare: quod plurimum valere ad ignoscendum satis ostendit ipse pro Marco Marcello, & pro Quinto Ligario. Status in exornatione sunt, & deliberatione: quia si nulla quæstio est, nulla erit dicẽdi materia. Siqua verò est, habeat aliquid in quo stet orator, necesse est: qui sanè dicatur status, quoniã in eo stat vniuersa disputatio. Sed status in genere iudiciali maximè spectantur, propter intentionem atque depulsionem. quamobrem statuum rationem in hoc genere præcipuè considerauit. Quid alij de statu loquantur, nihil ad locum præsentem, quia mentem Ciceronis inquirimus. Hoc tenendum, Ciceronem accipere statum, in quo primùm consistit quasi ad repugnandũ congressa defensio. Verba sunt eius in Topicis, Refutatio accusationis, in qua est depulsio criminis, Græcè ἔλεγχος dicitur, Latinè appelletur status, in quo primùm insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. Itaque si is qui defendit, hoc dicat, Non feci, aut aliud feci, aut rectè feci: hanc primã defensionem Cicero statum vocabit, quoniam stat, pedémque sistit is qui refellit. Quod Ciceronis consilium qui redarguunt, à natura veráque ratione discedunt. Quintil. lib. 3. posteaquam sententiam Ciceronis verbis eius exposuit, inquit, Nostra opinio semper hæc fuit, vt quum essent frequenter in causa diuersi quæstionũ status, in eo crederem statum causæ, quod esset in ea potissimum, & in quo res maximè verteretur. Idem alibi, Verius igitur & breuius, qui statũ, & continens, & iudicationem, idem esse voluerunt. Cicero perspexit, oculatus homo, causam forensem quoddam esse certamen. In certamine & armorum digladiatione, primum omnium esse loco cõsistere, stationem in bello vocant: alterum, tueri locum ratione captum: tertium, hostem sustinere. Simile est in actionibus. Etenim indicto litium bello, capit locum defensor, aut coniecturam, aut definitionem, aut qualitatem: hæc prima statio. Vt autem eum locum tueri possit, ratione firmat, tanquam fossis & aggeribus: ratio nominatur. Insurgit aduersarius, & omnia labefactare conatur: tum continens est, atque firmamentum: quia comminus pugnatur, manúsque velut prælio cõseruntur. Hoc modo verba, quorum studiosissimus est, accommodauit: quod non ita multò post se distinguendi gratia fecisse scribit, vt qui prouideret calumniatores numquam defuturos, quique nosset nimium multas de statu rhetorum opiniones. Id meũ de bello si cui minus arridet, permittat tamen me cum rudibus agere pingui Minerua. Status ergo Ciceroni prima congressio est. Non feci, non hoc feci, iure feci. Si progrediare longius, rationem subiicies recusationis tuæ, quæ nulla datur in coniectura, sed negatio & inficiatio pro ratione habetur. In definitione ratio est, quòd non sit in re, vt in priuata pecunia sublata de sacro, quod ab aduersario ponitur in verbo, vt sacrilegio. In qualitate ratio datur, quòd æquitas id velit. His gradibus ab intentione ad statum, & à statu ad rationem deuenitur, qua vi depulsor offirmat aciem. Quid faciat aduersarius? Vnicuique rationi opponendum est ab accusatore: id quod si non esset in accusatione, causa omnino esse non posset, hoc est, ratio rationi componenda, vt in aciem confertur acies. Accusatoris hæc ratio συνέχον dicitur, & continens, causæque firmamentum, sine quo accusatio stare non potest. Non vbique sic vtitur nomine continentis atque firmamenti. In quo docuit nos

nimis anxios esse de verbis non oportere, si modò res intelligamus. Clodium occidisti, intentio est. Rectè occidi, status, quia insidiabatur in via, ratio. Imò tu insidiator eras, non Clodius: hic firmamentum, continens, & συνέχον. An insidiatus est Miloni Clodius? quæstio est, quam disceptationem vocat, & κρινόμενον, & iudicationem: quoniam summa est iudicij, totiúsque disceptationis. Ex his quid sibi Cicero velit, facile est intelligere, quídque differant hæc verba, intentio, status, ratio, continens, firmamentũ, quæstio disceptationis, κρινόμενον, & iudicatio. Quintilianus in tertio, Cicero, inquit, in Partitionibus oratoriis firmamentum appellat, quod opponitur defensioni: quia cõtinens, quod primum sit, ab accusatore dicatur, ratio à reo: ex rationibus & firmamenti quæstione, disceptatio sit iudicationum. In iudicio duplex est quæstio: altera diffusa est, altera angusta. Diffusa nascitur ex prima contentione, & statu caussæ, vt, cepíne pecunias Decius? Quæstio coniecturalis est ex hoc statu, Cepisti, non cepi. Minuíne maiestatẽ Norbanus? ex hoc, Minuisti maiestatem: non minui. Iuréne occidit Opimius Gracchum? ex hoc, Occidisti, Iure occidi: hæc quæstio ex arguendo, id est, accusando, & resistendo, hoc est depellendo, latè funditur, quia nulla ratione adducitur in disceptationis angustias. Angusta quæstio est disceptatio siue iudicatio ex rationis & firmamẽti contẽtione, quæ rẽ propius attingit, minúsq; confusa est. Nam quãto quid latius est, tanto cõfusius: quãto angustius, tãto facilius euoluitur, vt quod vno certo genere defensionis, certáq; ratione constat. Hoc genus quæstionis in coniectura non erit. Furtum fecisti: Non feci. Fecíne, quæstio prima, & disceptatio extrema. In definitione non item. Minuisti maiestatem, non minui. An minuit? prior est quæstio, sed à re longior, quia nondum proposita est ratio defensionis. Accede propius, Non minui maiestatem, quia sic agere me voluit maiestas Populi Romani, quæ est magnitudo quædam Populi Romani in eius potestate ac iure retinendo. Ex definitione maiestatis refert accusator. Maiestatem minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocauit. Existit & exoritur illa disceptatio & quæstio angustior posita ratione cum firmamento, Minuerítne maiestatem Norbanus, qui voluntate Populi Romani rem gratam & æquam per vim egerit? Est igitur in his caussis quæ definiendo nomen accommodant, intentio, depulsio, status, quæstio diffusior, ratio, firmamentum, & quæstio disceptationis. Idem fit in qualitate. Occidisti Gracchum: Iure quidem occidi. An iure occiderit, quæstio est remota. Iure feci, conseruandæ Reipub. causa, hæc ratio est. Refert aduersarius, Ne sceleratissimum quidem ciuem contra leges patriæ occidere potuisti: Hoc firmamentum est. Oritur illa disceptatio, id est, iudicatio, Potuerítne salutis Reipub. causa ciuem euersorem ciuitatis contra leges necare. Hinc tolle personas Opimij & Gracchi, quæstio erit infinita, quæ consultatio vocatur. Liceátne perniciosum ciuem contra leges necare Reipublicæ causa. Cicero 2. de Oratore, Nam in ea ipsa causa, de qua antè dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimij persona, nihil Decij: de ipso enim vniuerso genere infinita quæstio est, num pœna videatur esse afficiendus, qui ciuem ex Senatusconsulto patriæ conseruandæ caussa interfecerit, quum id per leges non liceret? Gracchus seditioso Tribunatu acto, quum Auentinum armata multitudine occupauisset, à L. Opimio Consule ex Senatusconsulto vocato ad arma populo, pulsus interemptúsque est. Lucius Opimius accusatus est apud populum à Q. Decio Tribunoplebis etiam, quòd indemnatos ciues in carcerem coniecisset. Decius autẽ accusatus est, quòd contra leges pecunias accepisset. Cicero 2. de Oratore, Quinetiam in iis ipsis caussis vbi de facto ambigitur, ceperítne contra leges pecunias P. Decius, argumenta & criminum & defensionum reuocentur oportet ad genus, & ad naturam vniuersam. Norbanus Trib. pleb. turbulentas conciones habuit aduersus Q. Cæpionem flagrantem inuidia, quòd à Cimbris Proconsul victus esset. Cæpio damnatus, bona publicata: Norbanus maiestatis est accusatus à Sulpitio, defensus & liberatus ab Antonio, de qua defensione multa Cicero secundo de Oratore.

LATOMVS. Tres sunt gradus.) Has tum quæstiones, tum status vocant in caussis. Itaque res eadem est, nominibus diuersis appellatur. Itaq; ea quæ sic referuntur.) Referuntur, i. rationibus opponuntur. Continentia caussarũ, quasi fundamenta intelliguntur: de quibus Fab. l. 3. vbi explicat, quid sit quæstio, quid ratio, quid continens, quid iudicatio in causa. Quam disceptationem voco.) In Topicis iudicationẽ vocat, græci κρινόμενον appellant. Ceperítne pecunias Decius.) Eadem exempla in libris de oratore ponũtur. Q. enim Decius repetundarum accusatus fuit, quòd pecunias contra leges accepisset. Norbanus accusauerat Cæpionem maiestatis,

quòd culpa eius contra Cimbros clades acceptafuisset, eundémque reũ pressérat turbulentis concionibus apud populũ, atque ita eum condemnauerat. L. Opimius Cos. C. Gracchum seditiosum tribunum interemit, & postea accusatus fuit à Q. Decio, quòd in diuisione regni inter Iugurthã & Hiempsalem se corrumpi passus fuisset, quo in iudicio Gracchana quoque cædes obrecta reum propter inuidiam condemnauit.

HEGENDORPH. Decius.) De quo Cicero in secũdo de perfecto oratore. De Gracho vide Plinium de illustribus viris. De Norbano vide Ciceronem libro secundo de oratore perfecto. Relatum à Decio.) Vide Florum Epitome 61.

LEODEGARIVS. In omnibus.) Eisdem de rebus fusè disputat Quintil. lib. 3. cap. 6. cap. 7. cap. 8. Et nos copiosè, paulò suprà. Si plures.) Vt sæpe contingit eodem iudicio duas quæstiones, aut plures peragi (vt in causa Cluentiana quæstiones corrupti iudicij & veneficij) sic fit aliquando vt idem reus duas, aut plures depulsiones & defensiones vsurpet, vt ingeniosè disputat Agric. lib. 2. de Inuent. cap. 10. Aut inficiando.) In hanc sententiam Cic. lib. 2. de Orat. Ac nostræ ferè causæ, quæ quidem sunt criminum, plerunque inficiatione defenduntur. Nam & de pecuniis repetundis (quæ maximæ sunt) neganda ferè sunt omnia. Definiendo.) Cic. eodem loco: iam quid vocetur, quæritur, cum quo verbo quid appellandum sit, contenditur. Quæ autẽ scripserit de eo genere in quo quale quid sit ambigitur, ibidem habes. Rationem subiiciat.) Nam, vt inquit Cornificius, Ratio est quæ causam facit, & cõtinet defensionem. Continentia causarum.) Firmamentum & continens causa (inquit Budæus) est quod vocant punctum litis decisorium. Quid deueniat in iudicium.) Intelligit quæstionem summam. De quo disceptetur.) Id vocatur, qua de re agitur, à Cic. in Top. Meminit & Budæus annot. pri. in pãd. Nam prima aduersariorum.) Cum magnæ sit vtilitatis nosse quis sit status causæ circa quam tanquam circa cardinem voluitur causa, tum maioris vtilitatis est intelligere iudicationem quæ ex statu sumitur: nam ad iudicationem, tanquam ad scopum diriguntur omnia argumenta. Est autem quædam iudicatio generalior, & ideo incognitior, qualis oritur ex statu inficiali. Alia autem magis specialis, magisque cognita, & restricta, adductione rationis & firmamenti, qualis oritur ex statu iuridiciali Pecunias.) Fuit enim vetitum lege 12. tab. ne iudices ob rem iudicandam caperent pecuniam. Sic enim ait 3. de leg. Donum ne capiunto, néve danto, néve petenda, néve gerenda, néve gesta potestate, &c. Nam vt ait Horatius, Malè verum examinat omnis corruptus iudex.

COMMENTARIVS. In omnibus igitur.) De statu agit, vt doceat quo pacto constitui debeat defensio, & quo pacto in singulis statibus probandum. Cæterũ duplices sunt status: Rationales, qui quæstionem habent in rebus: Legales, qui in scripto. Itaq; primùm rationales tractat, à quibus alij proficiscuntur. Quòd ait vnum aliquem esse accipiendum si plures non possimus, intelligendum mihi videtur de enstasi & antiperistasi: cuiusmodi est, si feci, rectè feci: sed non feci. Et rectum esse.) Duabus particulis complexus est duas partes qualitatis: absolutam, in qua factum ipsum simpliciter iustum defendimus: & assumptiuam, in qua quanquam rectè factum per se dicere non possimus, attamen propter legitimas causas dicimus esse concedendum. Ita primus ille.) Nunc confusè locos subiicit, quibus vnusquisque status debeat tractari: eos postea latius explicabit. Secundus autem.) Cicero per informationem hoc loco intellexisse videtur definitionem theorematicam: quæ fit, vt ait Boëtius, cùm prætermisso genere proprietatibus ostendimus rei naturam. differt à descriptione: quia descriptio latior est, & constat accidentium frequentatione. Cicero quoq; in extremis Topicis cùm quæ pertinent ad definitionem enumerat, meminit notionis, id est definitionis ennoëmaticæ. Et quoniam.) Non est subsistendum in statu qui fit ex prima conflictatione, sed vlterius est progrediendũ. Itaque defensor rationem adferre debet qua se tueatur: cui opponendum est firmamentũ ab accusatore, vt quemadmodum ex intentione & depulsione nascitur status, ita ex ratione & firmamento disceptatio nascatur, quam iudicationem appellant. Fabius tamen statim à iudicatione his differre putat, qui statum non ponit in conflictione, sed postrema disceptatione. Ipsam negationem.) In coniectura nulla est iudicatio, sed eadem est prima & postrema quæstio. itaque nulla est alia ratio quàm criminis inficiatio. Sine vlla nominis, &c.) In definitione ratio afferetur quamobrem res non sit ita appellanda. Itaq; ea quæ sic.) Rhetores rationem appellant rationes quæ adferuntur à

defensore.continens,quod opponitur rationi ab accusatore. Budæus appellat continens priuatum litis decisorium.postea Cicero firmamentum appellare mauult,quia cõtinens etiam significare potest rationem defensoris. Quam disceptationem voco.) Disceptare apud Ciceronem & eos qui rectè loquuntur nihil aliud est quàm iudicare.hinc disceptator,iudex. Nam prima.) Primus status indefinitiuus,vbi verbi rationes sunt additæ,propius attingitur, quòd in controuersiam venit atq; definitur. Attamen quæstio conieclturalis definitior esse non debet, cùm rationes non admittat. Ceperitne pecunias Decius.) Decius accusatus est quòd pecunias ceperit contra leges. author Cicero lib.2.de Oratore. Opimius Gracchum.) Cùm Caius Gracchus se constituisset triumuirum aquis diuidendis à Senatu vocatus est:cúmq; non parwisset ,sed Auentinum occupauisset,ab Opimio consule,qui multitudinem armauerat,oppressus est. Rationum & firmamentorum.) Postea tamẽ dicet indicationem sæpenumero esse thesin,cùm status sit hypothesis.sed hoc respexit,quòd iudicatio attingit rem de qua quæstio est potius quàm ipse status. Cepione.) Cepio proconsul cum Cneo Pompeio magno apud Rhodanum superatus est à Cimbris.Is turbulentis Norbani concionibus à populo Rom.condemnatus est,& in carcerem coniectus,vbi periit. eius autem bona publicata sunt,& eius corpus tractũ ad scalas Gemonias. Maiestas autem.) Hæc vera est ratio defensoris,petita à definitione,quemadmodum antè præscripsit.Accusatur autem maiestatis diminutæ,qui amplitudinem imperij aut dignitatem populi Rom. minuit. Nam maiestas est in populo,authoritas in senatu, vt testatur Liuius. Ac iure retinendo.) Nam lege Valerij publicolæ pop. Romanus sententiã ferebat de capite hominis comitiis cẽturiatis. Hoc ius retinuit Norbanus tribunus,vt pop.Romanus iudicaret de Cepione. In his autem causis.) Hermogenes in libro de statibus ait in hac quæstione duos esse locos,ὁρισμὸν,id est definitionẽ,& ἀνθορισμὸν,id est contrariam definitionem. Ab hac autem contraria definitione ducit Cicero firmamentum.Sine iudicio.) Nefas erat Romæ indicta causa condemnare.quinetiam ex lege Valeria vnicuique dabatur prouocatio ad populum. Ita disceptationes.) Fabius idem testatur libro tertio,vbi disserit de thesi & hypothesi.Nam testatur in qualitate nihil nisi in vniuersum quari,& in definitione.Ira origo quæstionis erit ab hypothesi, sed eius disceptatio petitur à thesi.

Fiunt rursus infinitæ.) Præsertim cùm indicationes sunt definitiuæ aut qualitatis : aliaque conieclturales iudicationes continentur hypothesi:vt,an Clodius sit insidiator,ideoq; iure cæsus.

Firmamentum in scriptis.

Sed in grauissimis firmamentis & illa ponenda sunt, siqua ex scripto legis,aut testamenti, aut verborum ipsius iudicij, aut alicuius stipulationis, aut cautionis opponuntur defensioni cõtraria. Ac nẽ hoc quidem genus in eas causas incurrit,quę coniectura continentur.Quod enim factum negatur, id argui non potest scripto: ne in definitionem quidem venit genere scripti ipsius. Nam etiam si verbum aliquod de scripto definiendum est quam vim habeat, vt cùm ex testamentis quid sit penus,aut cum ex lege prædij quæritur, quæ sunt ruta cæsa : non scripti genus, sed verbi interpretatio cõtroueriam parit. Cum autem plura significantur scripto propter verbi aut verborum ambiguitatem , vt liceat ei qui contra dicat , eò trahere significationem scripti, quò expediat,aut velit ? aut etiam si ambiguè scriptum non sit, vel à verbis voluntatem , & sententiam scriptoris abducere, vel alio se eadem de re contrariè scripto defendere: tum disceptatio ex scripti contentione existit : vt in ambiguis

disceptetur quid maximè significetur, in scripti sententiæque contentione, vtrum potius sequatur iudex: in contrariis scriptis, vtrum magis sit comprobandum. Disceptatio autem, cum est constituta, proposita esse debet oratori, quò omnes argumentationes repetitæ ex inueniendi locis conferantur. Quod quanquam satis est ei qui videt quid in quoque loco lateat, quique illos locos tanquam thesauros aliquos argumentorum notatos habet; tamen ea quæ sunt certarum causarum propria, tangemus. In coniectura igitur, cum est in inficiando reus, accusatori hæc duo prima sunt, sed accusatorem pro omni actore & petitore appello. Possunt enim etiam sine accusatore in causis hæc eadem controuersiarum genera versari; sed hæc duo sunt ei prima, causa, & euentus. Causam appello rationem efficiendi: euentum, id quod est effectum. Atque ipsa quidem partitio causarum paulò antè in suasionis locis distributa est. Quæ enim in consilio capiendo futuri temporis præcipiebantur, quamobrem aut vtilitatem videntur habitura, aut efficiendi facultatem: eadem qui de facto argumentabitur, colligere debebit. Quamobrem & vtilia illi quem arguet, fuisse, & ab eo effici potuisse demonstret. Vtilitatis coniectura mouetur, si illud quod arguitur, aut spe bonorum, aut malorum metu fecisse dicitur: quod fit acrius, quo illa in vtroque genere maiora ponuntur. Spectantur etiam ad causam facti motus animorum, si ira recens, si odium vetus, si vlciscendi studium, si iniuriæ dolor: si honoris, si gloriæ, si imperij, si pecuniæ cupiditas: si periculi timor: si æs alienum: si angustiæ rei familiaris: si audax, si leuis, si crudelis, si impotens, si incautus, si insipiens, si amans, si commota mente, si vinolentus: si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi, aut si patefactum esset, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi: aut si iudicij pœna leuior, quàm facti præmium: aut si facinoris voluptas maior, quàm damnationis dolor. His ferè rebus facti suspicio confirmatur, cum & voluntatis in reo causæ reperiuntur, & facultas. In voluntate autem vtilitas ex adeptione alicuius commodi, vitationéque alicuius incommodi quæritur, vt aut spes aut metus impulisse videatur, aut alius re-

quid accusator videat in iudiciali genere.

pentinus animi motus.qui etiam citius in fraudem,quàm ratio vtilitatis impellit.Quamobrem sint hæc dicta de causis.

STREBAEVS. In rationali statu quid esset continens, siue firmamentum,disputauit.Ex ordine scrutatur, possitne reperiri in statu legali. Censet autem neque in coniecturam, neque in definitionem incidere firmamentum, si causa scripto continetur, sed solum in qualitatem:vt, Non est tua hæreditas,mea est :sum enim scriptus hæres. Refert aduersarius, Non est conditum lege testamentũ.prodigus erat is qui testatus est, cui bonorũ suorum administratio fuerat interdicta.Hoc est ex lege firmamentum.Hæreditatem retinere non potes. Possum, quoniam mihi venit testamento legitimo. Atqui in eo testamento quo tu scriptus es hæres, scriptum est, vt statuas in palæstra statuere debeas: nego autem ex testamento esse positas. Hoc è testamento ducitur firmamentum. Non debuisti me prehendere: imò debui: quoniam iudicatum erat, nisi persoluisses mihi, ius prehensionis esse. Tum alter, En tibi sententia & iudicatum.Intra Calendas Aprilis nisi persoluerit, ius in eo prehensionis esto. Hodierno die sunt Idus Martia. Id firmamentum est ex verbis ipsius iudicij. Intentio est, Alimentum filio peto. Depulsio, Dare non debeo.quid enim mihi cum filio tuo? Firmamentũ ex stipulatione, Pro meis in te meritis,in omnem pueritiam eius alimentum daturũ te spopondisti. Est in manibus stipulatio. Stipulatio autẽ est obligatio quæ contrahitur ex interrogatione atque responsione, qua quid dari fieri ve nobis stipulamur. Firmamentũ ex cautione, id est, prouisione: Cãpanus ager meus est, inquit veteranus, ab agro deiectus. Imò meus ex tabulis patris. tum ille,Sum veteranus miles,cui Cæsar ille cuius acta defendistis,quum vellet esse cautũ,mihi fundum assignauit.Hoc modo cadit in qualitatẽ legale firmamentum,nõ in coniecturam:quia quod factũ negatur,id argui scripto non potest. Non etiã in definitionem genere scripti ipsius, hoc est propter idipsum, q̃ sententia scripto continetur, id est,propter rem sententiámque scripto comprehensam, quia non ipsa res, sed verbi interpretatio controuersiam parit. Nam si quid in scripto ambiguum est, id verbis non satis est expressum. Quòd si in definitione agitur de facti appellatione,non ex verbo quidem, sed ex re quæritur appellatio.Neque proprium definitionis est,verbum definire,sed rem circunscribere. Est enim definitio,quid res sit,significans oratio. Quid penus? quid ruta cæsa? Quintus Scæuola,authore Gellio,Penus est,inquit,quod esculentum aut poculentum est,hoc est,omne illud quòd conditũ est ad alimentum. De rutis cæsis Mutius de verborũ significationibus,In rutis,inquit,& cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur,quæq; opere structili tectorióve non continentur. Ergo ruta cæsa in ædibus, sunt fulcra, sedes, scrinia,armaria,& similia:quæ si tollas,solidæ manent ædes.In agris ruta sunt,arena,creta,lapides,metalla,& siqua eiusmodi sunt eruta. Cæsa verò,arbores cæsæ, herbæ, segetes. Prædia sunt domus & agri, quæ dicuntur bona immobilia. Lex prædij,quæ est de prædij mancipio & possessione.In statu legali firmamentum solum cadit in qualitatem.Tres autem hic facit status legales.Vnum in ambiguitate:alterum in scripto & sententia:tertium in cõtrariis legibus. In primo sic constituit firmamenti quæstionem, quum plura significantur scripto propter verbi aut verborum ambiguitatem, vt liceat ei qui contradicat eò trahere significationem scripti, quò expediat,aut velit. Tum disceptatio,id est,quæstio quæ à ratione & firmamẽto nascitur, ex scripti contentione existit, hoc est oritur, quid in ambiguis maximè significetur: vt testamentum est,Hæres meus vxori meæ det argenti,quod elegerit, pondo centum. Debeo, inquit vxor,eligere.Imò ego,inquit hæres:mea est hæreditas.Tum illa,Frustra scripsisset,quod elegerit,si mihi nõ detur eligendi facultas.Hoc firmamentum est.Tum disceptatio & quæstio, quò pertinent hæc ambigua verba,quod elegerit.In altero statu quum liceat à verbis voluntatem & sententiã scriptoris abducere,disceptatio & quæstio est,vtrum potius sequatur iudex: vt lex est, Fur quadruplum soluat. Duo surripuerunt pariter decem millia.Petũtur ab vtroque quadragena, offerunt illi vigena. A singulis peto quadragena, inquit is vnde sublatum est. Damus,inquiunt,singuli vigena,vt sit tibi quadruplũ,quia lex non habet vt exigas octuplum. Tum ille, Verba sunt legis,Fur quadruplũ soluat:hoc firmamentũ est,postea disceptatio,vtrũ potius sequatur iudex,scriptúmne,an voluntatem. Quintilianus ponit exemplum libro 7.de statu ex scripto & voluntate.Inuentus est tamen qui diceret absurdum.In tertio statu,quum alio se eadem de re

contrariè scripto defendere licet, quæstio est, vtrum magis sit probandum: vt in hac controuersia, Rapta vitam necémve raptoris optet. Duæ sunt ab eodem raptæ: altera vitam optat, mortem altera. Quæstio est, vtrum magis sit probãdum. Disceptatio autem.) Posteaquam disceptatio est constituta, hoc est, extrema quæstio ex cõflictione litigantiũ reperta: ea proposita esse debet oratori tãquam scopus, & finis, & summa quædã, quò coniiciantur, id est, referantur argumentationes. Ea est enim quæstio, de qua iudices pronunciare debent, & inde iudicatio nominatur. Fuit qui subscriberet in me, quia dixissem, de qua iudices pronunciant, non propter quam. Quintilianus ita locutus est ad finẽ tertij lib. Ita, inquit, iudicatio maximè propria, de qua pronunciatur. Argumentationes autem sumuntur ex inueniendi locis, quos antè numerauit: vt ex definitione, notatione, genere, ac cæteris. Hoc satis est ei qui videt ex arte & exercitatione quid in quoque loco lateat, quique locos tanquam thesauros in quibus condita lateant argumẽta, notatos ac signatos habet. Sed illi quoniam sunt ampliores loci, non statim quæ continẽtur ostendunt: quamobrem non inutile est eorum partes propius assignare, vt è locis communibus & propriis facilius eruantur argumenta. Proprij dicuntur hic loci, non ij qui vni tantum causæ subseruiunt, sed qui certis causis, vt coniecturalibus, argumenta subministrant. In coniectura.) Accusatio est criminum, petitio rerum debitarum. Hic tamen accusatio pro actione criminum, & petitione rerum vsurpatur. nec enim tantum controuersiarum genera versantur in accusatione, sed etiam in petitione & inficiatione reperiuntur. In coniectura quum est in inficiando reus, factúmque negat, accusatori duo prima sunt videnda, causa, & euentus. Nam quia factum probare contendit, & sine causa nihil omnium suscipitur, à causis ordiendum est, vnde sequatur is effectus, quò tendit omnis oratoris accusatio. Cicero pro Sexto Roscio, Sic vita hominum est, vt ad maleficiũ nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. Causam definit efficiendi rationem, ut quicquid impulit ad id efficiendum quod arguitur. Euentum vocat effectum, quod antea monueramus. Præcepta causarũ & euentuum, deliberationis & coniecturæ sunt communia: quia quemadmodum suasor ostendit & vtile esse, & effici posse quod agit: sic etiam qui coniecturam capit, & vtile ei quem arguit, fuisse, & ab eo effici potuisse demonstrat. Vtilitas ostenditur à spe bonorum, & malorum metu: vt pro Milone, Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas vtilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, Cui bono fuerit, in his personis valeat: & quæ sequuntur. Causæ sunt, ira recens, odium vetus, vlciscẽdi studium, iniuriæ dolor: vt in eadem oratione, At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit vltor iniuriæ, punitor doloris sui. Quid si hæc non dico maiora fuerunt in Clodio quàm in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? Item honor in rebus, gloria in verbis, imperium, id est, principatus omnis, vt hic sumitur, periculi timor, æs alienum vel fœnore vel alia ratione debitum, angustiæ & tenuitates rei familiaris, audacia, leuitas, crudelitas, impotentia animi, imprudentia, insipientia, amor, animi commotio, vinolentia, spes efficiendi, opinio celandi, ratio defendẽdi criminis, spes maioris præmij aut voluptatis. Pro Sexto Roscio, Quid si accedit eodem, vt tenuis antea fueris? quid si vt auarus? quid si vt audax? quid si vt illius qui occisus est, inimicissimus? Idem pro Cælio, Possum omnes latebras suspicionum peragrare dicendo. Non causa, non locus, non facultas, non conscius, non perficiendi, non occultandi maleficij spes, non ratio vlla, non vestigium maximi facinoris reperietur: sed hæc, quæ sunt oratoris propria, breuitatis causa relinquo omnia. Hactenus Cicero. Quid hæc & similia possint in animis mortalium, disces ab Aristotele in secundo lib. Rhetoric. Exempla multa citare possumus, sed aperuisse viam in tanta rerum frequentia, satius est, quàm dum mouentur omnia, properantem expectatione cruciare. De causis breuius Quintilianus, Proxima est, inquit, ex causis probatio, in quibus hæc maximè spectantur, ira, odium, metus, cupiditas, spes. nam reliqua in has species cadunt: quorum si quid in rem conueniet, accusatoris est efficere ad quid faciendum causæ valere videantur, eásq; quas in argumentum sumet, augere. Cicero rem latè patẽtem cogit in angustum, suspicionem facti duobus argui, voluntate, & facultate. Quintilianus tria ponit. Is est ordo, inquit, vt facere voluerit, potuerit, fecerit. Quæstio an fecerit, incipit à secundo tempore, id est, præsenti, ac deinde coniunctio, hoc est, insequenti: quorum sunt sonus, clamor, gemitus, latitatio, metus, & similia. Hæc ille. Voluntatem inducit vtilitas. Ea duplex, vna est ex adeptione commodi, vt hæreditatis. Altera ex

vitatione incommodi, vt ignominiæ. In illa spes, in hac metus positus est. Reliquæ genera causarum pertinent aut ad voluptatem, aut ad ægritudinem. In vtraque sunt repentini motus animi, quales in amore & dolore.

LATOMVS. Sed in grauissimis firmamentis.) Hoc genus firmamentorum in scripto positum est, sed neq; in cõiectura, neq; in definitione, sed in sola qualitate versatur. Verba iudicij, intelligit formam præscriptam à prætore, in quam iudicium dabatur, quod postea in vsu esse desiit. Stipulatio, obligatio est quæ verbis contrahitur promittentis & accipientis. Cautio, obligatio est scripto interposita, vt ratum sit quod actum fuit. Quod enim factum negatur.) Quod negatur factum esse, id argui non potest scripto, hoc est, iure scripti. Potest tamen argui scripto testimonio, de quo hic non loquitur Cicero, sed de genere scripti. Ne in definitionem quidem venit.) Negat firmamenta ex scripto in quæstionem definitionis venire: quia scripti genus ad ius, ac proinde ad qualitatem pertinet, vt cùm lege vel testamento petimus aliquid, vel recusamus. Potest tamen verbum aliquod definiri de scripto, cùm non de genere scripti, hoc est, recténe, an secus scriptum sit, sed de verbi interpretatione quæritur, vt quid sit penus, si fortè penus legatum sit: vel ex lege prædij, quæ sint ruta cæsa. Lege enim prædij ita fundus venditur, vt ruta cæsa recipiantur, nisi aliud in vendendo actum sit. Ruta cæsa appellantur quæcunq; à solo separata sunt, siue nata in solo ipso, siue manu facta sunt, vt demessa seges, fructus decerpti, calx, saxum, arena, cæsa materies. Ruta enim à ruendo dicta sunt, hoc est, vertendo, vt Virgilius, Cumulósque ruit malè pinguis arena. Cùm autem plura significantur scripto.) Colligit disceptationes, quæ ex scripto nascuntur, quas alij legitimas vocant. Sunt autem tres, ambigui, scripti & sententiæ, contrariorum scriptorum. Ambiguum est, vt pro Cecinna, quid verbum deieci significet. Et de Arusp. respon. quos ludos minus diligenter factos pollutósq; Aruspices interpretentur. Scriptum & sententia est, vt pro eodem Cecinna, cùm prætor edixerit, Vnde tu illum deiecisti, voluerítne eum quoq; restitui, qui ab ingressu fundi prohibitus esset, & vtrum potius, verbum interdicti, an voluntas prætoris sequenda sit. Contraria scripta sunt, vt leges Cæsaris & Antonij de iudiciis & iure prouinciarum, cùm alter duas decurias iudicum faciat, alter tertiã adiiciat: alter præfiniat tempus obtinendarum prouinciarum, alter liberam ordinationẽ populo relinquat. Quæ in consilio capiendo.) Sicut in deliberationibus causæ valent ad arguẽdam vtilitatem futuri temporis, vel efficiendi facultatem: ita in coniecturis ad arguenda consilia facti, nempe vtile fuisse ei qui arguitur, & in eodem fuisse spem perficiendi. quorum alterum causæ finalis est, alterum efficientis: quas tamẽ nõ distinguit Cicero, sed vtranq; in Topicis sub efficientibus cõprehendit. Quod sit acrius, quo illa.) Vt pro Milone in Clodium, qui se interfecto Milone regnaturũ putaret. Cæterorum quoq; exempla oratio eadem multa habet, multa ea quæ est pro Roscio Amerino, quoniam in coniectura versantur. Cùm & voluntatis in reo.) Itaq; Fabius coniecturam in hæc tria capita diuidit, an voluerit, an potuerit, an fecerit. Cicero voluntatem & facultatem, hoc est, an voluerit & an potuerit, sub causis comprehendit. Euentus, signa facti appellat.

HEGENDORPH. Penus.) Quintus Mutius scribit libro secundo iuris ciuilis, penu legata contineri quæ vsui potuiq; sunt accõmoda. l. qui penu legata. ff. de penu legata. Quid sibi velint ruta cæsa, verba peculiaria iurisconsultis, abundè patet ex Pandectarum lib. 12. l. 18. Si ruta, inquit Vlpianus, cæsa excipiantur in venditione, ea placuit esse ruta, quæ eruta sunt, vt arena, & similia: cæsa verò, arbores cæsæ, & carbones, & his similia.

LEODECARIVS. Sed in grauissimis.) Transitum facit ad disputationem de firmamentis legalibus. Stipulationis.) Stipulatio est conceptio verborum, quibus is qui interrogatur daturum factúrúmve se id de quo interrogatus est, statim spõdet vel promittit. §. stipulatio. l. stipulationum. ff. de verb. oblig. Vide ea de re Iustinianum libro tertio instit. ciuil. Defensioni.) Hoc est rationi. Quid sit penus.) Vlpianus. l. Qui penum legat. ff. de penu leg. ait, per penum intelligi quicquid in alimoniam reconditur. Quæ sint ruta cæsa.) Vide Ciceronem lib. 2. de Orat. & eũdem in perorat. Top. Et Erasmum in prouerbio, ruta cæsa. Et. l. fundi. ff. de act. empt. & l. in rutis. ff. de verb. signif. Cùm autem.) Aliquando plures, aliquando pauciores facit status legales Cicero: nec mirum, cùm referri possunt omnes ad rationales. Disceptatio.) Vt sagittarius collineat ad scopum, sic orator ad iudicationem. Sed accusatorem.) Accusator dicitur in criminibus. Petitor autem in debitis ciuilibus: veruntamen Cicero hoc loco confundit.

Prima.) Hoc est præcipua. Ira recens.) Huc pertinet illud Virgilij primo Æneidos,

Necdum etiam causæ irarum, sæuique dolores,
Exciderant animo, manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ,
Et genus inuisum. & rapti Ganymedis honores.

Si æs alienum.) Similibus coniecturis Sallustius facit probabilem coniurationem Catilinæ. Voluntatis in reo.) Voluntas & potestas magnam fidem faciunt. Nam qui voluit, & potuit, non dubitatur fecisse.

COMMENTARIVS. Sed in grauissimis.) Antea egit de firmamētis rationalibus, ex quibus nascitur rationalis iudicatio: Nunc de legalibus, ex quibus oriūtur iudicationes legitimæ. Ac certè Cicero videtur innuere status legales esse duntaxat in postrema disceptatione, quia firmamenta adferuntur ad probationem status rationalis. Aut alicuius stipulationis.) Stipulatio, contractus est qui fit per interrogationem. & nomen habet à firmitate, quia antiqui firmum appellauerunt stipulum. At cautiones appellat formulas syngrapharum & chirographorum, quæ perscribuntur ad securitatem contractus. Quod enim.) Coniectura firmamentis caret: & quanquam probari potest testimonio alicuius scripti, nunquam tamen in constitutione alicuius quæstionis substituitur in facti inficiatione, nisi fortè putat Cicero hoc loco scriptum esse de iure, non de facto, vt sæpenumero testantur iurisconsulti. Ne in definitionem.) Significat in statum definitiuum cadere firmamentum. Significat firmamentum pendere à re, non à scripto. Ruta cæsa.) Ruta cæsa dicuntur ea omnia quæ solo non continentur ipso corpore ædium. Nam ruta dicūtur à ruendo, quia sunt eruta, vt calx & arena. Cæsa dicūtur, vt ligna, & seges demessa. Erat autem consuetudo, vt in venditione prædiorum ruta cæsa exciperentur.

Cum autem plura.) Quoniam de firmamentis legalibus egit, deinceps disceptationes tractat legales, eas tres efficit, ambiguitatem, scriptum, sententiam, & contrarias leges. Itaque omisit syllogismum, id est ratiocinationem: sed eum complecti possumus sub scripto & sententia. Ambiguitatem.) Ambiguitas propter verbū vnum, appellatur homonymia: vulgo dicitur æquiuocatio. Propter multa verba, appellatur amphibolia. Hæc vulgò duntaxat ambiguitas appellatur, ad differentiam æquiuocationis. Vt in ambiguis disceptetur.) Itaque Fabius sic hos status reducit ad rationales, vt amphibolia pertineat ad coniecturam, quod & innuit Cicero: Scriptum & sententia nunc ad coniecturam pertineat, nunc ad qualitatem. eodem quoq; modo ἀντινομία, in qua est duplex status, scripti & voluntatis. Disceptatio autem.) Loci Topici materiam argumentorum suppeditant ad omnia probanda, sed quia minus late patent, ac sunt nimis fusi, inuenti sunt loci rhetorici tum causarum tum statuum, qui propinquiores sunt his rebus quas tractat orator, magisque pertinent ad hypothesin. quanquam hi loci rhetorici continentur sub Topicis. Pro omni actore.) Actor cōplectitur & petitorem, & accusatorē. hūc in causis criminalibus, illum in petitoriis. Et tamen accusatorem dicit pro actore. Sed hæc duo.) In locis confirmationis de coniectura agit generaliter: Nunc autem specialiter, quatenus cadit in causam iudicialem. quanquam superior diuisio in hanc recidit. Nam verisimilia pertinent ad causas, propriæ rerum notæ ad euenta. Fabij quoq; diuisio eodem relabitur. Nam cū voluerit, cum potuerit, pertinent ad causas: an fecerit, pertinet ad euenta. Fabius libro septimo. Quamobrem & vtilia.) Quia antequam factum sic susciperetur, aliqua deliberatio fuit, loci deliberationis in coniectura erunt tractandi. Locus prior est de causa finali, posterior de remedio. Sed colligitur ab efficientibus causis, vt dictum est in deliberatione. Vtilitatis.) Diuidūt rhetores causam in ratiocinationem, & impulsionem. Ratiocinatio est in bene prouisa & consyderata ratione, dicitūrque à spe bonorum & metu malorum. Locus hic maximè erit amplificandus, vt iustior causa fuisse videatur. Spectatur etiam.) Altera pars est causæ, quæ appellatur à rhetoribus impulsio. Est autem impetus quidam natus ab affectu. Ne hic quidem locus simpliciter tractandus est, sed ita explicandus vt ostendatur quæ sit affectus cuiusque vis, & quid ex quoque affectu sequatur. Aut si iudicij pœna &c.) Loci superiores sunt simplices, hi comparatiui: nec enim solum dicendum est de commodo, sed etiam commodum est comparandum vel cum aliis cōmodis, vel incommodis, vt ostendatur maius fuisse. In voluntate autem.) Epilogus est breuissimus eorum quæ antea dixit. Ad facinus impellit voluntas & facultas. Voluntas ducitur

ab vtilitate per ratiocinationem. Impulsio quoque voluntatem impellit magis quã ratiocinatio.

C. F. Teneo, & quæro qui sint illi euentus, quos ex causis effici dixisti. C. P. Consequentia quædam signa præteriti, & quasi impressa facti vestigia, quæ quidem vel maximè suspicionem mouent, & quasi tacita sunt criminum testimonia. Atque hæc quidem grauiora, quòd causæ communiter videntur insimulare & arguere omnes posse quorum non interfuerit aliquid. Hæc propriè attingũt eos ipsos qui arguuntur, vt telum, vt vestigium, vt cruor, vt deprehensum aliquid quod ablatum ereptúmve videatur, vt responsum inconstanter, vt hæsitatum, vt titubatum, vt cum aliquo visus ex quo suspicio oriatur, vt eo ipso in loco visus in quo facinus, vt pallor, vt tremor, vt scriptum, aut obsignatum, aut depositum quippiam. Hæc enim & talia sunt quæ aut in re ipsa, aut etiam antequam factum est, aut postea, suspiciosum crimen efficiant.

Euentus & consequentia.

STREBAEVS. Coniectura spectat caussas & euentus. Euentus antè definiuit effecta: declarat hic apertius, euentus esse consequentia quædam signa præteriti, & quasi impressa facti vestigia, & quasi tacita criminum testimonia. Hæc cum sint aut ante factum, aut cum facto, aut post factũ, vt postea tradit, nõ eò consequentia dicuntur, quòd post factum eueniant, sed quòd sint adiuncta facto, & ἀκόλουθα, & quodammodo cohærentia. Sic enim Quintilianus in quinto consequentia interpretatur. Cicero tamen videtur aliud sentire, quum dicit esse consequentia quædã signa præteriti, & impressa facti vestigia. Quod si accipias, vt quadrabit illud quod postea dicit? Hæc, inquit, & talia sunt quæ aut in re ipsa, aut etiam antequam factum est, aut postea, suspiciosum crimen efficiant. Certè signa sunt præteriti sæpius, & facti vestigia, sed etiam futuri: vt apparatus armorum, properatióque signum est futuræ cædis: & osculum, adulterij: sed accepit id quod frequenter, non quod semper euenit. Nam signorum multa factum sequuntur, tanquam vestigium pedem. Siqua verò factum præueniunt, causam subsequuntur. Illa antepositit, aut vt frequentiora, aut vt certiora, hæc tandẽ voluit annexa. Nec valet si dicas iudicium esse præteriti. Accusatoris est videre quæ ante rem facta sint, quæ signa antecesserint, vt facilius inducat ad id quod erat futurũ. Talia etsi in iudicio præterita sunt, tamẽ sua natura sunt rei futuræ, quoniã factũ antecedũt. Signa sunt in arguẽdo grauiora causis: quia causæ cõmuniter, signa verò propriè attingunt eos ipsos qui arguuntur. Omnibus ferè proposita est causa peccandi, sed pauci sunt maleficij signorúmque vestigio notati. Signa enumerat: Telum, quod in hostẽ vel inimicum mitti solet: Vestigium, notam pedum: Cruorem, sanguinem fusum: Deprehẽsum aliquid, vt ensem, vestem, pecuniam: Responsum inconstanter, quum posteriora dissentiunt prioribus, vt fit in animi perturbatione: Hæsitatum, lingua atque sermone, vt in metu: Titubatum, vacillante gradu præ timore: Visum esse cum aliquo suspecto, vt sicario, latrone, homine facinoroso: Visum eo ipso in loco, in quo facinus est commissum, vt in ædibus, vnde pecunia sublata est: Pallorem, metus indicium: Tremorem corporis, ex animo consternato: Scriptum aut obsignatum quidpiam, vt literas Lentuli in coniuratione Catilinæ: Depositum quidpiam, vt arma custodiæ tradita. Ex his colligè, à caussis & facta & signa deriuari.

LATOMVS. Consequentia quædam signa.) Ea sunt, quæ suprà vestigia facti nominauit, quo etiam in loco declarata sunt. Differunt à cæteris, quòd in facto sensu deprehenduntur, illa ingenio & industriæ oratoris subiecta sunt. Vt responsum inconstanter.) Inconstanter,

modò affirmando, modò negando, aut etiam pugnantia dicendo. Hæsitat, qui resistit in sermone, quasi dubitans & quærens quid dicat. Titubat, qui reuocat quod dixit, & quasi lapsus eadem iterat, quæ conscientiæ sunt signa.

LEODECARIVS. Ad hæc quidem grauiora.) Differentiam tradit inter argumenta à causis, & euentis: vultq; potentiora esse euenta signáque quàm causas: non enim omnis qui causam habet faciendi, facit: sed vix signum est sine facto. Vt telum.) Vide Ciceronem cum tractat locum ab adiunctis in Topicis.

COMMENTARIVS. Consequentia quædam.) Per euentus cõplectitur ea quæ signa dicuntur à rhetoribus. Sunt autem facti indicia sub sensum aliquem cadentia. Quorum non interfuerit.) Nam multi causas peccandi habuerunt, qui tamen non peccauerunt. nec si per iram aliquis interdum interficitur, sequitur vt quicunque iratus fuerit, aliquem interfecerit. Hic locus etiam complectitur adiuncta. Hæc enim & talia.) Eadem est apud Ciceronem in Topicis adiunctorum diuisio, vt forte hic locus aliquanto latius sit accipiendus, vt non solùm intelligatur de specie præcipua adiunctorum, id est de signis, (quanquam de illis potissimum duntaxat agere videtur, vt præstantioribus) sed etiam de tota adiunctorum materia. Appellant rhethores hunc peculiari nomine argumentum. Græci cum conferuntur quæ sunt ante rem, cum re, post rem, appellant locum à principio ad finem.

Loci communes in coniectura.

Quæ si non erunt, tamen causis ipsis, & efficiendi facultatibus niti oportebit, adiuncta illa disputatione communi, non fuisse illum tam amentem, vt indicia facti aut effugere, aut occultare non posset: vt ita apertus esset, vt locum crimini relinqueret. Communis ille contrà locus, audaciam temeritati, non prudentiæ esse coniunctam. Sequitur autem ille locus ad augendum, non esse expectandum dum fateatur: argumentis peccata conuinci. & hic etiam exempla ponentur. Atque hæc quidem de argumentis.

STREBAEVS. Si non erunt signa, factique vestigia, quod aliquando contingit astutè peccantibus, tum causis vtilitatẽ monstrantibus, & efficiendi facultatibus niti oportebit, vt quia vtile putaret, & facere posset, fecisse dicatur. Ad probationem vtendum est loco communi, non fuisse tam amentem eum qui arguitur, ac consilio destitutum, vt indicia facti, id est signa, locumq; crimini relinqueret: vt Erucius, qui Sextum Roscium accusauit, causam affert paternæ cædis, odium patris in filium. vult eam vtilem fuisse Roscio filio, quòd hoc modo vitaret exheredationem. Efficiendi facultate nititur, quia tum multi sicarij impunè grassabantur. Signa sunt admodum pauca, vt nunquam esse cum patre, nunquam in conuiuium vocari. Vtatur hic & loco communi, in tam multis sicariis, tempore nocturno, alieno in loco indicia facti nulla reliquisse Roscium, præter corpus exanime. Quo quidem præsidio, quoniam infirmum est, non temere nitatur Cicero, qui hãc Erucij nimium debilem putat accusationem. Ne quis igitur hoc genus accusandi firmum putaret, opposuit quod ex altera parte dicatur, facere periculosè, esse audaciæ: indicia facti occultare, esse prudentiæ: audaciam & prudentiam non posse coniungi. Vt sit autem audacia cum temeritate coniuncta, pro Cluentio dicit: Hi qui ad fraudem callidi sunt, non tantùm audent, quantum excogitant: illi quorum eminet audacia, atq; proiecta est, à consiliis malitiæ deseruntur. Quòd si aut confidens astutia, aut callida esset audacia, vix vllo obsisti modo posset. Alter est accusatori locus communis, non tam ad probandum, quàm ad augendum, nõ esse expectandum dum fateatur crimen is qui arguitur, quoniã non sola confessione, sed etiam argumentis peccata conuincuntur. Et hic etiam exempla ponentur. Expectatis Iudices dum Verres crimen fateatur? in manifesto peccato tenetur, argumenta sunt in eum luce clariora: sic habent se tabulæ

vt videtis, quid expectatis? quid quæritis amplius? tu ipse Verres quid sedes? quid moraris? Q. uũ M. Scaurus à Cn. Dolabella vexatam Asiam planum fecisset, Iudices reum pertinaciter inficiantem damnare non dubitauerunt.

LATOMVS. Audaciam temeritati.) Sic ipse pro Cluentio, fraudulentos audacia, audaces fraude & malitia destitui.

COMMENTARIVS. Quæ si non erunt.) Fabius ait non esse in coniectura satis docere, voluisse & potuisse, qui loci pertinent ad causas & facultates: verùm etiam addendum esse, fecisse: qui locus est ab euentis. Ergo si euentis careamus, loco communi vtẽdum erit vice euentorum, magis ad probandum quàm ad amplificãdum. Communis ille, &c.) Quanquam postea seorsum tradet refutationis præcepta, attamen opportunitate data opponit à parte rei locum communem ad solutionem superioris, cuius vis est à repugnantibus. Sequitur autem.) Hic locus communis potius est ad amplificandum, quàm ad probandum: quanquã ad probandum quoque. Porrò iudices non solent temerè in coniectura reum damnare, nisi cõfiteatur ipse, aut producantur testes aduersus eum. Erit igitur hic locus communis opportunus: vtq; confirmetur, adferenda erunt exempla, quibus probetur reum esse damnatum aliquando cùm non confiteretur.

Sin autem erit etiam testium facultas: primùm genus erit ipsum laudandum, dicendúmque, ne argumentis teneretur reus, ipsum sua cautione fecisse: testes effugere non potuisse. Deinde singuli laudentur. Quæ autem essent laudabilia, dictum est. Deinde etiam argumento firmo, quia tamen sæpe falsum est, posse rectè non credi: viro bono & firmo, sine vitio iudicis non posse non credi. Atque etiam si obscuri testes erunt, aut tenues, dicendum erit, non esse ex fortuna fidem ponderandam: aut eos esse cuiusque locupletissimos testes, qui id de quo agatur, facillimè scire possint. Sin quæstiones habitæ, aut postulatio vt habeantur, causam adiuuabunt, confirmandum genus primum quæstionum erit: dicendum de vi doloris, de opinione maiorum, qui eam rem totam nisi probassent, certè repudiassent: de institutis Atheniensium, Rhodiorúmque, doctissimorum hominũ, apud quos etiam (id quod acerbissimum est) liberi ciuésq; torquentur. De nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui cùm de seruis in dominos quæri noluissent, de incestu tamen, & coniuratione, quæ facta me consule est, quærendum putauerunt. Irridenda etiam disputatio est, qua solent vti ad infirmandas quæstiones, & meditata puerilísque dicenda: tum facienda fides, diligenter esse & sine cupiditate quæsitum, dictáque quæstionis argumentis & coniectura ponderanda. Atque hæc accusationis ferè membra sunt.

De testibus in coniectura.

De tormentis.

STREBAEVS. De toto genere testimoniorum præcepta tradidit: nũc autem quan-

tum attinet ad coniecturalem accusationem, præcepta subnectit. Primum genus erit ipsum laudãdum, quod subinde facit in Verrẽ, vt laudet totas ciuitates, & earũ decreta. Laudãtur & singuli testes. Idem in eadem accusatione, Quò me igitur vertam? rem tam improbam, crimen tantæ audaciæ, tantæq; impudentiæ, propter inopiam testium ac literarum prætermittam? Non faciã, iudices: vtar teste. quo? P. Vectio Chilone, homine equestris ordinis honestissimo, atq; ornatissimo, qui isti ita amicus & necessarius est, vt etiam si vir bonus non esset, tamen quod contra istum diceret, graue videretur. Ita vir bonus est, vt etiam si inimicissimus isti esset, tamen eius testimonio credi oporteret. Dicendum præterea, ne argumentis teneretur reus, ipsum sua cautione, hoc est, calliditate fecisse: vt Cicero Verrem sustulisse literas publicanorum queritur. Sed, inquit, habeo ex iis qui affuerunt, quos producam, homines honestissimos ac locupletissimos istos principes equestris ordinis. Deinde argumento, vt sæpe fallaci, non esse credendum dici potest: viro bono & firmo semper esse credẽdũ. Tale ferè est quod pro Cælio dicit, argumẽta oratoris propria se relinquere, quod habeat L. Luceiũ grauissimũ hominẽ & sanctissimũ testẽ, qui tantũ facinus in famam atque fortunas suas neq; non audisset illatum à Cælio, neque neglexisset, neque tulisset. Hoc quidem exemplum in defensione est, sed nihil refert. At argumento firmo cur non creditur? Si firmum, vt sæpe falsum est? Non dicit argumentum firmum, quod est necessarium & certum, sed quod est valde probabile. Multa sunt autem falsa probabiliora veris. Deinde fieri potest, vt argumentum firmum non assequatur fidem eorum qui vel non intelligunt, vel pertinaciter obsistunt, vel pecunia aut gratia corrupti despiciunt. Ad hæc si obscuri testes erunt genere, homine, & fama, aut tenues paupertate & inopia, dicendum erit, non esse ex fortuna, hoc est, ex fortunæ bonis, fidem ponderandum. Vir est haud magna cum re, sed fidei plenus. Dicendum testes esse viros bonos, & id de quo agatur, facile scire posse. Hoc tamen videtur accusatori minus conuenire in oratione perpetua quam testibus datur authoritas, quàm in altercatione quum testes interrogantur. Certè fecit ipse dicendo suos testes ornatissimos & amplissimos videri. De quæstionibus & tormentis alio loco dictum est. Quæstiones aut habitæ sunt ante accusationem, aut in accusatione postulãtur. Quæstiones solitæ sunt postulari Ostendit Cicero in oratione pro Sexto Roscio, Te nunc appello P. Scipio, te Metelle: vobis aduocatis, vobis agentibus aliquoties duos seruos paternos in quæstionem ab aduersariis Sextus Roscius postulauit: etiam nunc vt ex his quæratur postulo. Has ferè confirmat accusator, tum à re ipsa, quod vis doloris extorqueat veritatem: tum ab opinione maiorum, qui id genus inquirendi non repudiarunt. Accedunt exempla populorum, vt Atheniensium atque Rhodiorum: qui non seruos modò, vt Romani, sed etiam liberos ciues que torquent: quod non facerent, si quæstionem inutilem Reipub. putarent. Liberum caput Romani torqueri noluerunt, sed nè seruos quidem in dominorum caput torserunt, nisi de incestu, & coniuratione. Martianus, Si quis viduam vel alij nuptam cognatam, cum qua nuptias contrahere non potest corruperit, in insulam deportandus est, quia duplex crimen est, Incestum, quia cognatam violauit contra fas, & adulterium vel stuprum adiungit. Denique hoc vasi seruiri in personam domini torquentur. Hæc ille. In eodem titulo edictum est Augusti, Quæstiones neque semper, neque in omni caussa & persona desiderari debere arbitror, sed quum capitalia & atrociora maleficia non aliter explorari & inuestigari possint, quàm per seruorum quæstiones. In coniuratione Catilinæ, de seruis in dominos quæsitum est, propter sceleris atrocitatem. Disputatio est antè tradita, qua solent vti ad infirmandas quæstiones, quum dicunt plurimos ementiri aut dolore corporis adductos, aut suorum charitate, aut metu supplicij, aut odio inimicorũ. Hæc, inquit, irridenda disputatio est, puerilisque dicenda. Postremò vtendum erit argumentis ad ea probanda, quæ quis in quæstione dixerit: credibilia esse quæ dixerit, inter se constantia, signis notata, rumoribus iactata: conuenire tempori, loco, rei, personæ.

LATOMVS. Facillime scire possint.) Vt ipse pro Sylla, Sibi potius de coniuratione, quàm Torquato credendũ esse. De incestu tamen & coniuratione.) Idem etiã ponitur pro Milone, in quæstionibus refutandis. Irridenda etiam disputatio est.) Locum communem intelligit contra quæstiones, quo ipse etiam pro Sylla vtitur. Tormenta illa gubernat dolor, moderatur natura cuiusque tum animi, tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, vt in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur. Quam disputationem hoc loco tãquam meditatam & puerilem irridendam esse dicit.

HEGENDORPHINVS. De incestu &c.) L.4.ff.de quæstionibus, contrarium statuit. De incestu, inquit, vt Papinianus rescripsit, seruorum tormenta cessant. Cæterum interpretes dicunt istam legem de simplici incestu intelligi. Et quæstionem de seruis contra dominos haberi non oportet, exceptis adulterij criminibus, item fraudati census, & crimine læsæ maiestatis.l.1.C.de quæst.

LEODEGARIVS. Sin autem.) Destituti signis, vtuntur testimoniis: qualis autem sit vsus testimoniorum, elegãter & copiosè tradit Quintilianus cap.7.lib.5. Quæ autem essent laudabilia.) Laudabilia sunt quæ cum virtute coniuncta sunt: vituperanda, quæ iuncta sunt cum vitiis. Non esse ex fortuna fidem ponderandam.) Hinc illud Virg.2.Æneid.

Nec si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Vide Aristotelem in problematibus, sectione 39. Locupletissimos testes.) Diuitibus tanta fides habebatur, vt in prouerbium abierit locuples testimonium, hoc est amplissimum, & verissimum. Hinc Iuuenalis saty.3.

Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei. Sed pauperibus nulla fides habebatur. Idem ibidem,
Iuret licet & Samothracum,
Et nostrarum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur atque deos, dis ignoscentibus ipsis.

Confirmandum genus primum quæstionum erit.) Rhetores vocãt hunc locum à quæstionibus: quem facilè tractat author rhetorices ad Herennium lib. 2. De vi doloris.) Hinc Cicero in Top. necessitatem vocat quæstionem, quòd quasi necessariò dolor cogat confiteri factum. De seruis in dominos quæri noluissent.) Cic.pro Deiotaro, Nam cùm more maiorum de seruo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat, (in qua quæstione dolor veram vocem elicere possit etiam ab inuito) exortus est seruus, qui quem in equuleo appellare non posset, eum accuset solutus.

De incestu.) Tempore Ciceronis torquebantur serui contra dominos accusatos de incestu. Sed tamen postea visum est iurisconsultis non debere torqueri seruos de incestu, nisi constet incestum esse perpetratum per adulterium.l.vim passam. §. de seruis. ff.ad legem Iul.de adult.alioqui lex Iulia de adulteriis cessat in dominos.l.de incestu.ff. de quæst. Irridenda etiam disputatio est.) Qui dicunt non habendam fidem quæstionibus, solent vti hoc dicterio, Mentietur in tormentis qui dolorem pati potest, mentietur qui non potest.

COMMENTARIVS. Sin autẽ erit.) Hos duos locos inartificiales, qui firmissimi sunt, antea tractauit in refutatione. Porrò bifariam confirmantur testes, loco communi simplici de genere testium, deinde loco singulari, vt cùm dicemus de singulis testibus. Additur etiã tertius locus, qui communis est, per comparationẽ, præstantiora esse testimonia argumentis. Ita sunt loci communes & proprij. Deinde singuli.) Hic locus est proprius & singularis. Locus cõmunis est qui per cõparationem tractatur. Atque eius.) In testimonio imprimis requiritur authoritas, vt ait Cicero in Topicis: quæ non est in obscuris aut à tenuibus. Itaque huic loco est occurrendum, si tales producentur testes. Adde quòd apud Romanos optimus ille testis putabatur, qui diues erat, facilìusque ad testimonium admittebatur. Inde vsurpamus locupletissimũ testem pro idoneo & optimo, vt hic Cicero. Sin quæstiones.) Quæstiones quoq; bifariam tractari possunt, loco communi, & proprio. Communis erit locus de vi doloris: proprius, de præsenti quæstione, & eo qui est tortus. Quæstionibus non vtebantur antiqui nisi in atrocioribus causis. Cicero hoc loco duntaxat tractauit locos communes, nisi quòd in fine leuiter attingit locum proprium. De institutis Athenienſium.) Apud Romanos nefas erat liberum hominem torqueri. Itaque de seruis duntaxat quæstiones habebãtur. Affert autem exempla, vt ex comparatione doceat optimas esse quæstiones Romanorum. Si enim apud Athenienses liberi torquentur, quanto tolerabilius erit si apud Romanos serui torqueantur? De incestu.) Sic Antonius orator accusatus est incestus, & tortus est eius seruus. Cestus est cingulum Veneris. vnde incestus, sine cestu. Vti ad infirmandas.) Refutationes horum duorum locorum copiosissimè tradidit in refutationis præceptis. Hic breuiter attingit, ac postea attinget breuissime. Quanquam hic locus accusatoris est aduersus refutationem rei. Locus communis defensoris est huiusmodi, sæpenumero homines mentiri propter

dolorem. Argumentis.) Ea intelligit quæ dicta fuerunt in tormentis.

Defensionis autem, primùm infirmatio causarum, aut non fuisse, aut non tantas, aut non sibi soli, aut commodius potuisse idem consequi, aut non iis esse moribus, non ea vita, aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuisse. Facultatum autem infirmatione vtetur, si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit, aut alienum tempus, aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini: aut non se tam ineptum, vt id susciperet, quod occultare non posset: neque tam amentem, vt pœnas ac iudicia contemneret. Consequentia autem diluet exponendo non esse illa certa indicia facti, quæ etiam nullo admisso consequi possent: consistétque in singulis: & ea, aut eorum quæ ipse facta esse dicet, propria esse defendet potius quàm criminis: aut si sibi cum accusatore communia essent, pro periculo potius, quàm contra salutem valere debere. Testiúmque & quæstionum genus vniuersum, & quod poterit in singulis, ex reprehensionis locis, de quibus antè dictum est, refellet. Harum causarum principia suspiciosa ad acerbitatem ab accusatore ponentur: denunciabitúrque insidiarum commune periculum, excitabuntúrque animi vt attendant. A reo autem querela conflati criminis, collectarúmque suspicionum, & accusatoris insidiæ, & item commune periculum proferetur, animíque ad misericordiam allicientur, & modicè beneuolentia iudicum colligetur. Narratio autem accusatoris erit quasi membratim gesti negotij suspiciosa explicatio, sparsis omnibus argumentis, obscuratis defensionibus. Defensori, aut præteritis, aut obscuratis suspicionum argumentis, rerum ipsarum euentus erunt casúsque narrandi. In confirmandis autem nostris argumentationibus, infirmandísque contrariis, sæpe erunt accusatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. Atque hæc quidem vtrique maximè in peroratione facienda: alteri, frequentatione argumentorum, & coaceruatione vniuersa: alteri, si planè causam redarguendo explicarit, enumeratione, vt quidque diluerit, & miseratione ad extremum.

STREBAEVS. Defensionis argumenta ducuntur à contrariis locis. Loci sunt

causa, facultates, consequentia, testimonia. Tum constabit firma defensio, si criminis idonea causa nulla reperietur, nullæ efficiendi facultates, nulla signa, nulla testimonia. Dicendum igitur causas non fuisse. Quid odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suæ gloriæ? Non modò nihil prodest, sed obest etiam P. Clodij mors Miloni. Aut non tantas fuisse. Clodio magna causa, magna spes in Milonis morte proposita erat. In Milone non modò non tantas, quantas in Clodio, sed nullas occidendi Miloni causas fuisse dicit. Aut non sibi soli. Causam tu nullã reperiebas in Sexto Roscio, at ego in Tito Roscio reperio. Aut commodius idem potuisse consequi. Potuitne ciue egregio & viro fortissimo P. Sestio collega suo vulnerato? Quem cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela occidere? Aut non his esse moribus, non ea vita. Reliquum est vt iam illum natura ipsius consuetudóque defendat, hunc autem hæc eadem coarguant. Nihil per vim vnquam Clodius, omnia per vim Milo. Aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuisse. Quid simile Milonis? cuius vis omnis hæc semper fuit, ne P. Clodius quum in iudicium detrahi non posset, vi oppressam ciuitatem tenere posset. Facultatum infirmatione vtetur, si aut vires, aut animum, aut copias abfuisse demonstret. Alter vehebatur in rheda, penulatus, vnà sedebat vxor. quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculũ, an comes? quid minus promptum ad pugnam? Deinde comparat Clodianas facultates. Aut alienum tempus. Quid si vt ille sciuit Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit? Aut locum non idoneum. Videamus nunc, id quod caput est, locus ad insidias ille ipse vbi congressi sunt, vtri tandem fuerit aptior, &c. Aut multos arbitros, quorum crederet nemini. Patrem Sextus Roscius occidit: quæro, quomodo occidit? ipse percussit, an alius occidendum dedit? Si ipsum arguis, Romæ non fuit. si per alios fecisse dicis, quæro, seruósne, an liberos? quos homines? indidemne Ameria? an hosce ex vrbe sicarios? Si Ameria, qui sunt hi? cur non nominantur? si Romæ, vnde eos nouerat Roscius, qui Romam multis annis non venit, neque vnquam plus triduo fuit? Vbi eos conuenit? qui cum locutus est? quomodo persuasit? Precium dedit? cui dedit? per quem dedit? vnde, aut quantum dedit? Nónne his vestigiis ad caput maleficij perueniri solet? Cõfirmat arbitros quidem non defuturos, sed quibus non crederet Roscius. Consequentia vt hoc loco sumuntur, fere signa sunt, quæ, authore Fabio, si necessaria sunt, soluunt quæstionem: si non necessaria, ad tollendam dubitationem sola non sufficiunt, tamen adiuncta cæteris plurimum valent. Constat autem Ciceronem euentus appellare nomine consequentium: consequentia nominare indicia, non ea semper quæ necessaria sunt, sed quæ ferè euenium. Consequentia tamen collecta, efficiunt argumentum penè necessarium. Ad ea diluenda sumes propositionem hanc, non esse illa certa indicia facti. rationem afferes, quia nullo admisso, nulloq; peccato consequi possunt. quod in singulis probandum est. Cicero pro Roscio, Nam illa, opinor, tu quoque concedis leuia esse atque inepta. Conuiuia cum patre non inibat, quippe qui ne in oppidum quidem nisi perraro veniret. Domum suam istum non ferè quisquam vocabat: nec mirum, qui neque in vrbe viueret, neque rure vocaturus esset. Verum hæc quoque tu intelligis esse nugatoria. Consequentia possunt aliò conferri, vt ad ea quæ nos esse facta dicemus: vt si pallorem referamus ad morbum, cruorem ad profluuij consuetudinem. Aliquando cum accusatore communia esse dicuntur, & idcirco valere debere pro periculo, non contra salutem: hoc est, eò pertinere, vt cauceamus periculum, non ipsi iudicio opprimamur. aut pro periculo valere debẽt indicia, id est, accusatori periculum facessere. In testes dicit ipse pro Flacco grauiter & copiose, in quæstiones pro Milone. Harum causarum.) Partium ratio sic habet in coniectura. Principia suis prooemia suspiciosa ad acerbitatem, hoc est, suspicionum plena, ponentur ab accusatore, vt acerbè pugnent in reum eiusmodi coniecturæ, & iactæ criminũ significationes: denunciabitúrque insidiarum commune multorum periculum. tale est principium in Verrem, Neminem vestrũm ignorare arbitror iudices. Hic suspiciones acerbæ tũ in Verrem, tum in Iudices, hic commune multorum periculum. Accusatoris est enim exacerbare iudices, & sic augere crimen, vt Reipub. periculosum esse videatur. A reo querela constati criminis, collectarumque suspicionum, & accusatoris insidiæ proferentur: quod in Chrysogonum facit Cicero pro Roscio: & tandem colligit: Hæ de rebus tantis támque atrocibus, neque satis me commodè dicere, neque satis grauiter conqueri, neque satis liberè vociferari posse intelligo. Et item commune periculum proferetur. In eadem oratione, Hoc cogitetis, nisi in hac causa qui vester animus sit, ostendetis, eò prorumpere hominum cupiditatem, & scelus & audaciã, vt non modò clàm, verùm

etiam hic in foro ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes vestros Iudices, inter ipsa subsellia cædes futuræ sint. Animique ad misericordiam allicientur: & modice, hoc est, iusta moderatione, beneuolentia Iudicum colligetur, in peroratione vehementer imploranda. In eadem oratione, Quapropter vos oro atque obsecro Iudices, vt attentè, bonáque cum venia verba mea audiatis. Fide, sapientiáque vestra fretus plus oneris sustuli, quàm ferre me posse intelligo. adde quæ sequũtur. Narratio autem accusatoris erit quasi membratim gesti negocij suspiciosa explicatio. Nam membra narrationi quàm periodo conuenientiora sunt, quia pauciora breuioráq; facilius animo comprehenduntur, & sæpius ad asperitatem sensum feriunt. Membratim referre possis ad res quæ singulæ ex ordine narrantur. Quum loquor de modo verborum, rem subiectam minimè excludo. Verba sunt conceptionum animi notæ. Suspiciones autem sunt argumenta coniecturalia, quæ interiiciuntur ad suspicionem criminis, qualia sunt infinita propè Ciceronis in Verrem, vt, Iste homo omnium æquissimus, atque à cupiditate remotissimus, se cogniturum esse confirmat. Hinc duæ suspiciones, Sthenium innocẽtem à Verre damnatum iri, quòd Verres iniquissimus esset, & percupidus, quódque ipse contra legem Rupiliam de re vellet cognoscere. Facile est talia reperire. Defensiones obscurantur, quum id quod referre posset aduersarius, animo prouidentes, iactis argumentorum telis obruimus. quod in eadem de Sthenio narratione facit. Narratio defensoris aut præterit suspicionis argumenta, aut si præterire non potest, nec bonum est, veluti tenebris quibusdam obscurat. Cicero qui negare non posset odium Cluentij in matrem, & discessionem ab ea, his nubibus obtexit: Tulit hoc commune dedecus iam familiæ, cognationis, nominis, grauiter filius. Augebatur autem eius molestia cotidianis querimoniis & assiduo fletu sororis. Statuit tamen nihil sibi in tantis iniuriis, ac tanto scelere matris, grauius faciendũ, quàm vt illa matre ne vteretur: ne quam videre sine summo animi dolore non poterat, ea si matre vteretur, nõ solùm videre, sed etiam probare suo iudicio putaretur. Deinde quid euenerit, quid inciderit, hoc est, euentus casusq; narrat ad vtilitatem sui litigatoris. In confirmatione sæpius accusator motus animorum incitat. Hinc amplificationes illæ creberrimæ in Verrem. Reus autem mitigat, vt ipse pro Cælio miris modis obiectum impudicitiæ crimen attenuat, & eius inuidiam tollit. In peroratione vtetur accusator frequentatione argumentorum & coaceruatione vniuersa, hoc est, enumeratione confirmationum, vt Cicero septima in Verrem. Defensor si causam explicarit, hoc est, si copiosè tractauerit, vtetur enumeratione, & miseratione ad extremum. vtrunque facit ipse pro Cluentio.

LATOMVS. Defensionis autem primùm infirmatio causarum.) Horum exempla extant in oratione pro Roscio, & pro Milone, & pro Sylla, in quibus ea obseruare licebit. Consequentia autem diluet.) Consequẽtia, signa dicit de quibus prædictum est. Certa signa sunt propria ac necessaria, quæ infirmantur si ostendantur non semper consequi, hoc est, non esse propria ac necessaria, vt non solùm veneno, sed etiam morbo corpus tumescere: non semper metum esse ex delicti conscientia. Aut aliò vertenda erunt, docendúmq; cuiusuis potius esse quàm criminis propria: vt, sepeliisse ex misericordia, non vt crimen celaret: extimuisse, titubasse, fugisse propter falsam suspicionem, & quod calumniatores sciret paratos sibi esse. Aut si communia sint cum aduersario, hoc est, tam pro illo quàm pro nobis valentia, dicendum erit pro periculo potius quàm contra salutem valere oportere, vt quòd sepelierit, in bonam, non in malam partem interpretandum esse: occurrendum hominum periculis, & subleuandos potius laborantes, quàm affligendos esse.

Obscuratis defensionibus.) Obscuratis, hoc est infirmatis, & in dubium incertúmque reuocatis, sicut suprà demonstratum est de tractanda confirmatione. Motus animorum incitandi.) Accusatori incitandi ad sæuitiam, defensori ad lenitatem reuocandi.

LEODEGARIVS. Infirmatio causarum.) Sic reus infirmabit obiectas sibi causas. Nemo sine causa agit, nulla causa mihi fuit, non egi igitur. quod idem de facultatibus dicendum est: vt si nulla pars facultatum fuerit (vt neq; vires, neque animus, neque opes, neq; tempus, neque locus) ergo nec res facta sit. Consequentia autem diluet.) Quanquam signum timoris sit pallor, non tamen omnis qui pallet, timet: nam à morbo forsan pallidus est. Et qui cruẽtus est, non tamen hominem interfecit, sed gallinaceum pullum: ergo facilis est refutatio signorum, nisi sint necessaria. Testiũque & quæstionum.) Quintilianus lib. 5. cap. 7. optimè exponit quomodo hæc refelli debeant. Harum causarum.) Docet quibus partibus orationis, & quo artificio vtendum sit in statu coniecturali, tum actori, tum reo. Obscuratis defensionibus.) Hoc molitur

actor cùm occupat ea quibus reus sese defensurus est. In peroratione.) Nam in orationis conclusione sic affectibus locus est, vt illic absoluantur, ad relinquendos aculeos in animis iudicum.

COMMENTARIVS. Defensionis autem.) Quinq; capitibus cõplexus est confirmationem accusatoris, causa, facultate, consequentibus, testibus, & quæstionibus. Eorundem capitum sigillatim tradit refutationem. Cæterum (vt antea) causas hic paulò latius accipit, vt etiam vitam complectantur & mores, cùm alij rhetores probabilia diuidant in vitam & causam. Aut non sibi soli) Solutio est loci coniecturalis, qui dicitur collatio, cùm dicimus aut sibi soli fuisse causas, aut maiores quàm aliis, aut commodiorem peragendi rationem. Adde quòd hic locus videtur potius esse facultatis quàm causarum. Attamen ipsa facultas ad causam refertur, vt docuit initio coniectura. Facultatum autem.) Cornificius hunc locum appellat signum, quo complectitur locum, tempus, occasionem, spatium, spem celandi, & spem euitandi. Itaq; Cicero hæc omnia refutat. Arbitrari erat videre olim. arbiter, testis est simpliciter. Consequentia autẽ.) Consequẽtia appellat, cùm dixerit euentus, nimirũ quia sequuntur ex rebus. Sed tamẽ potissimũ intelligit signa quæ vel necessaria sunt, atq; ita litem tollunt, vel non necessaria: quæ tripliciter soluuntur. Nam aut negamus esse certa indicia, vt cruor non est certum signum cædis, cũ fluere possit ex naribus: aut per inuersionem illa refutamus, vt cùm accusator vellet parricidium à Roscio factum probare, afferrẽtq; signum, quia à patre veluti ablegatus esset, retentus in agris & in rustica vita: Cicero contrarium colligit per inuersionem, nimirum hoc signum esse innocentiæ. Ac certè hæc solutio est omnium firmissima. Nonnunquam dicimus signa esse communia, vt si sepelieris in solitudine cadauer, signũ cædis est & misericordiæ, sed hæc solutio minus firma est.

Testiúmque & quæstionum.) Quemadmodum bifariam confirmamus locos inartificiales, locis communibus, & propriis: ita bifariam refutãtur, sed reprehendendi præcepta traduntur in refutatione, hic perstringuntur. Harum causarum.) Præcepta superiora pertinent ad confirmationem & refutationem: nunc attexit reliquas orationis partes, & describit qualis esse debeat accusatoris & defensoris accusatio. Addit pauca de confirmatione, sed illa petinent ad motum, non ad inuentionem argumenti. Denunciabitúrq;.) Accusator in exordio captare debet attentionem, & exacerbare iudices in reum: contrà defensor captare debet beneuolentiam, & iudices sibi placatos reddere captata misericordia. Narratio autem.) Accusator in narrãdo sequi debet ordinem rei, ac veluti per membra omnia & partes rem persequi, admixtis argumẽtorum seminibus & suspicionibus ad probabilitatem & obscuritatem defensionis: quia narratio fundamentum est confirmationis & refutationis. Defensori.) Si suspiciones & coniecturæ obesunt reo, ita narrare debebit vt duntaxat facta explicet, omissis circunstantiis. Anteà tamen in præceptis collocationis præcepta plura tradidit de narratione defensoris. Atq; hæc quidem.) Accusator maximo affectu debet vti in peroratione, adiecta αὐχενφαλαιώσει, qua omnia firmamenta causæ complectitur. Tamen Cicero in præceptis perorationis dixit reo esse rarò vtendum enumeratione, quia ponenda sunt contraria: sed tum est ea vtendum, cum redarguendo perfectè causa erit explicata.

C. F. Scire mihi iam videor quemadmodum coniectura tractanda sit. Nunc de definitione audiamus. C.P. Communia dantur in isto genere accusatori defensoriqúe præcepta. Vter enim definiendo describendóque verbo magis ad sensum iudicis opinionémque penetrarit, & vter ad communem verbi vim, & ad eam præceptionem, quam inchoatam habebunt in animis ij qui audient, magis & propius accesserit, is vincat necesse est. Non enim argumentando hoc genus tractatur, sed tanquam explicando excutiendoque verbo: vt si in reo pecunia absoluto, rursúsque reuocato, præuaricationem accu-

De statu definitiuo in genere iudiciali.

ſator eſſe definiat omnem iudicij corruptelam ab reo: defenſor autem non omnem, ſed tantummodo accuſatoris corruptelam ab reo. Sit ergo hæc cõtentio prima verborũ, in qua etiam ſi propius accedat ad conſuetudinem, mentémque ſermonis, defenſoris definitio, tamen accuſator ſententia legis nititur. Negat enim probari oportere, eos qui leges ſcripſerunt, ratum habere iudicium, ſi totum corruptũ ſit. Si vnus accuſator corruptus ſit, reſcindere nititur æquitate, vt illa quaſi ſcribẽda lex ſic eſſet: quæque tamen complecteretur in iudiciis corruptis, ea verbo vno præuaricationis comprehendiſſe dicitur. Defenſor autem teſtatur conſuetudinem ſermonis: verbíque vim ex contrario reperiet, quaſi ex vero accuſatore, cui contrarium eſt nomen præuaricationis: ex conſequentibus, quòd ea litera de accuſatore ſoleat dari iudici: ex nomine ipſo, quod ſignificat eum qui in contrariis cauſis quaſi variè poſitus eſſe videatur. Sed huic tamen ipſi confugiendum eſt ad æquitatis locos, ad rerum iudicatarum authoritatem, ad finem aliquem periculi: communéque ſit hoc præceptum, vt cum vterque definierit quàm maximè potuerit ad communem ſenſum, vimque verbi: tum ſimilibus, exemplíſque eorum qui ita locuti ſunt, ſuam definitionem ſententiámque confirmet. Atque accuſatori in hoc genere cauſarum locus ille communis, minime eſſe concedendum, vt is qui de re confiteatur, verbi ſe interpretatione defendat. Defenſor autem ea quam propoſui æquitate nitatur, & ea quum ſecum faciat, non re, ſed depraua tione verbi ſe vrgeri queratur. Quo in genere percenſere poterit pleroſque inueniendi locos. Nam & ſimilibus vtitur, & contrariis, & conſequentibus, quanquã vterque, tamen reus, niſi planè erit abſurda cauſa, frequentius. Amplificandi autem cauſa, quæ aut cum digredientur à cauſa, dici ſolent, aut cum perorabunt, hæc vel ad odium, vel ad miſericordiam, vel ad omnino animos iudicum mouendos, ex his quę ſunt antè poſita ſumentur, ſi modò rerum magnitudo, hominúmve aut inuidia aut dignitas poſtulabit.

Quid in definitione ſequatur defenſor.

Loci cauſæ definitiuæ.

STREBAEVS. In definitione communia dantur accuſatori defenſoríque præcepta, ſi non omnia (nam & ipſe ſeiungit) tamen ipſa permulta. Vterque definit, vterque definitionem

suã confirmat, & alterius infirmat. vterque nititur æquitate, vterque tractat similia, contraria, consequentia. Vter autem definiendo verbo breuiter & circunscriptè, aut describendo fusè, latêque, magis ad sensum iudicis, hoc est, ad opinionem mentémque penetrarit, & vter ad communem verbi vim, quà ferè vtuntur omnes, & ad præceptionem, hoc est, conceptam intelligendi rationem, quam inchoatam habebunt in animis ij qui audient, magis & propius accesserit, is vincat necesse est. Nam summa disputationis huius in definitione, eiúsque explicatione posita est. Non enim argumentando, crebrísque enthymematis & epicherematis hoc genus tractatur, vt coniectura, & qualitas, quanquam etiam recipit argumenta: sed tanquam explicando excutiendóque verbo, eiúsque vim apertè monstrando, quod est argumentationum loco. Id quale sit, demonstrat exemplo. Qui reus esset ambitus, pecuniáque iudicium corrupisset, absolutus est. Accusator ægrè ferens sibi caussam eripi, defert iterum nomen eius de præuaricatione, corruptóque iudicio. Reus negat esse præuaricationem, quam dicit accusator, si iudices à se de re iudicanda ceperint pecuniam: eáque lege negat se teneri. Quæritur quid sit præuaricatio. definit accusator, Præuaricatio est omnis iudicij corruptela ab reo. quomodocunque reus iudicium damnationémque vitarit, siue accusatore corrupto, siue iudicibus, contendit accusator esse præuaricationẽ. Defensor autem definit hoc modo, Præuaricatio est accusatoris corruptela ab reo. Accusatorem autem, quòd ipse fateatur, negat esse corruptum. Hæc prima de verbo cõtentio, in qua propius accedit ad consuetudinem, mentémque sermonis, hoc est, ad communem loquendi consuetudinem, defensoris illa definitio. Nam præuaricatores proprie nominantur accusatores subornati, qui prodita sua causa aduersam iuuant partem, & relicta vera criminum probatione, cum reo colludunt. Quid hic accusator? Quia stare verbo non potest, sententia legis nititur: voluisse legislatorem, si vnus accusator corruptus esset, iudicium rescindi: multo magis irritum fieri, si totum corruptum fuisset. Deinde nititur æquitate, Æquum esse legem sic interpretari, quæ de accusatore quidem præuaricante scripta esset, sed comprehenderet verbo vno præuaricationis, quæcunque complecteretur in iudiciis corruptis, hoc est, omnem iudicij corruptelam ab reo. Defensor, quoniã agitur de scripto & voluntate, & magis scripto iuuatur quàm sententia, testatur loquendi consuetudinem: sic omnes loqui solere, vt præuaricationem vsurpent accusatoris corruptelam ab reo. Deinde vtitur argumento à contrario, ad inueniendam verbi significationem, hoc modo: Si quo in iudicio verus est accusator, qui ab officij præscripto neque aberrat, neque variè fluctuat, etiam si pecunia inter iudices versata est, nunquam tamen præuaricatio nominatur: contrà in quo variat accusator, verámque prætermittit accusationem, in eo dicitur præuaricatio: dubitare possumus ad quem hoc nomen pertineat? Si volet, ducet argumentum ex consequentibus, hoc modo: Si præuaricatio est omnis iudicij corruptela ab reo, tabella quidem de omnibus corruptoribus datur iudici. Non de omnibus autem, verùm de accusatore litera dari solet: præuaricatio igitur vnius est accusatoris. Consequẽtia sunt, in iudicio præuaricationis literam de vno accusatore dari, & vnum accusatorem præuaricari. Notum est tabellas, in iisque literas aut absolutionis, vt A: aut damnationis, vt C: aut ampliationis, vt N. L. solitas dari iudicibus: quarum missione in vrnam, sententiæ colligebantur. Aut non significat eiusmodi literam, sed eam quæ calumniatoribus affigebatur? Illam dicit accusatoribus inimicam, in oratione pro Sexto Roscio, Si ego hos bene noui, literam illã, cui vos vsque eò inimici estis, vt etiam eas omnes oderitis, ita vehemẽter ad caput affigent, vt postea neminem aliũ, nisi fortunas vestras, accusare possitis. Hæc imprimebatur fronti ignominiæ signum. Ad hæc vtetur argumento ex notatione, & vi nominis, hoc modo: Quis est præuaricator, nisi qui in contrariis caussis quasi variè positus est? quod accusatoris vnius esse quis non intelligit, quum secundum alteram partem pronunciet iudex, solus accusator diuariare possit? Iam posita sunt defensori quatuor argumentandi genera, ex consuetudine, ex contrariis, ex consequentibus, ex notatione. Quintum genus est ex æquitate. Sextum ex authoritate rerum iudicatarum, & ex fine aliquo periculi, id est, ex eo periculo quod impendet à præuaricatione. Septimum commune est à similibus & exemplis. Dicet enim æquum esse, grauius in accusatorem animaduerti, qui caussam receperit, fidem dederit, Iudices eluserit, omnia subuerterit: quo stante, & officium fidémque præstante, iudex errare non possit. Si quos nouerit damnatos, pronunciabit: ad quem finem tendat præuaricandi periculum, oratione mõstrabit. Vtetur & similibus, & exẽplis: quod in oratione pro Cæcinna frequens est, in qua agitur de scripto & sentẽtia

ad explicandam sponsionem: vt, Si quis me exire domo coegisset armis, haberem actionem: si quis introire prohibuisset, non haberem? Quoniam autē accusator in hac controuersia, se sententia legis nititur, hoc dicet minimè esse concedendum, vt is qui de re confiteatur, & consentiat omnem iudicij corruptelam esse legibus persequendam, verbi se interpretatione defendat: quod ipse vehemēter agitat in oratione pro Cecinna: Ridiculum videri, vnius literæ momento peruerti iudicium. Non deieci, sed eieci. Hic defensor etiam æquitate nititur, tanquam æquitate repellat iniqui tatem. Mecum, inquit, facit æquitas, mēque iuuat: tu verò æquitate posthabita, vnius verbi depraua tione atque contorta interpretatione iudicium inuertere contendis. Quo in genere.) Si defensor in hoc genere percensere, id est, ordine recognoscere poterit plerosque inueniendi locos, cur antea dicebat nō argumētando hoc tractari genus? Deinde quid repetit eos locos, qui paulò antè assignati fuerunt? Dicendū puto, definiendi genus explicādo magis quàm argumentando conficiri: argumenta recipere tamen ad confirmandam definitionem, à similibus, à contrariis, à consequentibus, quæ quidem repetuntur ab eo, quoniam hæc, quibus etiam accusator vti possit, vni defensori attribuere videbatur. Aut certè repetitio fit vt aliud dicatur, vtrumque iis locis vti posse, sed reū frequentius. His autem non ita frequenter vtetur accusator, non ipso genere materiæ, sed quia contentus est exposuisse definitionem, certasse lege, sententiis quibusdam vulnerasse. Defensor anxiè causam versat, omnia rimatur, nihil omittit eorū quæ iuuare possunt. Itaq; his vtetur frequētius, nisi plane erit absurda causa, vt quæ mala sine argumētorum præsidio sine firma defensione periclitatur. Cum laborat causa defensoris, facile est accusatorē aut totidē aut plura argumēta reperire. Amplificatio ab vtroque tractari potest, nunc in digressione post grauiores locos, nunc in peroratione. Quibus rebus & verbis fiat amplificatio, quóque statui loco debeat, suprà diligenter ostendit. Sed quum amplificatio grauis sit ac vehemens, tum demum conueniet, si rerum magnitudo, aut personarum ratio postulabit. Furiosum profectò videtur paruis in rebus tragœdias excitare. Cicero secundo de Oratore, Equidem primum considerare soleo, postulētne causa. nam neque paruis in rebus adhibendæ sunt hæ dicendi faces, neque ita animatis hominibus, vt nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere possimus: ne aut irrisione, aut odio digni putemur, si aut tragœdias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea quæ non possint commoueri. Pro Cecinna de verbo contentio est, amplificationes non insigniter graues, sed quales postulat agri vindicatio.

LATOMVS. Vter enim definiendo describendóque.) Vt maiestas populi sitne in potestate imperij eius, an in dignitate. Sacrilegium sitne cuiusuis rei surreptio de loco sacro, an sacræ diuitiæ. Non enim argumētando hoc genus tractatur.) Propriè definitio adhibetur ad explicandum quid sit id, de quo quæritur, sed ea argumentis confirmatur, quemadmodum suprà demonstratum est in præceptis confirmationis. Vt si in reo pecunia absoluto, rursusq; reuocato.) Lex est, reus præuaricatione absolutus reuocetur. Quidam iudices corrupit, & reuocatur. Negat se lege teneri, quia non sit præuaricatione absolutus. Quæritur quid sit præuaricatio. Definit accusator præuaricationem esse, omnem iudicij corruptelam ab reo. Contrà defensor, non omnem, sed tantummodo accusatoris corruptelam ab reo. Quæ definitiones inter se confligunt. Accusator nititur sententia legis & æquitate, ex minori, Si propter vnum accusatorem corruptum, iudicium rescindatur, multo magis si totum corruptum sit, rescindendum esse. Contendítque legem commodè sic scriptam esse, quoniam vno præuaricationis verbo comprehendat ea quæ si aliis scripta esset verbis, de iudiciis corruptis complectereturr. Contrà defensor testatur consuetudinem sermonis, in verbo præuaricationis, in quo non totum iudicium, sed accusator vnus corruptus intelligatur. probat à cōtrario, quoniam verus accusator præuaricatori opponatur. Nam si accusator, qui corruptus non est, verus accusator appellatur, econtrario præuaricator non nisi corruptus accusator intelligetur. Item ex consequentibus, quòd in præuaricationis iudicio litera ad condemnandum, absoluendum, ampliandúmve reum dari soleat iudici, non de iudicio corrupto, sed de accusatore iudicando. Item ex nomine ipso præuaricationis, quo significetur is qui in contrariis causis quasi variè positus esse videatur. Ad æquitatis autem locos confugiet, non æquum esse, cùm de præuaricatore lex loquatur, id ad iudices transferri: proferétque exempla rerum iudicatarum, in similibus causis idem iudicatum fuisse: nec solum iniquum, sed etiam periculosum fore demonstrabit, si aduersarij sententia recipiatur. qui loci omnes & in veteri Rhetorica, & apud authorem ad Herennium explicātur. Exēpla eorū quæ sequūtur ipse omnia fere in orat. pro Cecinna obseruabit.

HECENDORPHINVS. Prauaricator.) Est quasi varicator, qui aduersam partem prodita sua causa adiuuat. quod nomen Labeo à varia certatione tractum ait. Nam qui prauaricatur, ex vtraq; parte consistit. L.1.ff.de prauaric. Prauaricari est vera crimina abscondere. l.1.ff.ad senatusconf. Turpilianum. Ratum habere iudicium, &c.) Hoc est, negat legem de prauaricatoribus velle, vt cùm propter vnum accusatorem corruptum, iudicium rescindendum sit, si totum iudicium corruptum sit, ratum habendum esse.

LEODEGARIVS. Vter enim definiendo.) Quando controuersia est quo nomine res appelletur, vtendum est definitione. Itaq; & actor & reus definiunt: vter autem amborum propius ad veritatem, aut voluntatem iudicis accedet definiendo, vincit litem. In reo pecunia absoluto.) Sic Cælius accusauit Seruium Polam de ambitu: & absolutum, rursus in ius vocauit: vt Cicero ait in exordio pro M. Cælio. Et tamen Vlpianus putat absolutum non posse de eodem crimine rursus in ius vocari, nisi persequatur suam iniuriam. l. si cui crimen. §. iisdem. ff. de accusationibus. Quomodo autem differant prauaricari, calumniari, tergiuersari, tradit Valla libro sexto, cap. 50. Ad finem aliquem periculi.) Contendet defensor neminem extra periculum fore qui verbi calumnia vrgeatur. Plerosque inueniendi locos.) Hoc ait, quoniam licet loci omnes sint omnium causarum, tamen alij alius magis quadrant: vt ait in suis Topicis Cicero.

COMMENTARIVS. Communia dantur.) In hoc statu penè communia sunt vtrinq; præcepta. Nam vterq; definit, definitionem confirmat, & præsenti negotio applicat, aduersariq; definitionem labefactat. Ita tractandus est status definitiuus in vniuersum. Et ad eam præceptionem.) Quantum ego coniicio, hic non præceptionem, sed perceptionem legendum est, vt significetur καταλήψις, quæ est percepta animo rei comprehensio. Nam dictionem Græcã Cicero interpretatur perceptionẽ & comprehensionem. Sensus est huiusmodi, Vocabula statim nobis repræsentant notionem, ad quã qui definiendo accesserit, nobis certè persuadebit. Nõ enim.) Hic quidem locus intelligendus est quantum ad definiendi rationem attinet. Nam quod attinet ad definitionis confirmationem, tum certè est argumentandum, vt patebit ex sequentibus. Vt si in reo.) Explicat statum definitiuum subiecta hypothesi. Apparet autem ex libro Pandectarum legem fuisse vt reus prauaricatione absolutus repetereturquidam corruptis iudicibus est absolutus: iterum accusatur vt absolutus prauaricatione. quæritur quid sit prauaricatio. Sed tantummodo accusatoris, &c.) Defensoris definitionem sequitur, quicum diuersa parte sentit prodita causa sua. Possumus etiam hoc loco tueri præceptione, vt significet anticipationem, quæ dicitur prolepsis, id est notio. Negat enim.) Hermogenes locos definitionis dixit, προόριστν quæ omissa est à Cicerone: finitionẽ, quæ accusatoris est: contrariã definitionem, quæ rei & legislatoris: sententiam, de quo loco nunc Cicero loquitur. Argumentum autem per comparationem à minori.

AEquitate.) AEquitas petitur à loco superiori, quod si tecum. sin de accusatore, etiam de iudicibus poterit intelligi. Subnectitur interpretatio cõueniens huic æquitati, quòd lex nomine prauaricationis omnem iudicij corruptelam complectatur. Defensor autem.) Argumentabitur defensor à contrario. Nam bono accusatori contrarium dicimus prauaricatorem. est igitur prauaricatio de accusatoribus accipienda, non de iudicibus. Consequentibus.) Dabantur in iudiciis accusatoribus tres tabellæ, quã coniiciebant in cistellã. Cùm absoluerent, littera α: vel condemnarent, littera β: vel ampliarent, literis ν, λ. In tabella igitur quæ iudicibus dabatur in iudicium prauaricationis, scribebatur nomen accusatoris. Igitur prauaricatio non ad iudicem, sed ad accusatorem. Ex nomine.) Sic Labeo prauaricatorem dictum ait, quasi varicatorem, à varia nimium concertatione, quia sentit cum vtraque parte, imò cum diuersa. Periculi.) Alioqui semper homines periclitari viderentur, si semper reuocari poterunt. atque ita locus erit communis.

Atque accusatori.) Positis locis confirmationis, apponit locos communes, qui re comprobata ad confirmationem demum adiiciuntur. sed hi duo loci ducuntur demum à proprietate causæ finitiuæ. Alij etiam tractãtur loci in definitione, qui sunt extra causam, vt cũ agimus de calumnia, de odio, de misericordia. author Cicero in libro de Inuentione secundo. Hic locus ab Hermogene qualitas est communis. Nam & similibus.) Hos locos antea posuit non tanquam præcipiens, sed particulari exemplo accõmodans: Nunc generaliter præcipit, eósque vtiliores dicit reo quàm accusatori, nimirum quia reus magis anxiè agit quàm accusator, & omnibus modis definitionis vtitur, cùm ipsius accusatoris oratio sit simplicior, ne hac in re sæpenumero sola vtatur æquitate,

vt in exemplo superiori. Vel ad omnino, &c.) Locos posuit inuenendi argumenti: nunc agit de modo qui est adhibendus, modò causa patiatur & persona. Est autem complexus his præceptis tres partes, confirmationem, refutationem, & perorationem. Reliquas omisit, quia satis intelliguntur ex superioribus præceptis, & in his tribus est tota vis.

C. F. Habeo ista. nunc ea, quæ cum quale sit quippiam disceptatur, quæri ex vtraque parte deceat, velim audire. C. P. Confiteantur in isto genere qui arguuntur, se id fecisse ipsum, in quo reprehenduntur: sed quoniam iure se fecisse dicunt, iuris est omnis ratio nobis explicanda. Quod diuiditur in duas partes primas, naturam, atque legem: & vtriusque generis vis in diuinum & humanum ius est distributa: quorum æquitatis est vnum, alterum religionis. AEquitatis autem vis est duplex: cuius altera, directi, & veri, & iusti, &, vt dicitur, æqui & boni ratione defenditur: altera ad vicissitudinem referendę gratię pertinet: quod in beneficio gratia, in iniuria vltio nominatur. Atque hæc communia sunt naturæ atque legis: sed propria legis & ea quę scripta sunt, & ea quæ sine literis aut gentium iure, aut maiorum more retinentur. Scriptorum autem priuatum aliud est, publicum aliud. Publicum, lex, senatusconsultum, fœdus: priuatum, tabulæ, pactum, conuentum, stipulatio. Quæ autem scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conuentis hominum, & quasi consensu obtinentur. Atque etiam hoc in primis, vt nostros mores legésque tueamur, quodammodo naturali iure præscriptum est. Et quoniam breuiter aperti fontes sunt quasi quidam æquitatis, meditata nobis ad hoc causarum genus esse debebunt ea quæ dicenda erunt in orationibus, de natura, de legibus, de more maiorum, de propulsanda iniuria, de vlciscenda, de omni parte iuris. Si imprudenter, aut necessitate, aut casu quippiam fecerit, quod non concederetur iis qui sua sponte & voluntate fecissent: ad eius facti deprecationem ignoscendi petenda venia est, quæ sumetur ex plerisque locis æquitatis.

Diuisio iuris.

AEquitatis diuisio.

Partes qualitatis.

STREBAEVS. Qualitatis est extremus status, cuius partes antè distributæ sunt: nunc explicandum, quibúsnam locis continetur, & vnde petantur argumenta, si de re, qualis sit, oratio nascetur. Assignat igitur fontem iuris, vnde status iuridicialis appellatur, ex quo argumentationem vis omnis hauritur. Ius autem partitur, vt vnde commodum sit, ducamus argumentum, aut à toto genere, aut à partibus. Vtrum faciendum erit, cum causa deliberandum. id certè

non artis institutio, sed prudentia monstrabit. Ius à Celso definitur, teste Vlpiano, ars boni & æqui, id est, recta ratio persequendi boni, fugiendi mali. Ius diuiditur in duas partes primas & summas, naturam, atque legem. Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. hinc matrimonium, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Cicero de Inuentione sic definit, Naturæ ius est, quod nobis non opinio, sed quædam innata vis affert. Hoc ius semper est æquum & bonum, nec à recto deuiare potest: omníque bono viro insitum quodammodo prælucet ad cognoscendam veritatem. Lex interdum pro summa æquitate, veróque iure ponitur, vt de Legibus primo, Lex, inquit, est recta ratio imperandi, atque prohibendi: quam qui ignorat, is est iniustus, siue est illa scripta vspiam, siue nusquam. Et paulò pòst, Lex ratio est recta summi Iouis. Hic aliter sumitur pro ea quæ scripta est, aut quæ iure gentium, aut multorum more firmata. Hæc à Papiniano sic definitur, Lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum quæ sponte vel ignorantia cõtrahuntur correctio, communis Reipub. sponsio. Hæc lex si bona est, à natura non deuiat: ab ea tamen differt, quia lex est communium, natura etiam singulorum. Naturale ius, aliud diuinum, quod est religionis: aliud humanũ, quod est æquitatis. Sic ab eo docendi gratia nomina distinguuntur. Diuisionis huius explicationem nonnihil forte iuuet id quod Cicero scribit de Legibus: Est igitur, inquit, quoniam nihil est ratione melius, eáque & in homine, & in deo, prima homini cum deo rationis societas: inter quos autẽ ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est: quæ cum sit lex, lege quoque conciliati homines cum diis putandi sumus. Inter quos porrò est communio legis, inter eos communio iuris est. Hæc ille. Ex hac communione iuris facile est colligere, naturæ ius non minus ad deum quàm ad hominem referri: quæ quidem deo posterior, in traditione disciplinarum prior est, quoniam ea duce ad cognitionem deorum hominúmque peruenimus. Ea si fons est & origo iuris humani, quia seminarium dedit, erit etiam diuini prudens & sapiens magistra. Hoc iure naturali (hoc scribit ipse secundo de Legibus) dominos esse omnium rerum ac moderatores deos persuasum est ciuibus. Ea quæ geruntur, eorum geri ditione ac numine. Eos optimè de genere hominum mereri: qualis quisque sit, intueri. Hinc iusiurandum, hinc fugam mali manare, hinc vim omnem religionum, diuinæq; legis. Idem in eodem libro, Lex est iustorum iniustorumq; distinctio, ad illam antiquissimã, & rerũ omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, & defendunt, & tuentur bonos. Quam vocat hic legem, ad deum & hominem pertinet, tamen refertur ad naturam. Ergo natura, id est, recta ratio iuris, est & diuina, & humana, nec vspiã scripta, sed animis nostris insita. Lex alia diuina, de cultu & cæremonia deorum, qualis est in iure Pontificio multa. Alia humana, de communione & hominum societate, qualis est in iure ciuili. A Equitas est duplex. Altera directi, & veri, & iusti, & æqui & boni ratione defenditur: id est, altera est simpliciter illa ipsa vera iustitia. Hæc idem significant, ius, directum, verũ, iustum, æquum & bonũ: nempe rectam rationem imperandi atque prohibendi. Altera est æquitas, recta quidem, sed nõ item simplex: quippe quæ referatur ad aliud, vt ad vicissitudinẽ referendæ gratiæ, hoc est, velut ad talionem quandam, sine qua nõ esset æquitas. Parere patri bene monenti, æquum simpliciter: Inuriam vlcisci, æquum videtur comparata alterius iniquitate. Hæc posterior æquitas duplex. Altera, gratia est in referendo beneficio: Altera, vltio, quæ versatur in vlciscenda iniuria. Hanc libro de Inuentione appellat vindicationem: per quam, cõtumeliam, defendendo aut vlciscendo, propulsamus à nobis, & à nostris, qui chari nobis esse debent, & per quam peccata punimus. Eam naturæ facit partem, quia à natura est æquitas, ex æquitate manat vltio. Communia sunt quædam naturæ atque legis. vtraque diuina est & humana, vtraque spectat æquitatem, vtraque ad vicissitudinem referendæ gratiæ pertinet. Legis autẽ propria sunt scriptæ. neque enim ius naturale scribi potest, sed si quid est cõmune, quod ab illo fonte deriuatur, id scriptum, nomine legis appellatur. Lex præterea ius gentium non scriptum comprehendit, & consuetudinem, quia vtrumque pro lege seruatur, ac legis est scriptæ quiddam simillimum. Ius gẽtium definit Vlpianus, quo gentes humanæ vtuntur. Differt à naturali, quòd hoc omnibus animalibus, illud solis hominibus inter se commune sit. Ex illo bella, discretæ gentes, regna condita, distinctæ possessiones, agris termini positi, ædificia collocata, cõmercium, venditiones, emptiones, locationes, conductiones, obligationes institutæ. magna pars horum est ἄγραφος, neq; literis continetur. Ius consuetudinis hoc modo à Cicerone definitur, quod voluntate omnium sine lege

vetustas comprobauit, quo quidem iure plurimùm vtuntur omnes. Ius legale scriptum, aliud est priuatum, aliud publicum. Publicum est quod ad statum Reipub. pertinet, vt lex ea qua tenentur omnes, vt senatusconsultum de statu ciuitatis, fœdus, societas cum externo populo. Etenim neque lex omnis publica est, neque omne sanatusconsultum publicum: sed publicum ius, in sacris, in sacerdotibus, magistratibus & communione ciuium. Priuatum ius, quod ad singulorum vtilitatem pertinet: vt tabulæ, id est, omnes literæ, quibus inest testimonium iuris nostri: vt pactum, quod inter aliquos conuenit: vt conuentum, quod quid à pacto differat, ex Vlpiano colligi potest secundo Pandectarum. Est, inquit, pactio duorum pluriúmve in idem placitum & consensus. Conuentionis verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negocij contrahendi transigendique causa consentiunt qui inter se agunt. Hæc ille. Pactum & conuentum sæpe confunduntur. Stipulatio, genus est obligationis ex interrogatione & responsione contrahentium firmatum. de ea suprà diximus. Ius legale non scriptum, duplex. Alterum consuetudine aut gentium, aut populorum, aut singularum ciuitatum obtinetur. Alterum conuentis hominum, & quasi consensu valet. Ne mireris autem conuenta & ad scriptum genus, & ad non scriptum referri: quũ sint alia conuenta scripta, alia nusquam scripta, sicut & consuetudines aliæ scriptæ sunt, aliæ veluti per manus posteritati traduntur. Ex his omnibus eruuntur argumẽta. Deinde locus est cõmunis, à natura præscriptum, vt nostros mores, legésque tueamur: quo genere disputandi vehementer est vsus in oratione pro Cluentio. Indignus, inquit, in ea ciuitate quæ legibus teneatur, discedi à legibus. Hoc enim vinculum est huius dignitatis, qua fruimur in Repub. hoc fundamentum libertatis: hic fons æquitatis, mens & animus & cõsilium & sententia ciuitatis posita est in legibus, vt corpora nostra sine mẽte, sic ciuitas sine lege suis partibus & neruis, ac sanguine & mẽbris vti non potest. legum ministri, magistratus: legũ interpretes, Iudices: legum denique idcirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus. Hæc qui perpenderit, intelliget qua oratione nostros mores legésque defendere debeamus. Et quoniam.) *Aperti sunt fontes æquitatis, vnde liceat haurire probationem, si modò exercitatio & facultas antecesserit. Nihil enim ferè loci conferunt imperitis, & inexercitatis: nec aurum terræ venis includi profuerit, nisi collegerit fodientis industria. Ergo exercitatione est opus, vt discamus à philosophia quæ sit naturæ vis & ratio, quódnam sit consilium legum. Hoc autem suppeditabunt libri Platonis, necnon Politica Aristotelis. Dicendum de more maiorum ex libris de Repub. atque historiis. Dicenduum de propulsanda iniuria, de vlciscenda, de omni parte iuris, & id quidem ex iure ciuili. Itaque sentẽtia Ciceronis est, neminem optimè posse tractare qualitatem, qui nesciat philosophiam eam quæ est de officiis, de legibus, de Repub. de iure ciuili. Nec satis est ista nouisse, nisi meditando & exercendo produxeris in contentionem. Pars est iuridicialis status, in qua factum per se improbabile, assumptis extrinsecus auxiliis tuemur. Assumimus aut imprudentiã, quæ ignoratione lapsa est: aut necessitatem, quæ vim attulit: aut casum, qui sine hominum consilio accidit: factúmque deprecamur, & amolimur locis æquitatis, quæ pensitatis omnibus suum cuique reddit iustitiæ põdus. Hæc exposuimus loco superiore, vbi qualitatem partiebatur.*

LATOMVS. *Quod diuiditur in duas partes primas.*) *Ius omne tum in natura, tum in lege positum est. Natura intelligitur vis mentis nostræ, quæ quicquid pium, æquúmque est, vltro approbamus. Lex, omnis obseruatio quæ aut scripto comprehẽsa est, aut sine scripto vel ex iure gentium, vel ex more maiorum obseruatur. Vtrunque & ad deos, & ad homines pertinet: itaque ius duplex est, diuinum & humanum. Diuinum religionis est, humanum æquitatis. Æquitas tum per se spectatur, in eo quod rectum, verum, iustum, æquum, bonúmq; est: tum ad alterum refertur, in vicissitudine gratiæ bonæ vel malæ referendæ. Bona gratia in beneficio est: mala, in iniuria referenda, & vltio nominatur.*

HEGENDORPH. *Pactum.*) *A pactione dicitur, inde etiam pactum nomen appellatum est. & est pactio duorum pluriúmve in idem placitum & consensus. Porrò conuentionis nomen generale est, adeò vt eleganter Pedius dicat, nullum esse contractũ, nullam obligationem, quæ non habeat in se conuentionem. l. 1. ff. de pactis. Ex ambiguo scripto conuentio est, cùm vna sententia, vna lex, vel aliud quoddam scriptum multifariam exponitur. Ex ambiguis scriptis contentio est, quando videtur scriptoris voluntas à scriptis dissentire.*

LEODEGARIVS. *Confiteantur.*) *Reponendum, confitentur. Naturam at-*

que legem.) Ius diuidit Cicero in naturam & legem, hoc est in ius naturale, quod ingenitum est nobis à natura, & ius ciuile, quod scripto sancit quod vult. Est autem duplex ius naturæ, quoddam diffusum & latè patens, quod est nobis commune cum brutis: vt cõgressionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum quæ procreata sunt: & illud dicitur ius naturæ primariũ. Aliud est ius naturæ secundarium, restrictius, quod ad solos homines pertingit, quod ius gẽtium primarium, vel antiquum appellamus: hoc non impetu naturæ, sed rationis iudicio excitatur: simúlque cum hominibus ante conditas vrbes, antè officiorum commutationem extitit, vt ergà deum religio, vt parẽtibus & patriæ pareamus, vt vim atque iniuriam propulsemus. l. veluti, & l. vt vim. ff. de iustitia & iure. id dicitur naturale, quia sola naturali lege, rationéque constat: idem dicitur ius gentium, quia solæ gentes eo vtuntur. Aliud est ius gentium secundarium, quod non ab initio, lege naturali, ac vltrò iudicante ratione, ita fuit, sed vsu exigente, & humani conuictus necessitate, discursu quodam practico rationis introductum est. hinc bella orta sunt, & captiuitates sequutæ, & seruitutes, vide tit. 2. lib. 1. instit. ciuil. Iust. Et ea quæ scripta sunt, & ea quæ sine literis,) Ius ciuile aut est extra scriptum, vt diuturna consuetudo: aut scripto continetur, vt lex, plebiscitum, senatusconsultum, principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentium. §. constat, tit. de iur. nat. gent. & ciuil. lib. 1. inst. Priuatum aliud est, publicũ aliud.) Vide. l. 1. §. Huius studij. ff. de iust. & iur. Et tit. 1. §. vlt. lib. 1. instit. Iust. Nostros mores, legésque tueamur.) Frustra sunt nomothetæ, nisi sint nomophylaces: frustráque leges feruntur, nisi seuerè puniantur contemptores legum: vt etiam vult Iustinianus §. vlt. tit. de his qui sunt sui vel alieni iuris. lib. 1. inst. ciuil. Natura.) Cicero in Oratore perfecto ad Brutum sic inquit, Quem etiam, quò grandior sit & quodammodo excelsior (vt de Pericle dixi suprà) ne Physicorum quidem esse ignarum volo. Omnia profectò cum se à cælestibus rebus referet ad humanas, excelsius magnificentiúsque & dicet, & sentiet. De legibus.) Idem ibidem, Cúmque illa diuina cognouerit, nolo ignoret ne hæc quidem humana. Ius ciuile teneat, quo egent causæ forenses quotidie. Quid est enim turpius quàm legitimarum & ciuilium controuersiarum patrocinia suscipere, cum sis legum, & ciuilis iuris ignarus? Vide eadem libro primo de Orat. ad. Q. Fratrem.

Si imprudenter.) Imprudentiam quam etiam incogitantiam dicimus, excusant etiam iurisconsulti. Nam vt ait Paulus. l. Fere. ff. de reg. iur. Ferè in omnibus pœnalibus iudiciis & ætati & imprudentiæ succurritur.

COMMENTARIVS. *Confitentur.) Quando nõ est simplex qualitas, sed quædam adsoluta, quædam assumptiua: priore loco agit de absoluta, in qua dicimus simpliciter rem esse iustam. Attamen hæc præcepta conuenire possunt quibusdam partibus qualitatis assumptiuæ, vt comparationi, relationi, & remotioni. Quod diuiditur in duas partes.) Ius naturale appellat non solùm quod est commune nobis cum brutis, sed etiam quod naturali quadam ratione receptum est inter omnes nationes. Et vtriusque generis vis.) Illud & diuinum est & humanum. Nam naturali ratione colendum Deum scimus, quod est iuris diuini: & præstandam parẽtibus pietatem, quod est iuris humani. Sed & leges debemus obseruare de religione, & iustitia inter homines omnes obseruanda. Hoc igitur & ad legem & ad naturam pertinet. Alterum religionis.) A Equitas quæ spectatur in iure humano, aut per se consideratur, aut simpliciter. Itaque aliquid solemus dicere suapte natura iustum esse, quod spectatur aut ex relatione, vel quod per se iustum non est, etsi aliqua de causa videatur æquum. Et hominem vlcisci per se non est iustum: iustum est vlcisci à quo iniuriam acceperis. Aut gẽtium iure.) Complectebatur antea sub lege naturæ pleraq; quæ proficiscuntur à iure gentium, quia continentur naturali omnium ratione. Idcirco attribuebantur iuri naturali. Iam sunt etiam in iure gentium, quæ quanquam ab illa naturali ratione & communi non sunt profecta, tamen hominum institutione quadã & vsu paulatim sunt propagata in multas ciuitates: cuiuscemodi sunt iura venditionis & emptionis, & iura seruitutis & manumissionis. Lex.) Legem antea vsurpabat generaliter, nunc specialiter, vt sit id quod populus senatorio magistratu interrogante aut consule sciscit. Nisi fortè etiam plebiscitum complecti oporteat. Atq; etiam hoc.) Homo natura politicum est animal. Itaq; quanquã in ciuitate pleræq; sunt leges perfectæ à lege naturæ, tamen naturali iure sunt nobis obseruandæ, quia natura sumus ciuiles. Inde fieri poterit locus cõmunis de conseruãdis legibus. Et quoniam breuiter.) Monet non satis esse tenere præcepta, nisi materiam nobis comparauerimus ex.*

philosophia,& exercitatione effecerimus vt omnia quæ his de rebus dici possint,in promptu habeamus. Si imprudenter.) Nunc agit de qualitate assumptiua, potissimum tamen de concessione,cuius pars est altera purgatio,quæ diuiditur in imprudentiam,& casum. Altera autè pars est deprecatio,de qua antea dixit.Cætera assumptiuæ qualitatis membra tractata sunt cum qualitate absoluta.

Expositum est, vt potui breuissimè, de omni controuersiarum genere,nisi præterea tu quid requiris. C. F. Illud equidem, quod iam vnum restare video, quale sit cum disceptatio versatur in scriptis. C. P. Rectè intelligis.eo enim exposito, munus promissi omne confecero.Sunt igitur ambigui duobus aduersariis præcepta communia.Vterque enim hanc significationem qua vtetur,ipse dignam scriptoris prudentia esse defendet. Vterque id quod aduersarius ex ambiguè scripto intelligendum esse dicet,aut absurdum,aut inutile, aut iniquum, aut turpe esse defendet, aut etiam discrepare cum cæteris scriptis, vel aliorum, vel maximè, si poterit, eiusdem: quámque defendet ipse,eam rem & sententiam quemuis prudentem & iustum hominem, si integrum daretur, scripturum fuisse, sed planius, eámque sententiam quam significari posse dicet, nihil habere aut captionis, aut vitij: contrariam autem si probarit, fore vt multa vitia,stulta,iniqua,contraria consequantur.

STREBAEVS. Legales status rationalibus quidem continentur: separantur tamen in traditione præceptorũ,vt sit procliuior ac mollior omnis via docendi. Quatuor ferè numerari solent,vnus ex ambiguo,alter ex scripto & voluntate,alius ex contrariis legibus, quartus è syllogismo.Paulò antè treis modò faciebat,præteriẽs syllogismum:quod hic etiam facit,quia syllogismus est ambiguitatis:vt,Sitne amatorium venenum.Sitne idem occidere ferro,quod lapide.Secundo de Oratore vnum facit omnino ambiguum.nec enim est vna ratio docendi, nec teritur semper eadem via.Primus est status ambigui.dicitur amphibologia,quum voces aut singulæ aut coniunctæ diuersos intellectus habent. Vtamur eius exemplo, Paterfamilias quum filium hæredem faceret, vasorum argenteorum centum pondo vxori suæ sic legauit: Hæres meus vxori meæ vasorum argenteorum pondo centum, quæ uolet, dato. Post mortem eius vasa magnificè & preciosè cælata petit à filio mater. Ille se quæ ipse volet debere dicit. Hic duobus aduersariis præcepta communia.vterq; enim hanc significationem,qua vtetur ipse,dignam scriptoris prudentia defendet:vt hæres contendet relictam sibi liberam dandi potestatem, quia videbat testator homo prudens oriri posse ea de controuersiam.Mulier autem,Nihil attinuisse adscribi, quæ volet,si hæredis permitteret voluntati.eo enim non adscripto, nihil inesse dubitationis, quin hæres quæ ipse vellet,daret:idcirco prudenter adscripsisse. Vterq; alterius improbabit sententiam, aut quia sit absurda & dissentanea,aut inutilis,aut iniqua,aut etiã turpis:vt hic hæres,Enimuero absurdum est id arbitrari,patrem mihi omnium rerum fecisse potestatem,vasorum delectum stultisse:turpe,veterem domum,quò se recipiant hospites,ornamentis vasisq; nudasse:inquũ plus habere iuris eã quæ rem percipit extra sortem,quàm qui legitimus est hæres:inutile verò mulieri, quæ vidua facta nihil posthac elegantium vasorũ in medio sit habitura. Contrà nitetur mulier è diuersis locis.Vterq; dicet alterius sentẽtiam discrepare cum cæteris scriptis,vel aliorum, vel eius-

dem: vt si dicat hæres, testamento contineri sentẽtiam, qua pater filio demandat omnẽ rerum suarum ordinationem, vt fiat hæredi visum fuerit ex æquo bonoq; id non posse ratum haberi, si mulier excipiat quæ volet. Vterq; laudabit hominem, vt iustum, vt prudentem, qui satis cauerat quidem, sed qui tamen, si integrum daretur, scripturus esset planius, ne cui præberetur ansa calumniandi: vterq; tandem suam sententiam dicet nihil habere aut captionis, aut vitij: contrariam autem si probarit, fore vt multa vitia consequantur. Quid porrò captionis, inquiet, aut vitij est, eũ pro arbitrio vasa dare, cuius omnia iure, lege, testamẽto facta sunt? cui pater reliquit omnẽ rei familiaris administrationem? Quàm multa sequuntur incommoda, si testamenti ratio vertatur? à iure suo depelletur hæres, stultitiæ pater accusabitur, qui domũ spoliarit ornamentis, iniquus esse videbitur filio, cui maximè cautum volebat: cõtraria scripsisse, ac delirasse arguetur, quo iudicato, nihil oberit quo minus omnia rescindãtur. Hactenus de locu ambiguitatis, qui finitimi sunt æquitati, & ex parte vergunt ad loquendi consuetudinem.

LATOMVS. Illud equidem quod iam vnum restare video.) Hoc totum genus satis apertè scribitur, eisdémque locis & partibus explicatur in vet. rhetorica, & apud authorem ad Herennium. Item apud Quintilianum, quare commentario non indiget. Exempla obseruabis in orationibus, in quas scripti tractatio incidit, qualis est tota pro Cæcinna.

LEODEGARIVS. Illud equidem.) Trãsitum facit à statibus rationalibus (qui extra scriptum sunt) ad legales, qui ex scripto nascuntur. Si integrum daretur.) Si denuo scribendum esset. Nihil haberet captionis aut vitij.) Vlpianus etiã monet, vt quoties idem sermo duas sententias exprimat, ea potissimum accipiatur quæ rei gerendæ aptior sit. l. quoties. ff. de reg. iur.

COMMENTARIVS. Sunt igitur.) Fabius tres potissimum locos in ambiguo statuit, vtra quæ interpretatur magis sit secundum naturam sermonis, vtra æquior, vtra propius accedit ad mentem scriptoris, & quid verisimile sit voluisse scriptorem. Ita ambiguum tractatur capitibus coniecturæ & qualitatis. Dignam scriptoris prudentia esse defendet.) Locus hic est postremus apud Fabium, quid verisimile sit voluisse scriptorum. Appellat Hermogenes locum à sententia legislatoris. Vterque id quod.) Hic locus refutationis opponitur superiori loco confirmationis, & cùm suprà ostenderetur iusta interpretatio, hic ostenditur iniusta: cùm suprà diceretur consentire cum prudentia scriptoris, hic ostenditur dissentire. Scripturum fuisse.) Locus hic est qui à Fabio dicitur ab æquitate. locum huic contrarium antea posuit, cùm docebat interpretationem aduersarij iniquam & absurdam. Eámque sentẽtiam.) Significari poterit locus Fabij per captionem, quòd interpretatio nostra sit scil cet secundum naturam sermonis, nihílque habeat captionis. In verbis contrariis erit locus ad refutandum. Addit præterea Cicero locum ab æquitate, quam antea tractauit.

Cum autem aliud scriptor sensisse videtur, & aliud scripsisse: qui scripto nitetur, eum re exposita recitatione vti oportebit: deinde instare aduersario, iterare, renouare, interrogare, num aut scriptum neget, aut contrà factum inficietur. Pòst iudicem ad vim scripti vocet. Hac confirmatione vsus amplificet rem, legem laudando: audaciámque confutet eius qui cum palàm cõtrà fecerit, ídque fateatur, adsit tamen, factúmque defendat. Deinde infirmet defensionem: cum aduersarius aliud voluisse, aliud sensisse scriptorem, aliud scripsisse dicat: non esse ferendum, à quoquam potius latoris sensum, quàm à lege explicari. Cur ita scripserit, si ita non senserit? Cur cùm ea quæ planè scripta sint, neglexerit: quæ nunquam scripta sint, prodd

ferat? Cur prudentiſsimos in ſcribendo viros, ſummæ ſtultitiæ putet eſſe damnandos? Quid impedierit ſcriptorem quo minus exciperet illud, quod aduerſarius tanquam ſi exceptum eſſet, ita dicit ſe ſecutum? Vtetur exemplis iis, quibus idem ſcriptor: aut, ſi id non poterit, quibus alij quod excipiendum putarint, exceperint. Quærenda etiam ratio eſt, ſiqua poterit inueniri, quare non ſit exceptum: aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur: aut alia cauſa obtemperandi, alia abrogandi: diſſentire aduerſarij vocem, atque legis. Deinde amplificandi cauſa; de conſeruādis legibus, de periculo rerum publicarum atque priuatarum, cum aliis locis, tum in perorando maximè, grauiter erit vehementérque dicendum.

STREBAEVS. Alter eſt ſtatus legalis ex ſcripto & ſententia, quum aliud ſcriptor ſenſiſſe videtur, & aliud ſcripſiſſe. Paterfamilias qui grauidam, vt putabat, vxorem reliqueret, hoc modo teſtamentum condidit, Si poſthumus meus ad annos tutelæ ſuæ peruenerit, hæredem faciet quem volet. Si antequam in tutelam ſuam venerit, moriatur, Marcum Curium ſecundum hæredem inſtituo. Pater deceßit. poſthumus nō eſt natus. Curius init hæreditatem. Contrà petit Coponius agnatus. apud Cētumuiros Scæuola Coponij cauſam agit, Craßus autem M. Curij. Scæuola ex ſcripto teſtamētorum iura defendit: Craſſus ex ſententia. Fingamus igitur vti Scæuolam ea ratione dicendi, quam Cicero præſcribit, quo facilius præcepta videamus. Vbi fecerit aditum cauſæ, rem omnem vt geſta ſit, exponet: deinde vtetur recitatione teſtamenti, quo recitato inſtabit aduerſario, hoc eſt, vrgebit aduerſariū, quid audiat? quid ſentiat? quid iudicet? quid velit? Iterabit eam partem, qua ſcriptum eſt Marcum curium hæredem inſtitui, ſi poſthumus ante annos tutelæ ſuæ deceßiſſet: quod in ea verſatur omnis cōtrouerſia. Rogabit, num aut ſcriptum neget, quum ſit in manibus teſtamentum? Num fecerit contra teſtamentum Curius, qui adierit hæreditatem? Pòſt iudicem ad vim ſcripti vocet, hoc eſt tractet argumentationem, qua demonſtretur à verbo recedi non oportere: quod Aquilius iuriſconſultus Ciceroni reſpondit. Hac confirmatione vſus amplificet rem lege laudata, quod ſcriptum defendit, id amplißimè commendet: vt retinere poßit, dicat hic teſtamentum bene prudentérque conſtitutū: omnia quæſita, omnia explorata, omnia meditata, omnia ſapiēter eſſe confecta. Ex eo loco deueniat ad M. Curij audaciam, qui quum palàm cōtrà fecerit, idq; fateatur, adſit tamen, factúmque defendat. Quid autem amplificando ſumi oporteat & augeri, tum exercitatio, tum Ciceronis oratio pro Cecinna ſubminiſtrabit. Pòſt infirmet defenſionem, non eſſe ferendum, à quoquam potius latoris ſenſum, quàm à lege explicari: hoc eſt, indignum videri, à quopiam homine, neque ita docto, neque probo, ſcriptoris ſenſum ad libidinem deprauari, ſcriptum relinqui, eius viri prudentiam negligi, in quo ſtet aduerſarij præſidium. Cur, inquit, ita ſcripſit, ſi nō ita ſenſit? cur planè & dilucidè ſcripta negliguntur, vt tua nuſquam ſcripta, & eadem abſurda, comprobētur? Cur prudentißimos in ſcribendo viros, ſummæ ſtultitiæ putas eſſe damnandos? Qui te hominem imperitum ſapere arbitraris, quid impediebat teſtamenti ſcriptorem, quo minus exciperet illud, quod fatearis te ſecutum, vt ſi fortè poſthumus nullus naſceretur, hæres inſtitueretur Curius? Videſne vt alia teſtamenti partes optimè deſcriptæ ſint? vt excipienda exceperit? vt iungenda coniunxerit? quod cùm in hac parte non eſſe factum contendis, vniuerſum teſtamentum praua interpretatione diſſoluis. Ad hæc rationem quæret, quamobrem non ſit exceptum. quia videbat homo ſapiens, ſi nullus eſſet poſthumus, fore vt agnati, quod maximè volebat, lege tenerent hæreditatem. Si quis autem natus eſſet, quoniam Curius illi beneficia paterna contuliſſet, vt dignus hæreditate cenſeretur. Dicet etiam aliam cauſam

obtemperandi, aliam abrogandi. Obtemperamus, ad percipiendum bonum: abrogamus, id est, virtute & potestate exuimus, ad euitandum malum aduersarium obtemperare nolle, quia non putet in rem suam futurum. Non esse committendum, si obtemperare nolit, vt abroget scriptum. Tandem amplificandi causa de conseruandis legibus, de periculo rerum publicarũ atque priuatarum, si leges & scripta contemnantur, cum in aliis locis, tum in peroratione maximè, grauiter erit vehementérque dicendum: quod eum pro Cluentio & Cecinna facere videmus.

LEODEGARIVS Ad vim scripti.) Nã vt ait Modestinus, Expressa nocent, non expressa nõ nocent. l. Expressa. ff. de reg. iur. Summæ stultitiæ.) Non minoris stultitiæ est aliud scribere, & aliud intelligere, quàm intemperantiæ est, scribere, & scriptum occultare. De conseruandis legibus, de periculo rerumpub.) Nihil enim facilè mutandum est ex solennibus iuris, vt ait Marcellus. l. Et si nihil. ff. de reg. iur. Quanquam tamen Aristoteles libro secundo Politicorum capite sexto, aliter sentire videatur.

COMMENTARIVS. Cùm autem aliud.) Fabius duas facit species scripti & voluntatis. Alteram quæ oritur ex scripto obscuro, ideoq; iure obscuro, quia in specie pars vtraque & scriptum sequitur & sententiam. Ac certè videtur species finitima ambiguitati. Alteram ait nasci ex scripto manifesto, ac tum pars scriptum tuetur, altera sentẽtiam. Cicero igitur de hac posteriore maximè loquitur, vt in qua sit manifestissima scripti & volũtatis disceptatio. Aut scriptum neget.) Hic locus ab Hermogene appellatur ἀντίθεσις, quæ est hoc loco obiectio ipsius scripti quo nitimur. est autem illa vtendum (vt præcipit Cicero) cum acrimonia & contentione.

Deinde infirmet. Nostris confirmatis & amplificatis, adiumenta aduersariorum sunt infirmanda. Locus est igitur aduersus sententiam qua se tueatur, cum dicimus sententiam legislatoris esse legis verbis explicatam. Quid impedierit.) Hermogenes ait optimum esse in hoc statu locum, si dicamus exceptum non esse, ac proinde legem esse simpliciter ac generaliter de omnibus accipiendam. Vtetur exemplis.) Optimum est vti exemplis, præsertim ab eodem scriptore petitis, quia magis indicant hominis voluntatem & propositum. Alioqui vtendum est aliis. Eodem modo præcepit antea in ambiguitate. Aut alia causa.) Sensus esse poterit, non additam fuisse exceptionem legi hac de causa, quia cum abest exceptio, magis obtemperatur legi: Cùm additur, iam principium est legis abrogandæ, quia exceptio iam legi aliquid detrahit. Aut sensus esse poterit seorsum, vt dicamus obtemperandum legibus, non detrahendum: aduersarium autem plane legem abrogasse, & eum pro ratione vtilitatis nunc legibus obtemperare, nunc non obtemperare, ideoque eius verba & legis dissentire.

Ille autem qui se sententia legis voluntatéque defendet, in consilio atque in mente scriptoris, non in verbis ac literis vim legis positam esse defendet: quódque nihil exceperit in lege, laudabit, ne diuerticula peccatis darentur, atque vt ex facto cuiusque iudex legis mentem interpretaretur. Deinde erit vtendum exemplis in quibus omnis æquitas perturbetur, si verbis legum, ac non sententiis pareatur. Deinde genus eiusmodi calliditatis & calumniæ retrahatur in odium iudicis, cum quadam inuidiosa querela. Et si incidet imprudentiæ causa, quæ non ad delictum, sed ad casum necessitatémve pertineat, quod genus paulò antè attigimus, erit iisdem æquitatis sententiis contra acerbitatem verborum deprecandum.

STREBAEVS. Quà possent arte leges & scripta defendi, si verbo standum pute-

mus, breuiter quidem, sed apertè monstrauit. Econtrario suggerit argumenta illi qui se sententiæ legis & voluntate defendet: quæ propè omnia tractauit in oratione pro Cecinna. Primum est, In consilio atque in mente scriptoris, non in verbis ac literis vim legis esse ponendã. An hoc, inquit, dubium est, quin neque verborũ tanta copia sit, non modò in nostra lingua, quæ dicitur esse inops, sed ne in alia quidem vlla, res vt omnes suis certis ac propriis vocabulis nominentur? neque verò quicquã opus sit verbis, cùm ea res cuius causa verba quæsita sint, intelligatur? Alterũ est, & nihil exceptum sit, id esse laudandũ, ne diuerticula peccatis darentur, atque vt ex facto cuiusque Iudex legis mentem interpretaretur, hoc est spectandam vbique voluntatem, ne omne scriptum facilè conuelli possit. Idem, Quod magistratus edictũ, quod fœdus aut pactio, quod, vt ad priuatas res redeam, testamẽtum, quæ iudicia, aut stipulationes, aut pacti & cõuenti formula non informari & conuelli potest, si ad rem deflectere velimus: consilium autem eorũ qui scripserunt, & rationem & authoritatem relinquamus? Tertium est, vtendum exemplis, in quibus omnis æquitas perturbetur, si verbis legum ac non sententiis pareatur. Idem, Actio est in authorẽ præsentem his verbis, Quandoquidem te in iure cõspicio. Hac actione Appius ille cæcus vti nõ posset, si tam verè homines verba consectarentur, quàm rem cuius verba sunt, nõ considerarent. Testamẽto si recitatus hæres esset pupillus Cornelius, ísque iam annos viginti haberet, vobis interpretibus amitteret hæreditatem. Alia sunt apud eũ permulta. Quartum est genus eiusmodi calliditatis & calumniæ retrahendum in odium iudicis cum quadam inuidiosa querela. Idem, Atque illud in tota defensione tua mihi maximè mirum videbatur, te dicere iurisconsultorum authoritati obtemperare non oportere: quod ego tametsi non nunc primùm, neque in hac causa solùm audio, tamẽ admodum mirabar abs te quamobrem diceretur. Nam cæteri tum ad istam hortationem decurrunt, quum se in caussa putant habere æquum & bonum quod defendant: si contrà verbis & literis, & (vt dici solet) summo iure contenditur, solent eiusmodi iniquitati & boni & æqui nomen dignitatémque opponere, tum illud quod dicitur, irrident, tum aucupia verborum, & literarum tendiculas in inuidiam vocant, tum vociferantur, ex æquo & bono, non ex callido versutóque iure rem iudicari oportere. scriptum sequi, calumniatoris esse: bonique iudicis, voluntatem scriptoris, authoritatémque defendere. Est etiam cùm peccet aliquis imprudentia. Quicunque in forum tulerit ensem, det sestertia ducenta. Peregrinus qui de lege nihil audiisset, ensem tulit. Is imprudentia lapsus est, non ad delictum, sed ad casum necessitatemque: cui si creatur periculum, deprecandum & auertẽdum erit ex æquitatis sententiis contra acerbitatem verborum, quibus nitetur accusator.

HEGENDORPHINVS. Ille autem qui se sententiæ legis &c.) Et hoc probat l. leges scire. ff. de legi. & l. si quis filium. C. de lib. præteritis. & l. omne verbum. C. communia de legatis & fidei commissis.

LEODEGARIVS. Non in verbis & literis vim legis esse.) Lex non est referenda ad verborum corticem, sed ad medullam & veritatem sensus. Itaque sic respondit Celsus, Scire leges non est earum verba tenere, sed vim ac potestatem. l. Scire. ff. de legib. vt non sine causa dicatur à theologis, Litera occidit, spiritus viuificat. Omnis æquitas perturbetur, si verbis legum.) Sit hoc exemplum. Vlpianus in l. si quis à liberis. ff. de liberis agnoscendis, respondit vt pater alat filium, & vicissim filius alat patrem si pater egeat. quod si non fiat, tum pignoribus captis coerceatur: finge filium esse recens natũ, eríne res iniqua vt coerceatur, si non alat patrem, cum potius sit à patre alendus conducta nutrice? & tamen si sequaris verba legis, coercebitur.

COMMENTARIVS. Ille autem.) Locus hic primus est firmissimus, ac continet totam vim defensionis. Itaque diligenter est tractandus atque confirmandus. vt in oratione pro Cecinna. Quódque nihil.) Testatur Hermogenes hunc locum, qui est de exceptione, communem esse vtriusque partis. quocirca pars vtraque rationem debet afferre quamobrem nõ sit exceptum. Ideo non esse exceptum, vt tollerentur omnes peccandi occasiones atque effugia. nam excusationem præbere videtur exceptio. Deinde erit.) Hic locus tertius pertinet ad confirmationem primi. sic Cicero pro Cecinna vtitur exemplis multarum legum, quibus probat verbis nõ esse standum: alioqui fore maximam iniquitatem. Huc pertinet prouerbium, Summum ius, summa iniuria. Nam summum ius est ius scriptum. Et si incidet.) In omnes status legales (vt ait Hermogenes) incidere possunt quæstiones qualitatis. Nam aliquando per ignorantiam videmur

facere aliquid contra legis verba, tum igitur est vtendum locis æquitatis, de quibus dictũ est antea. Sed enim duplex est ignorãtia: quædam simulata, quæ est occasio delicti, & prætextus: quædam fortuita, ac necessaria, de qua nunc agitur.

Sin scripta inter se dissentiant, tanta series artis est, & sic inter se sunt pleraque connexa & apta, vt quæ paulò antè præcepta dedimus ambigui, quæque proximæ sententiæ & scripti, eadem ad hoc genus causæ tertium transferantur. Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam significationem quæ nos adiuuat, eisdem in contrariis legibus nostra lex defendenda est. Deinde est efficiendum vt alterius scripti sententiam, alterius verba defendamus. Ita quæ modò de scripto sententiaque præcepta sunt, eadem huc omnia transferamus.

De contrariis legibus.

Antinomia.

STREBAEVS. Tertius est status legalis ex contrariis legibus, quæ ἀντινομία dicitur: non quòd iure ipso lex legi possit esse contraria, quia si diuersum ius esset, alterum altero abrogaretur: sed quòd leges casu collidunturs, & euentu. Eius rei ponit exemplum secundo de Inuentione. Lex est, Qui tyrannum occiderit, Olympionicarum præmia capito, & quam volet sibi rem à magistratu deposcito, & magistratus ei concedito. Et altera lex est, Tyrãno occiso, quinque eius proximos cognatione, magistratus necato. Alexandrum qui apud Pheræos in Thessalia tyrannidem occuparat, vxor sua, cui nomen Thebe fuit, noctu cùm simul cubaret, occidit. Hæc filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi in præmij locum deposcit. Sunt qui ex lege puerum occidi dicant oportere, res in iudicio est. Huc, quia series artis est, hoc est quòd in arte sunt pleraque connexa, pertinent ea præcepta quæ data sunt tum de ambiguo, tum de scripto & voluntate. Ex ambiguo sumetur illa disputatio, qua tuemur legem esse præferendam, quòd sit æquior & vtilior, quòd nihil habeat captionis & vitij, nihil absurdi, stulti, iniqui, contrarij. Ex scripto & voluntate sumitur vtriusque legis interpretatio, & eius quæ pro nobis facit, è locis idoneis confirmatio. In explicandis constitutionibus legalibus vti potui verbis atque præceptis rhetorum multorum, maximè eius qui scripsit ad Herennium, & Ciceronis in secundo libro de Inuentione, & Quintiliani in septimo, & Victorini, & Maturantij: sed ita iudicaui, eam rem superuacuam fore, & ingenuis rudibus, quibus ferè commentaria parantur, obfuturam.

LEODECARIVS. Sin scripta.) Ex hac statuum legalium affinitate colligas, non omnino pessimè sentire, qui omnes referunt ad statum ambigui.

COMMENTARIVS. Sin scripta.) Contrariæ leges duos habent status, scripti, & sententiæ, quocirca locis scripti & sententiæ est vtendum, sed geminatis tamen. Adde quòd cùm obscuritas sit in legibus inter se conflligentibus, locis ambiguitatis erit vtendum, vt dum de significatione quam defendimus, de voluntate scriptoris, & de æquitate interpretationis.

Expositæ sunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem è media illa nostra Academia floruerunt: neque sine ea aut inueniri, aut intelligi, aut tractari possunt. Nam & partiri ipsum, & definire, & ambigui partitiones diuidere, & argumentorum locos nosse, & argumentationem ipsam concludere, & videre quæ sumenda in argumentando sint, quídque ex iis quæ sum-

pta ſunt, efficiatur, & vera à falſis, veriſimilia ab incredibilibus diiudicare & diſtinguere, & aut malè ſumpta, aut malè concluſa reprehendere, & eadem vel anguſtè diſſerere, vt dialectici qui appellantur, vel, vt oratorem decet, latè exprimere: illius exercitationis, & ſubtiliter diſputandi, & copioſe dicendi artis eſt. De bonis verò rebus & malis, æquis iniquis, vtilibus inutilibus, honeſtis turpibus, quam poteſt habere orator ſine illis maximarum rerum artibus facultatem aut copiam? Quare hæc tibi ſint, mi Cicero, quæ expoſui quaſi indicia fontium illorum: ad quos ſi nobis eiſdem ducibus, aliiſue perueneris: tum & hæc ipſa melius, & multò maiora alia cognoſces. C.F. Ego verò, ac magno quidem ſtudio, mi pater: multiſque ex tuis præclariſſimis muneribus nullum maius expecto.

STREBAEVS. De ratione partiendi poſtremam fecit hanc partem, vt ſimul ab arte commendetur opus, ſimul ad ſtudia magnarum rerum tum Cicero filius, tum cæteri adoleſcentes incitétur. Artem partitionum deriuat à media Academia, hoc eſt philoſophia Platonica, cuius illum fuiſſe ſtudioſum notum eſt. Philoſophiæ eſſe cenſet, partiri totum in ſuas partes, definire quæ ſunt definienda: diuidere ambigui partitiones; hoc eſt illud omne quod eſt multiplex, vt cum genus diuiditur in formas: argumentorum locos noſſe, quæ ſcientia Topica eſt: argumentationem ipſam concludere, quæ facultas eſt ſyllogiſmorum: noſſe quæ ſumenda in argumentando ſunt, vt omnia confeſſa & probabilia: quid ex iis quæ ſumpta ſunt, efficiatur, id eſt, quæ concluſio ſequatur: vera à falſis, veriſimilia ab incredibilibus diiudicare & diſtinguere: aut male ſumpta, cuiuſmodi ſunt falſa, contraria, repugnantia, ſtulta: aut male concluſa, vt ab aſſumptis abhorrentia, reprehendere, & eadem vel anguſtè diſſerere ſine vlla copia dicendi, vt dialectici qui appellantur: vel vt oratorem decet, latè exprimere. Hæc, inquam, omnia eſſe cenſet illius exercitationis & philoſophiæ, in qua Platonici verſantur. Nonnulli dialecticorum & rhetorum ſibi impudenter arrogant iſtorum omnium ſcientiam, propterea quòd in arte ſua vident aliquot iis de rebus præceptiunculas. Iſtuc neque libellis rhetorum, neque dialecticorum continetur. Oſtendit Ariſtoteles 7. Topic. Exactè, inquit, & exquiſitè tradere quid ſit definitio, quique definire oporteat, non huius negocij eſt. A philoſophia igitur maiori petēdum eſt, ſine qua nulla eſt rerum artificioſa cognitio. Partiri autem, & diuidere, & definire, & aliquid argumentando aſſumere, & rerum differentias tractare, aut reprehendere, ſine cognitione rerum, ſummæ dementiæ eſt. Itaque qui nihil aliud quàm dialecticorum præcepta norunt, nihil iſtorum commodè facere poſſunt. Sed Academici, qui de rebus omnibus in contrariam partem diſputabant, qui rerum naturas virtutéſque exploratas habebant, qui nullas artes non tenebant: diſciplinas omneis illa ſua infinita ſcientia, ſummáque exercitatione tractare potuerunt. Adde quòd nemo poteſt eſſe conſummatus, vel dialecticus, vel orator, qui cæteras ignoret artes. Nam ſi vtriuſque eſt de re propoſita diſſerere, certè ad diſſerendum neceſſe eſt vim rerum naturamq; percepiſſe. Ea autem à philoſophia ſubminiſtratur, ſicut ratio tractandi à dialecticis atque rhetoribus. De Academia ſcribit iſtuc Academicarum quæſtione prima. Fuit à Platone accepta philoſophandi ratio triplex: vna de vita & moribus, altera de natura & rebus occultis, tertia de diſſerēdo, & quid verum, & quid falſum, quid rectum in oratione prauúmve, quid conſentiens, quid repugnans, iudicando. Tertiam facit partem dialecticæ atque rhetoricæ, quia ordine diſſerendi cæterarum artium cognitionem ſubſequuntur. Inde colligitur à philoſophia ſuppeditari dicendi materiam, à dialectica & rhetorica veluti formam rationemque eligendi atque extruendi. Pleni ſunt philoſophorum li-

bri disputationum de bonis rebus & malis, animi, corporis, & fortunæ, de æquis & iniquis, vtilibus inutilibus, honestis turpibus. Hæc oratori tractanda sunt & in exornatione, quæ bona & honesta commendat: & in deliberatione, quæ honesta & vtilia quærit: & in iudicio, cuius est finis æquitas Vnde igitur petes? A philosophis. Omnis enim vbertas & quasi sylua dicendi ducta ab illis est. Cicero in Oratore, Positum sit igitur in primis, quod post magis intelligetur, sine philosophia non posse effici quem quærimus eloquẽtem. Sunt igitur sapientiæ fontes, ad quos qui peruenerit, & hæc ipsa melius, & multò maiora alia cognoscet.

HEGENDORPH. Academia.) Locus Atheniensis in suburbano nemorosus, a quodam heroe Academo nomine appellatus, in qua Plato commorabatur. author Diogenes Laertius in vita Platonis.

LEODEGARIVS. E media illa Academia.) In hanc sententiam sic scriptum est ab eodem, initio oratoris ad Brutum, Fateor me oratorem (si modò sim, aut etiam quicũq; sim) nõ ex rhetoriũ officinis, sed ex Academiæ spatiis exititisse. Illa enim sunt curricula multipliciũm, variorúmque sermonum, in quibus Platonis primùm sunt impressa vestigia: sed & huius & aliorum philosophorum disputationibus & exagitatus maximè orator est & adiutus, &c. Cæterùm in multis imitatus est Aristotelen ad Theodectem, & ex eiusdem topicis ad Trebatium sumpsit locos. Nam & partiri.) Hæc sunt officia dialectices, quæ à Cicerone elegãter traduntur in Bruto. De bonis.) Hæc à morali disciplina petuntur. Quam potest habere orator sine illis.) Cicero in oratore ad Brutum, eadem de re sic ait. Nec vero dialecticis modò sit instructus, sed habeat omnes philosophiæ notos & tractatos locos, nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de charitate patriæ, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi & erroribus, quæ sæpe cadunt in causis, sed iciunius agunturq; nihil inquam sine ea scientia quam dixi, grauiter, amplè, copiosè, dici & explicari potest. Quare.) Filium hortatur ad studium philosophiæ, quod etiam facit in præfat. officiorũ his verbis: Quamobrem magnopere te hortor (mi Cicero) vt non solùm orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui se tam illis ferè æquarunt, studiosè legas: vis enim dicendi maior est in illis, sed hoc quoq; colendũ est æquabile, & temperatum orationis genus. Indicia fontium illorum.) Quasi dicat, indice digito præmonstrauì fontes Academicos, apud quos expleas sitim tuam. Nullum maius expecto.) Cicero cùm multis in locis, tũ initio dialogi primi de legibus putauit res philosophicas maiores: his verbis, Sic enim mihi liceret & isti rei quam desideras, & multis vberioribus atque maioribus, operæ quantum vellem dare. Itaque Horatius philosophiam omni ætati, omnique conditioni & sorti vtilem esse scripsit: cuius sunt verba epistola prima, libro primo,

Sic mihi tarda fluunt, ingratáque tempora, quæ spem
Consiliúmque morantur agendi grauiter, id quod
AEquè pauperibus prodest, locupletibus æquè,
AEquè neglectum pueris, senibúsque nocebit.
Restat vt his ego me ipse regam, solérque elementis.

COMMENTARIVS. Expositæ.) Hæc conclusio explicat quibus artibus sit potissimum oratori opus, ad quas filiũ adhortatur. Meminit autem dialectices & Ethices, propterea quòd altera suppeditat argumentandi formam, altera materiam. De bonis verò.) Cicero in Oratore nostræ ignauiæ largitur ignorationem cæterarum disciplinarum. Imprimis tamen vult vt teneamus philosophiam moralem, quia sine ea non potest esse orator.

LEODEGARIVS AD LECTOREM.

QVOD autem superest (optime Lector) nullam ex his spicilegiis aliam apud te gratiam inire volo, quàm vt vel oculis gratis legas, quod gratis datur: vel offensiore animo ne percurras id in quo adeo te offendere nolui, vt quàm maximè possem, prodesse vellem.

Hæc (si displicui) fuerint solatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

FINIS.

Annotationes omissas pag.18.ad hoc signum **, hic addendas curauimus.

Partium enumeratio.) Sub partium enumeratione etiam diuisionem cõplecti docet. Argumẽtamur autem vel affirmatiuè, partes explicando: vel cùm partes posuerimus, eas tollimus, quod argumentum ex remotione dicitur à Fabio. Alia coniugata.) Fabius coniugata causis subiicit, aitque se coniugata fuisse numeraturum inter locos, nisi posita fuissent à Cicerone, cùm præsertim si alterum concedam, de altero dubitare non possis. Sub coniugatis hic etiam casus complectimur.

Ex genere). Argumentamur ex genere ad refellendã speciem: ex specie, ad constituendum genus. Ex similitudine.) Quæ aut ex singulis aut ex multis progreditur, estque inductio rhetorica. Est & alia similitudo, quæ non pertinet ad argumentandum, sed ad ornatum & expolitionem. De qua Fabius ait libro 8. Comparatio est in quantitate, similitudo in qualitate. Ex contrario.) Cicero contrarium appellat, quod Aristoteles vocat oppositum. Nam quod ab Aristotele contrarium dicitur, Cicero vocat aduersum. Contrarij species sunt aduersa, priuantia, contraria aientibus, & relata. Ex coniunctis.) Hic locus oratorius est, vt ait Cicero, estq; admodum copiosus. Nam complectitur circunstãtias eas quæ rem antecesserunt, cum re fuerunt, & post rem. Coniuncta tamen Cicero in Oratore vocat coniugata. Ex antecedentibus.) Loci priores puri sunt & simplices, at hi tres positi sunt in conditione, efficiũntque syllogismos, qui à dialecticis hypothetici dicuntur. Argumentamur ab antecedentibus, quando conditionalis propositionis assumimus antecessionem, & colligimus consecutionem, Atque hic est primus syllogismus hypotheticus.

Fol. 6. fa. 2. vers. 1. pro Animorum, lege Aminorum.